3 . G.4.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
12 E
38

Digitized by Google

VETERVM ALIQVOT SCRIPTORVM

Qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum, latuerant,

SPICILEGIVM.

Tomus Quartus Continet

1 STATVTA antiqua Abbatiæ Corbeïenſis à S. ADALARDO Abbate Ordinis S. Benedicti præſcripta.

2 Antiquiores CONSVETVDINES Cluniacenſis Monaſterij O. B. Collectore S. VDALRICO Monacho Benedictino.

3 SENTENTIAS LANFRANCI Archiepiſcopi Cantuarienſis.

4 MISCELLANEA Epiſtolarum, Conciliorúmque aliquot, ac Diplomatum.

5 CHRONICON Eccleſiæ Centulenſis, ſiue Sancti Richarij, O. B. Auctore Hariulfo.

6 MARTYROLOGIVM vetuſtiſſimum, S. Hieronymi nomine inſignitum.

Prodeunt nunc primùm in lucem

Operâ & ſtudio DOMNI LVCÆ DACHERII *è Congregatione S. Mauri Monachi Benedictini.*

PARISIIS,
Apud Carolum Savreux, inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Typographum, in Atrio Templi Beatæ Mariæ, ſub inſigni trium Virtutum.

CIↃ. IↃC. LXI.

Cum Priuilegio Regis, & Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

8.12.E.35.

Digitized by Google

LECTORI.

QVÆ vetuſtatis monumenta, quóſve Scriptores Tomus quartus Spicilegij complectatur, quid tandem operæ ac ſtudij in ijs euulgandis impenderimus, vt agnoſcas, Lector erudite, tibi nonnulla heîc breuiter more noſtro ſunt aperienda.

I. Statuta antiqua Abbatiæ ſancti Petri Corbeïenſis.

In primis FRAGMENTA STATVTORVM VETERIS CORBEÏÆ, quæ nobiliſſimus ADALARDVS, Abbas Sanctiſſimus, olim ſuis Monachis cùm ab exilio reuerſus fuiſſet anno Chriſti 822. præſcripſit, è ſchedis membranaceis eiuſdem Abbatiæ chartarij eruimus, ea quidem tempeſtate exaratis, ſed ſitu & mucore aliquantulùm labefactatis, viſum ſubinde fugiebant characteres, adeò vt ferè mihi diuinandum fuerit. Verba exoleta, & triuialia, quæ illa ferebat ætas, in margine elucidare operæ-pretium putaui, ne quid Lectorem moraretur. Ceterùm Biographus S. Adalardi B. Gerardus in capite 8. illorum cum laude meminit Statutorum, ad hunc modum: *Quàm efficax fuerit* (Adalardus) *in diſpoſitionibus*

ordinationis ſuæ qui noſſe voluerit, in libro qui de his conſcriptus eſt, legere poterit non ſine grandi admiratione : vbi etiam proſpiciet quàm ſapienter à ſapiente diſpoſita fuerit domus Corbeïenſis Eccleſiæ. Porrò præter ea quæ à tenebris ac ſitu vindicaui fragmenta ſupereſt dumtaxat Index capitum numero 61. Edidit & alium Librum egregius ille Abbas ad Regis animum Chriſtianis moribus imbuendum, & Aulæ Miniſtros in ſuis quoſque officijs rectè ac prudenter inſtituendos, continendóſque ; Hincmaro teſte oculato in Epiſtolæ 14. capite 12. *Adalardum ſenem & ſapientem*, ait ipſe, *Domni Caroli Magni Imperatoris propinquum, & Monaſterij Corbeïæ Abbatem, inter primos Conſiliarios primùm in adoleſcentia mea vidi. Cuius libellum de ordine Palatij legi & ſcripſi ; in quo inter cetera continetur, duabus principaliter diuiſionibus totius regni ſtatum conſtare, antepoſito ſemper & vbique omnipotentis Dei judicio, &c.*

II. Antiquiores Conſuetudines Cluniacenſis Monaſterij.

CLVNIACENSIS ABBATIÆ ANTIQVIORES CONSVETVDINES vt in lucem proferrem duplici ſum vſus apographo : alterum quingentos præ ſe ferens annos ad me tranſmiſerat Nicolaus Camuzatius Eccleſiæ Trecenſis quondam Canonicus, Anno Chriſti 1650. Alterum verò Aſceterium Cluniacenſe recentiori manu exaratum ſubminiſtrauit. E priori ad libri tertij dimidiam partem capitis 9. exſcribi tantummodò curaueram, quòd mihi diutiùs illud ſeruare per tempus non liceret : ſperabam nimirum ſi quando hæ Conſuetudines edendæ forent, iterum apographi

Digitized by Google

copiam mihi factum iri: at, ſpes vana fuit ſiquidem licet omnem adhibuerim diligentiam, quà meis, quà amicorum literis ac precibus, nullibi tamen, potiſſimùm in Bibliotheca Trecenſi Patrum Congregationis Oratorij, vbi illud aſſeruari certò audiueram, apographum potuit reperiri. Auctor harúmce Conſuetudinum VDALRICVS, nobilitate juxta & ſanctitate clarus, inſcribitur: è cuius vita (quam Deo fauente dabimus cum alijs Ordin. Benedictini Sanctis) paucula quæ ad rem faciunt noſtram hæc habe: *Venerabilis vir* VDALRICVS *ex illuſtri proſapia Bauariorum Ratiſponæ ciuitatis, velut lucifer inter cetera poli ſydera, ſic inter totius cognationis ſuæ relucebat nobile ſchema, &c.* Et multis interjectis. *Ipſe primùm, petente Willelmo Hirſaugienſis Cœnobij Reuerendiſſimo Abbate, Alamanniæ Monaſterijs* CONSVETVDINES CLVNIACENSIS ECCLESIÆ *inuexit, quas plerique Monaſticæ religionis amatores tanto ſtudio, tantáque veneratione obſeruant & amplectuntur, ac ſi opes regias ſe habere gratulentur: de quibus duos* (tres Vdalricus aſſerit*) *libellos luculento ſermone compoſuit; quorum conſcriptio tam per Alamanniæ quàm & aliorum regionum Monaſteria longè latéque peruolauit. Quos ſi fortè leges, quaſdam diuinæ ſeruitutis, aliorúmque officiorum, necnon obedientiæ, humilitatis, Fratrúmque caritatis leges conſcriptas in eis reperire, ſtudium, ingenium quoque, ſapientiámque viri inibi manifeſtè poteris cognoſcere. Erat enim homo iſte doctus paterfamilias in regno cœlorum, proferens de theſauro*

* In Epiſt. ad Guillelmum infrà pag. 25. & in fine Præfat. libri 3. pag. 160.

Digitized by Google

ſuo noua & vetera, vnde multos ad ſcientiam eruditiuit, &c.

Videſis in eadem epiſt. pag. 24. & in proœmio p. 31.

Atenim non eo quo collegit tempore Vdalricus illas Conſuetudines primùm fuiſſe conditas, ſed à multis retrò temporibus jam vſu receptas legenti palàm fiet, ita vt id confirmari opus non ſit. Quare eas vetuſtiores nuncupare non dubitaui. Alias poſteà ſcio latas à Venerabili Petro Abbate, vt occurreret nonnullis qui irrepſerant diſſolutis quorundã Cœnobitarum moribus; quas cernere eſt in Bibliotheca Cluniacenſi.

Et quamuis ad Monachos præſertim attineant Ordinationes iſtæ, multa nihilominùs inibi occurrent quæ ad Eccleſiaſticorum muniorum illuſtrationem, atque ad diuina myſteria ritè pertractanda non parum conferunt; puta quæ de auguſto Miſſæ Sacrificio, de Extremæ-Vnctionis Sacramento, de confectionis hoſtiarum in altari conſecrandarum ſumma cura, & religione ſingulari; déque alijs ad canonicas Deo laudes die noctéque perſoluendas obſeruantijs, præſcribuntur. Aſt prætereunda minimè eſt annotatiuncula à me margini affixa pag. 89. ad cap. 35. *De Benedictionibus vuarum, & aliorum fructuum*: vt explicarem verba iſta: *Allatas* (vuas) *Armario repræſentat, & Armarius Sacerdoti inter Canonem ad horam competentem & prænotatam, &c.* Ita ſe habet annotatiuncula: *Scilicet ad hæc verba Canonis, Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, &c.* Nempe tunc Fideles offerebant nouas fruges, vuas, fabas, aliáque id genus, queis Sa-

Digitized by Google

cerdos in altari benedictionem impertiebatur. In eamdem it ſententiam Durantes Epiſcopus Mimatenſis in libri 4. Rat. capite 46. num. 8. vbi Canonis locum proximè citatum explanat his verbis : *Hoc autem loco benedicuntur vuæ, &c.* Mos enim vetus fuit, & etiamnum in quibuſdam viget Eccleſijs , primitias fructuum Deo conſecrare, quò tanquam Summum Creatorem vniuerſorum ipſum fidelis populus profiteatur, veneretur, eíque gratias de beneficijs ſibi præſtitis agat, ac cœleſti benedictione illis fruendo cumuletur. Et id quidem ex inſtitutione Eutychiani Papæ, vti refert Pontificale Damaſi: *Hic inſtituit fruges, fabas, & vuas in altario benedici.* velut & Martyrologia Rabani & Notkeri. In Concilio Carthag. 3. can. 3. frumenti & vuæ fit mentio ; in Concilio quoque Trullenſi can. 28. & Burchardi Decret. lib. 5. capp. 3. & 4. Atque vt ſenſum hîc meum apponam, admodum verosimile eſt, illa Canonis verba poſſe ſic exponi: *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, viuificas & præſtas nobis, &c.* Hoc eſt per Filium tuum, *ſine quo factum eſt nihil quod factum eſt,* hos fructus, quos tibi nunc offerimus, & abs te benedici poſtulamus, continuò creas ac producis ad bonum & vtilitatem noſtram. Verùm de eiuſcemodi interpretatione Lectoris eſto judiciũ.

Hugo Menard. in lib. Sacram. S. Gregorij pag. 173.

Alius etiam codex ſcriptus earumdem Conſuetudinum, à Bernardo Cluniacenſi Monacho concinnatarum , ac B. Hugoni Abbati dicatarum, ſubminiſtrauit quædam capita, quæ in vtriſ-

Digitized by Google

que & Cluniacenſi, & Camuzatij codicibus deſiderabantur, nimirum capita 13. 14. & 15. Bernardi autem Præfationis pericopen, ne tota pereat, hoc loco ſubtexere, Lectori, opinor, haud erit ingratum, vel à propoſito alienum. Sic autem exorditur Bernardus:

REVERENDISSIMO, ATQVE TOTIVS RELIGIONIS PRÆCIPVO, DOMNO HVGONI ABBATI,

„ FRater BERNARDVS filiorum eius vltimus,
„ quicquid eſſe, dici, & cogitari poteſt ex-
„ cellentius.

„ Quoniam, Pater Religioſiſſime, loci Cluniacenſis viam vniuerſæ carnis paulatim ingredien-
„ tibus, ac Nouicijs ſuccedentibus, quædam de
„ Conſuetudinibus ſæpiſſimè oriebantur contro-
„ uerſiæ, diuerſis diuerſa ſentientibus, ita vt ple-
„ rumque Nouicij hæc audientes, incertiores de
„ Capitulo diſcederent quàm acceſſiſſent; operæ-
„ pretium judicaui ſi veſtra mihi auctoritas impe-
„ raret, vt cum quanta poſſem diligentia ipſam
„ veritatem inueſtigarem, & ſiue ex his quæ ſcri-
„ pta reperirem, ſiue ex his quæ didiceram, vel
„ diſcere poſſem, ſententias veriores atque di-
„ ſcretiores, quibus videlicet probabiliores, &
„ meliùs ordinem ſcientes perſonæ teſtimonium
„ darent, in vnum volumen redigerem; ſícque
„ æquitatem conſideratam, litteris diligentiùs an-
„ notatam poſteris derelinquerem. Hoc itaque
„ Opuſculo pro meæ paruitatis modulo à vobis accepta

Digitized by Google

accepta juſſione impleo, quaſi riuulus ad fon- «
tem recurro, Veſtræque Excellentiæ quod ex «
eius plenitudine hauſi repræſento, &c. Tantùm «
reſtat, vt veſtra mihi ſuccurrat oratio, quatinus «
ſequi poſſim quod in vobis laudo, & viam quam «
monſtratis, quámque deſcribere juſſiſtis tenere «
ſufficiam ad ſalutem meam & gloriam veſtram. «
Obſecro autem Fratres noſtros ne dedignentur «
ex ligneo vaſe potum veritatis ſumere, neque «
propter fiſtulam plumbeam, per quam fluit, «
aquam frigidam, clarámque deſpiciant, ſi eos «
ſitire contingat, vt ſciant quibus ſententijs inni- «
ti debeant, vt à ſanctarum Conſuetudinum tra- «
mite non recedant. Omnipotens Deus, in cuius «
manu conſiſtit omnis profectus loci Cluniа- «
cenſis, conſeruet ſanctum caput veſtrum nobis «
incolume, vt videatis filios filiorum veſtro- «
rum, longóque tempore mundo præbeatis ſo- «
latium. «

Hactenus Bernardi Præfatio; qui æqualis exſtitit ſancti Vdalrici, eodémque conſcripſit tempore Conſuetudines, vt conjicere licet, quo & ipſe Vdalricus. Cur porrò Vdalrici potiùs quàm Bernardi collectionem ediderimus, ratio in promptu eſt: nimirum ob nominis claritatem Vdalrici; quódque comptiore ſtilo ac meliori ordine, dialogis ſcilicet, digeſtam eius collectionem judicauerimus: qui ſcribendi modus, cùm de aſceticis rebus, ritibúſve præſertim agitur, faciliori via animum inſtruit, ſuadétque.

III. Sermo Lanfranci Archiep. Cantuar.

LANFRANCI ARCHIEPISCOPI SERMONEM breuiſſimum, elegantiſſimis Religioſæ vitæ documentis refertum, deſcripſit ex Bibliothecæ Oxonienſis MS. Codice vetuſto Ioſephus Williamſonus, vir doctus, & ad me comiter miſit die 9. Decemb. 1659.

IV. Miſcellanea Epiſtolarum Conciliorúmque aliquot, ac Diplomatum.

In MISCELLANEIS EPISTOLARVM, &c. Præcipuè ſunt animaduertenda: 1. Litteræ ſocietatis, vel Fraternitatis initæ inter Monachos ſancti Remigij Remenſis, & ſancti Dionyſij in Francia. Nam moris fuit apud veteres tum Monachos, tum etiam Clericos, eadem prorſus ratione coïre ſocietates, quò inuicem participes fierent & precum, & piorum operum, quæ ipſi patrabant. Antiquiores ijs hujuſmodi literas hactenus reperi nullas; in quibus haud nouum adinuentum videbis, pſalmos decantari, vigilias celebrari, atque incruentum Corporis & Sanguinis Chriſti peragi Sacrificium, in ſubſidium animarum corporibus ſolutarum. Videbis & in ſolo Dionyſiano Monaſterio Sacerdotes Monachos, Diaconos, Subdiaconos multò plures quàm ſibi falsò ſuasêre, qui præfractè & importunè contendunt, ea tempeſtate perrarò Monachos ſacris initiatos fuiſſe, ac vnum aut alterum copioſæ Monachorum turmæ Preſbyterum Sacramenta tunc adminiſtraſſe. Nec mouere te debet, Lector, quòd ſeriei Monachorum promiſcuè Epiſcopus adſcribatur, nulla planè dignitatis habita ratione: Siquidem in hac ſerie obſeruatur ordo temporis, quo quiſque vota Deo nuncupauit regu-

Digitized by Google

laris diſciplinæ. Innumera propè occurrunt apud illorum ac ſubſequentium temporum Hiſtoricos exempla Epiſcoporum, qui nuntium remiſere dignitatibus, honoribus, diuitijs, quibus exonerati in ſolitudinem ſecedebant, vti liberiùs ſecretiúſque priuatæ ſaluti incumberent, ac theoriæ diuinæ vacarent. Sed heu! quàm longè abſunt ab illius ætatis pietate, ſæculi huius homines Monachorum oſores, *ſeipſos amantes, ſua ſemper quærentes non quæ* IESV CHRISTI? Parco ſcriptis ne quid grauius, ac verto ad alia calamum. Ad extremum cuipiam alienum fortean videbitur à Regia majeſtate, catalogo Monachorum Imperatorem Regémque annumerari. At ea fuit Chriſtianorum Principum ac Nobilium pietas, vt ſummo loco Monachos haberent, & magnæ felicitatis inſtar ducerent, ſi quomodocumque in conſortionem jejuniorum, vigiliarum, ac precum venire poſſent illorum; quos vtique Theodoſius Imperator [a] *Beatos ac Feliciſſimos* appellat, *Angelos* Chryſoſtomus [b]; Gregorius Naz. [c] *Generis noſtri Primitias, Columina, fidei noſtræ Coronas*; Saluianus [d] *Sanctos Dei.* Anne id magis indecorum putandum eſt, quàm quod ſæpiſſimè vſu venit? Nempe nomina ſua Reges inſcribi volunt indicibus Societatum, quas Confraternitates vocant. Reperitur & varijs in Cathedralibus, aliiſque Canonicorum Eccleſijs, Rex primus Canonicus, velut in hac quam edimus epiſtola, primi Monachorum Imperator & Rex.

[a] Cedrenus numero ſiue cap. 130. hiſt.
[b] Homil. 70. in cap. 22. Matt.
[c] Ad Iul. Trib. exeq.
[d] Lib 8. de Guber. poſt med.

3. De Vrbani Papæ Decreto in Concilio Ne-

mauſenſi nihil eſt, Lector, quod præfari debeam, quandoquidem ea quæ illuſtratione indigere videntur, in margine breuiter habes adnotata: ſolummodò annus eiúſce Decreti, ſiue Decretorum, præfigendus eſt. Conſtat Claromontanum Concilium ex omnibus qui hac de re ſcripsêre Auctoribus, ab ipſomet Vrbano celebratũ anno Chriſti 1095. ac proinde noſtram Synodum Nemauſenſem anno ſubſequenti 1096. coactam fuiſſe, vt prodit Fragmentum hiſtoriæ Fran. è Floriacenſi Monaſterio erutum. Verùm allucinatur Fragmenti Auctor iſthæc referens pag. 90. *Anno ab Incarnatione Domini* MXCVI. *viſæ ſunt ſtellæ, &c. Eodem anno Papa Vrbanus in Gallias venit, Conciliúmque maximum Epiſcoporum & Abbatum apud Clarummontem in Menſe Nouembre celebrauit. In ſequenti quoque anno apud Nemauſum aliud congregauit in Menſe Iulio Concilium.* Aptiùs ergo Chronicon Malleacenſe, ſiue ſancti Maxentij ad annum MXCVI. *Vrbanus Papa veniens ad feſtiuitatem S. Hilarij fuit Pictauis, &c. Inde remeauit Romam, & in eundo remeauit Nemauſum ciuitatem, &c.* Deliteſcebat ea Synodus in codice ſcripto Abbatiæ S. Albini, quod mihi indicauit, commodauítque Emericus Bigot, non vulgari vir doctrina, humanitatéque ſingulari.

Extat to. 4. Vet Scrip. Hiſtor. Franc. Duchesnij pag. 85.

Tom. 2. Nouæ Bibliothecæ Philippi Labbé.

4. Quod ad Litteras, Diplomata, Actáque, in cauſa Schiſmatis Nicolaum V. Papam inter, atque Amedeum, Felicem V. nuncupatum, orti, attinet, ea tantùm publicaui quæ Doctiſſimus

Raynaldus ſuis Annalibus Eccleſiaſticis non inſeruit: nonnulla ego in quibuſdam litteris ſæpiuſculè repetita, Lectori nauſeam ne mouerent, expunxi.

5. Georgij Pogiebracij, ſiue Podiebracij, Huſſitarum fautoris acerrimi, (qui Boëmiæ regnum arte ac vi occupauerat) Epiſtolam ideò vulgaui, vt verſutia eius & vafrities clariùs eluceſcat. Hiſtoriam verò ſeu potiùs tragœdiam Podiebracij latiſſimè proſecutus eſt ac doctiſſimè, more ſuo idem qui ſuprà Odolricus Raynaldus. Tom. 18. Annal. Ec. ab. ann. 1442. ad 1448.

Denique ſcito Lector, maximam partem Epiſtolarum, Chartarúmque, ſuppeditaſſe è ditiſſimo atque inexhauſto penu ſuo litterario Clariſſ. V. Antonium Vionem, Dominum d'Herouual, virum de litteratis optimè meritum: quod & infrà diſces in Elencho.

V. Chronicon Hariulfi monachi S. Richarij Centulenſis.

Abbatiæ Centvlensis, nunc S. Richarij, Chronicon humanitati debeo C. V. Franciſci Ducheſnij, quod ſua manu olim parens eius deſcripſerat præter quædam miracula nullius momenti, miniméque filum hiſtoriæ intercidentia. Chronicon iſtud ſe contexuiſſe, ſeu veriùs perfeciſſe ipſe Ariulfus ſcribit ad hunc modum in fine: *Ego Frater Ariulfus Monaſterij S. Richarij humilis Monachus, hoc de Sancti loci noſtri nobilitate & vtilitatibus, à Domno Saxowalo ante plures annos inchoatum Opus Deo auxiliante perficiens, &c. Completum eſt autem Humanitatis Filij Dei anno 1088.* Conſulas velim Clariſſ. V. Pauli Petauij *Breue Syntagma de Nithardo* (qui Abbas exſti- Pag. 616.

tit Centulenſis) *& eiuſdem proſapia* : quod & repetita editione inſeruit Andreas Ducheſnius tomo 2. pag. 351. Veterum Scriptorum hiſtor. Franc. Ibi reperies multa ſcitu digna, quæ Chronici, quo de agitur, libro ſecundo lucis afferunt non parum. Reperies & effigiem, in ære inciſam, Eccleſiæ ſiue Eccleſiarum Centulenſis Monaſterij cum hac epigraphe: *Eccleſiarum ab Angilberto apud Centulam anno* DCCCXIX. *conſtructarum, è ſcripto codice* EKMAΓEION. Habet, fateor, Chronicon Centulenſe næuos aliquot parachroniſmóſque : nonnullos in margine prout memoria ſuggeſſit indigitaui, ceteros omiſi erudito Lectori corrigendos.

VI. Martyrologiũ vetuſtiſſimum S. Hieronymi nomine inſignitũ.

VETVSTISSIMVM MARTYROLOGIVM , S. Hieronymo attributum reperi quidem in codice Monaſterij Corbeïenſis ſcripto abhinc circiter annos 600. (quod Hugo Menardus prelo inferendum parauerat ante annos vndeviginti) at næ ego tanquam germanum fœtum integrúmve eidem Doctori nolim aſſerere, cùm plures ipſo recentiores Sanctos conſtet diuerſis temporibus tam à Clericis quàm à Monachis pro libitu fuiſſe adjectos, potiſſimè Patronos alióſque, qui anniuerſario cultu cuiuſque in Eccleſijs celebrabantur. Similes paſſa ſunt acceſſiones Bedæ, Vſuardi, Adonis Martyrologia : quapropter cogerentur identidem eruditi viri his ipſis Martyrologijs fidem denegare , ni adiecta ſecernerent. Eo quoque ductus animo, complures (non tamen omnes) Hieronymo ætate poſteriores,prout

Digitized by Google

in mentem venêre, mutato charactere notari curaui, quod & ante me præſtiterat pleriſque in locis Menardus noſter. Prætermiſi duas Epiſtolas, quæ, etſi præferunt nomina Heliodori & Hieronymi, falſi arguuntur. Legeſis caput quintum Præfationis Baronij ad Martyrologium Romanum, ac duo ſequentia capita, vbi Epiſtolæ illæ referuntur, confutantur ; déque Martyrologio Hieronymi perperam nomini adſcripto prolixiùs pertactatur: Quamquam non deſunt Scriptores, iíque viri graues & optimæ notæ, qui Hieronymum conſcripſiſſe Martyrologium, aut interpretem fuiſſe Euſebij, fidem faciant. Venerabilis Beda in Retract. in Acta Apoſt. cap. 1. hæc ait: *Adſtipulatur & liber Martyrologij qui Hieronymi nomine ac præfatione attitulatur ; quamuis idem Hieronymus illius libri non auctor, ſed interpres; Euſebius autem auctor exſtitiſſe narrretur.* Idem Martyrologium laudat in cap. 6. Euangelij Marci. Walafridus Strabo in libri de rebus Eccleſ. cap. 28. *Hieronymus Martyrologium, ſecutus Euſebium Cæſarienſem, per anni circulum conſcripſit, &c.*

Verum enim verò delectat excerpere, & Præfationi meæ inſerere, præcipua è Diſſertatione V. C. Henrici Valeſij *De Martyrologio Romano, quod edidit Roſweydus*, teſtimonia, tum propter ſingularem eius doctrinam, diligentiámque, tum propter amicitiæ vſum, tum præſertim quòd validis argumentis apertè demonſtret nullum hactenus Martyrologium noſtro antiquius publicam prodiiſſe in lucem. Primùm itaque pro-

bat Eccleſiam Romanam olim proprium ac peculiare nuſquam habuiſſe Martyrologium, quo vniuerſa vteretur Eccleſia, ante illud quod juſſu Xyſti V. Pontif. Maximi editum eſt; ſed nobiliores Eccleſias ſuos ſemper faſtos habuiſſe, in quibus & Epiſcoporum nomina & Martyrum, qui apud ipſos paſſi fuerant, natales dies erant perſcripti. Deinde latiùs probat Martyrologium quod publici juris facimus, auctoritate potiſſimùm Gregorij Magni, omnium cenſeri debere vetuſtiſſimum, ac veluti fontem ceterorum. *Locus Gregorij*, ait Valeſius, *ex Epiſtola ad Eulogium Alexand. Epiſcopum ſic habet*, Nos pœnè omnium Martyrum, diſtinctis per ſingulos dies paſſionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Miſſarum ſolemnia agimus, non tamen in eodem volumine quis qualiter ſit paſſus indicatur, ſed tantummodò locus paſſionis ponitur: Vnde fit, vt multi ex diuerſis terris atque prouincijs per dies (vt prædixi) ſingulos agnoſcantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatiſſimos credimus. *Nullum hîc verbum de Romano Martyrologio, &c. Quare Martyrologium illud cuius ibi meminit Gregorius, non fuit proprium Eccleſiæ Romanæ, ſed commune cum reliquis Occidentalibus. Hoc autem non aliud fuit eo tempore, quàm Martyrologium B. Hieronymi. De hoc igitur intelligendus eſt Gregorij locus. (certè hoc B. Hieronymi Martyrologium in Italia atque in Occidentis partibus vulgò receptum fuiſſe docet Caſſiodorus in libro*

de

de Diuinis lectionibus cap. 32. Ex quo colligitur Martyrologium illud licet falsò nomen Hieronymi præferat, tamen vetustißimum esse, ac paulò post obitum ipsius Hieronymi à nescio quo euulgatum. Legimus illud nuper, à viro doctißimo religioßißimóque D. L. D. ex Bibliotheca S. Germani nobis commodatum: simúlque perspeximus, verba Gregorij Magni huic Martyrologio egregiè conuenire. Quod enim ait Gregorius, locum duntaxat & diem passionis in eo volumine positũ fuisse, id in illo B. Hieronymi Martyrologio perspicuè deprehenditur. Deinde quod Gregorius addit, per dies singulos, *notata illic fuisse multorum Martyrum nomina, id etiam cernere licet in illo quod dixi Martyrologio, in quo nullus dies est sine Martyrũ turma, contra quam in Martyrologio Rosweydi. Quare locus Gregorij Magni nullo modo accipi potest de Martyrologio illo quod pro vetere edidit Rosweydus: cùm in illo Rosweydi Martyrologio vnius ferè Martyris nomen singulis diebus adscriptum sit.* Huc vsque Valesius. Cætera quæ ad nostrum propositum nequaquam faciunt, ne sim prolixior, atque adeò Lectori tædium generem, prætermitto.

Ex his omnibus liquet euidentissimè, vt quidem sentio, illos haud leuiter falli, qui autumant eò antiquiora esse Martyrologia, quò breuiora; scilicet in quibus vnius aut alterius Sancti nomen cuilibet diei assignatur: id sanè indubitatum forsitan esset, si nunc Martyrologia primi vel secundi Christiani sæculi haberemus. At cùm in confesso sit apud omnes ante Eusebij tempora vllos Fastos, vlla Calendaria, vlla denique Mar-

tyrologia nullibi gentium reperiri, fatendum eſt, ac certò tenendum, quod affirmat ex Gregorio Valeſius, nempe illud vetuſtius cenſendum eſſe *Martyrologium in quo multorum ſimul Martyrum nomina per ſingulos anni dies deſcripta ſint, addito paſſionis eorum loco.*

Poſtremò vt mendis quibuſdam expurgarem Martyrologium quod edo, ſubſidij nonnihil attulêre folia in ære inciſa, (multò licet pluribus næuis quàm noſter codex aſpergantur) quæ ad me comitate ſingulari miſit Antuerpiâ vir induſtrius & clarus Baltazar Moretus, Hieronymiani Martyrologij maximam partem complectentia; videlicet ab initio ad XII. Kal. Iulias. Ea Saxonicos characteres, velut exſtant in MS. vnde deſumpta ſunt, referunt. Et hanc incidendi curam ſuſcepiſſe parentem ſuum, vt bono publico conſuleret, mihi aſſeruit Moretus, cùm anno proximè elapſo noſtram Pariſijs inuiſeret Sangermanenſem Bibliothecam.

Præfationi finem impoſueram, manúmque è tabula ſuſtuleram, cùm menſes Martyrologij, qui in præfatis folijs deſiderantur à XII. Kal. Iulias ad finem vſque, R. P. Iohannes Bollandus S. I. Preſbyter, vir antiquæ rei peritiſſimus, ac diligens indagator, è membranaceo codice exſcriptos, vti ipſum litteris interpellaueram, tranſuehi ad me quantâ potuit diligentiâ curauit. Verùm quia Martyrologium propè totum jam typis erat impreſſum quum menſes illos accepi, nonniſi perpaucas potui ſupplere lacunas.

Digitized by

ELENCHVS
CONTENTORVM IN TOMO QVARTO SPICILEGII.

An. Ch. DCCC.XXII — STATVTA ANTIQVA Abbatiæ S. Petri Corbeïensis à S. ADALARDO Abbate Ord. Sancti Benedicti præscripta, *pag.* 1

* Circa an. MLXX. — ANTIQVIORES CONSVETVDINES Cluniacensis Monasterij, Collectore * S. VDALRICO Monacho Benedictino, 21
Ex MSS. Nicolai Camuzatij, & nostro.

Anno circiter M. LXXX. — SERMO, siue Sententiæ LANFRANCI Archiepiscopi Cantuariensis, 227
Ex MS. Collegij Æneonasensis Oxoniæ.

MISCELLANEA EPISTOLARVM, CONCILIORVMQVE ALIQVOT, AC DIPLOMATVM. 229

DCCC-XXXVIII. 1. Litteræ Monachorum S. Remigij Remensis, quibus societatem ineunt cum Monachis S. Dionysij in Francia, 229
Ex MS. S. Remigij Remens. O. B.

M. XLIV. 2. Gregorij Papæ VII. quibus à Christianis subsidia ad instaurandas Basilicas SS. Petri & Pauli Romæ expoſcit, 232
Ex MS. S. Albini Andegauensis. O. B.

M. XCVII. 3. Decretum siue Decreta Vrbani Papæ II. in Nemausensi Concilio, cui præsidebat, 234
Ex MS. eiusdem Monasterij.

M. CI. 4. Donatio terræ Rumiliaci facta Molismensi Monasterio ab Hugone Comite Trecensi, 237
Ex eiusdem Monasterij Chartulario. O. B.

M. CIV. 5. Concilium Trecense approbat hanc donationem, 239
Ex eodem MS.
Iterum approbat Concilium, 243
Ex eodem MS.

M. CVIII. 6. Hildeberti Cenomanensis Episcopi Epistolæ; 244
7. Eiusdem, 245
8. Eiusdem, deflet calamitates Paschali Papæ, ac Romanæ Ecclesiæ inflictas ab Imperatore, 245
9. Eiusdem. Tanquam apologeticus eiusdem S.P. calumnias ipsi falsò impositas diluere curat, probans quàm prudenter ille ac præclarè se gesserit, *ibid.*

10. Eiuſdem, 252
11. Eiuſdem, *ibid.*
12. Eiuſdem. Conſilium dat Fratri à Diabolo ad libidinem prouocato, 252
13. Eiuſdem. Amoris Dei & amoris mundi differentia, 255
14. Eiuſdem. Honorio S. P. rationem reddit cur ſibi impoſitam cauſam inter Widonem de Credonio & vxorem eius definire non potuerit, 256
15. Eiuſdem. Sandaliorum formam mittit, quid ſignant: & quare textus Euangelicus Epiſcopo apertus, alijs clauſus offertur, oſtendit. *Iſtæ Hildeberti Epiſtolæ ex MS. Bibliotheca Bigotiana Rotomagenſi à Doctiſſimo viro Lanfranco Bigot mihi benevolè indicato, & tranſmiſſo,* 257

M.XCVIII. 16. Stephani Comitis Carnut. & Bleſ. Adelæ vxori ſuæ refert quæ in caſtris ante Antiochiam à Chriſtianis acta ſunt, 257
E ſchedis eruditiſſimi, ſcriptiſque clariſſimi Hadriani Valeſij.

M.CXXXII. 17. Hvgonis Castrinovi. Confirmat ea quæ conceſſerat Canonicis Regg. Abbatiæ S. Vincentij in nemore, Diœceſis Carnot. 261
E ſchedis. V.C. Antonij de Vion Domini d' Herounal.

M.C.LXX. 18. Lvdovici VII. Franc. Regis. Aſſignat Fratribus S. Ioannis de Sebaſte XX. libras annui reditus è caſtro Nantonis percipiendos, 263
Ex iiſdem ſchedis.

M. C. LXXVII. 19. Charta fundationis Carthuſiæ Luuigniacenſis à Galtero Lingonenſi Epiſcopo facta, 264
Ex ſchedis N. Camuzat.

M CC. XLIII. 20. Raymvndi Comitis Toloſani. Ab excommunicatione à Fratribus Ord. Prædicat. prolata Epiſcopos appellat. 265
Ex MS. D. d' Herounal.

M.CCC.XV. 21. Lvdovici X Franc. Regis Gazoni Epiſcopo Laudu. Mandat Rex vt Siluanectum ad examinandam Petri Catalau. Epiſcopi cauſam conueniat, 268
Ex eodem.

M.CCC.XVI. 22. Roberti Archiep. Remenſis. Rogat Archiepiſcopos & Epiſcopos, vt Siluanectum petant diſcutiendi gratiâ cauſam Petri Catal. Epiſcop. 268
Ex eodem.

23. Ægidii Archiep. Rotomag. Ludouico Regi. Certas ob cauſas Regi notas Conc Siluanectenſi intereſſe recuſat, 270
Ex MS. D. d' Herounal.

Digitized by Google

M. CCC. XLIII. 24. CLEMENTIS Papæ VI. Reginæ Franciæ, 271
Ex MS. S. Florentij Salmurienſ. O. B.

M. CCC. XLVII. 25. Eiuſdem. Gratias agit Reginæ Ioannæ quòd ipſa effecerit, vt ſententiam, in Cardinales, ac eorum & Papæ familiares, ne beneficijs in Gallia potirentur, latam, Rex abrogaret. Deinde agit de lite in Regem Angliæ motam, 272
Ex eodem MS.

Eiuſdem ad Ioannem Regem Franc. & Ioannam vxorem eius. *Quæ ſequuntur Epiſtolæ * varia continent priuilegia Regibus indulta, V, Indicem rerum in verbo,* Reges Francorum, 274
* vſque ad 55.
Ex Eodem.

M. CCC. LXXV. 55. GREGORII Papæ XI. Carolo Regi Franc. Quòd conferre poſſit Rex Capellam Montis Caluariæ in Ieruſalem, 298
Ex eodem MS.

M. CCC. LXX. 56. VRBANI Papæ V. Carolo Regi. Quem ipſe elegerit Confeſſarium, valeat in mortis articulo remiſſionem omnium peccatorum indulgere, 299
Ex eodem MS.

M. CCC. LXXVI. 57. GREGORII Papæ XI. Carolo Regi & Ioannæ Reginæ. Eſum ouorum, lactis, butyri, & caſei tempore Quadrageſimæ permittit, 300
Ex eodem MS.

M. CCC. LXXVIII. 58. PILEI DE PRATA Archiep. Rauennatis S. R. E. Cardinalis, ad Ludouicum Comitem Flandriæ. Scribit quæ geſta ſunt in electione Vrbani VI. S. P. & Comitem hortatur ad partes eius tuendas, 301
Ex MS. Abbatiæ Gemeticenſis. O. B.

M.CCCC.VI. 59. RESPONSIO Prælatorum, & aliorum virorum Eccleſiaſticorum, per Ducem Bedfordiæ, tunc aſſertum Regem Franciæ, Pariſios vocatorum, vt aſſenſum præbeant exigendi ſubſidia à Clero velut à Laïcis, 309
Ex D. d'Heronual MS.

M.CCCC.XV 60. EPISTOLA Regi directa per Prælatos Eccleſiæ Gallicanæ Bituricis congregatos, ad obtinendam exemptionem ſubſidij 40. ſolidorum ſuper qualibet cauda vini de nouo impoſiti, 314
Ex eodem.

M. CCCC. XLIV. 61. CAROLI Regis Franc. Fœdus pacis initum cum Electoribus Romani Imperij & Rege Angliæ, 318
Ex eodem MS. D. d'Heronual.

M. CCCC. XLVII. 62. PROPOSITIONES ad dirimendum ſchiſma tempore Amedei, Felicis Papæ V. nuncupati, *Ex eodem.* 321

63. PRO PACE Eccleſiæ propoſitiones ad cogendum Concilium generale, 326
Ex eodem.

64. Inſtructions à Monſeigneur de Reims, Monſeigneur de Clermont, M. de la Fayette, M. Helie de Pompadour, M. Thomas de Courcelles, &c. de ce qu'ils ont à faire touchant la matiere de la paix & vnion de l'Egliſe, 331
Ex eodem.

65. NICOLAI Papæ V. Carolo VII. Regi Franc. Regem reddit certiorem de ſui electione in S. P. rogátque vt in eius Regno fiant ſupplicationes, 334
Ex authographo eiuſdem.

66. Eiuſdem. Amedeum omni dominio Sabaudiæ priuatum, atque illud ad Regem Franciæ deuolutum declarat. Deinde Fideles adhortatur vt ſumant arma in Amedeum, eiúſque ſequaces, 336
Ex eodem.

M. CCCC. XLVIII. 67. Eiuſdem. Pace Eccleſiæ data, quæ ſchiſmatis tempore ſunt acta, omnia rata vult ac decernit Pontifex, 338
Ex eodem.

68. FRIDERICI Imp. Carolo VII. Regi Franc. Priuſquam Oratores ſuos mittat ad pacem Eccleſiæ conciliandam, rogat vt mentem ſuam Rex planiùs aperiat, 341
Ex eodem.

69. NICOLAI Papæ V. Carolo VII. Franc. Regi. Gratias agit quòd Rex maximam curam impenderit vt pacem Eccleſiæ conciliaret, *Ex eodem.* 342

M. CCCC. XLIX. 70. ORATORVM Regis Franciæ in cauſa Nicolai Papæ V. & Amedei Felicis itidem Papæ V. nuncupati. Promittunt Amedeo tres Bullas, queis abrogantur omnes lites, priſtino gradui aſſeruntur priuati aliquo officio, & confirmantur quæ ex vtraque parte ſunt acta, 345
Ex autographo D. d'Heronval.

71. Oratorum Delphini Viennenſis. Eiuſdē eſt argumenti, 347
Ex eodem.

72. DECRETVM Synodi Lauſanenſis. Abrogat cenſuras occaſione ſchiſmatis inflictas, 347
Ex eodem.

73. NICOLAI Papæ V. Carolo Regi Franc. Gratias agit ob impenſam in extirpando ſchiſmate operam, 350
Ex eodem.

74. DECRETVM Synodi Lauſanenſis. Rata volunt Patres quæ tempore ſchiſmatis ſunt ordinata, 352
Ex eodem.

Digitized by Google

75. EPISTOLA bullata Amedei siue Felicis Papæ V. Licet Papatui renuntiet, rata decernit acta sui Pontificatus tempore, *Ex eodem.* 361

76. Eiusdem. Reuocat, abrogátque omnes censuras ratione schismatis latas, 362
Ex eodem.

77. Eiusdem. Omnes electiones, priuilegia, & cætera id genus à se collata, valitura decernit, 363
Ex eodem.

78. IACOBI Iuuenalis de Vrsinis Episcopi Pictauiensis, Dominis Curiæ Parisiensis computorum. Ob pacis Ecclesiæ fœdus initum supplicationes in gratiarum actiones decernant, exhortatur, 366
Ex eodem.

79. NICOLAI Papæ V. Irritas decernit quascunque censuras inflictas schismatis occasione, 368
Ex eodem.

Cætera quæ ad schisma illud euellendum vltrò, citróque peracta sunt, videsis in to. 18. Annal. Eccles. Odolrici Raynaldi ad annos 1447. 1448. & seqq.

M. CCCC. LII. 80. Eiusdem. Ad Franciscum Sfortiam Ducem Mediolanens. Ad pacem ineundam adhortatur, 371
Ex eodem.

81. Eiusdem. Carolo VII. Franc. Regi. Quòd nonnulla postulet Rex contra Canonum statuta, concedere non posse significat, 373
Ex eodem MS.

M. CCCC. LIV. 82. FRIDERICI Imper. Carolo Regi Franc. Hortatur ad comparandum exercitum in Turcas, qui nuperrimè Constantinopolim ceperant, 376
Ex eodem.

M. CCCC. LV. 83. CALLISTI Papæ III. Carolo VII. Galliæ Regi. Certiorem reddit de sua in S. P. electione; mentémque suam aperit de pellendis Turcis Constantinopoli, 381
Ex eodem.

84. Hac de re VOTVM eiusdem, 383
Ex eodem.

85. S. R. E. Cardinalium Carolo VII. Galliæ Regi. Narrant quid in electione Calliſti peractum fuerit; eiúsque votum de pellendis Turcis significant, 384
Ex eodem.

M. CCCC. LVI. 86. LADISLAI Regis Hungariæ Calliſto Papæ. Eius votis satisfacturum se spondet; asserítque paratum habere exercitum in Turcas, *Ex eodem.* 386

Digitized by Google

87. Ioannis Cardinal. S. Angeli Calliſto Papæ. Certiorem reddit de Regis Hungariæ exercitu aduerſus Turcas : íd-que vt agant Duces Italiæ efficiat, 389
Ex eodem.

88. Callisti Papæ Carolo Regi Francor. Gratias agit quòd Rex permiſerit decimam in ſubſidium exercitus contra Turcas, *Ex eodem.* 391

89. Ioannis de Huniad Dionyſio Cardinali. Refert ſe victoriam reportaſſe de Turcis, qui caſtrum Nandualbenſe, j, Taurunum, obſederant, 392
Ex eodem.

M. CCCC. LVII. 90. Henrici IV. Anglorum Regis. Gratulatur Cardinali quòd à S. P. Legatus fuerit electus ; ac non poſſe quod à ſe exigit Papa, conferre, 394
Ex eodem.

91. Ioannis Card. tit. S. Angeli Carolo Regi Franc. Poſtulat vt Rex exercitum mittat in Turcas, 397
Ex eodem.

M. CCCC. LIX. 92. Pii Papæ II. Carolo Regi Galliæ. Excuſat ſe quòd eius petitionibus non conſentiat, 400
Ex eodem.

M. CCCC. LXXIII. 93. Bessarionis Cardinal. Ludouico Regi Franc. Se Legatum à S. P. electum ſignificat, vt pacem inter Regem & Duces Burgundiæ & Britanniæ componat, 401
Ex eodem.

Circiter M. CCCC. LXVIII. 94. Georgii Pogiebracii Regis Boëmiæ Apologetica Mathiæ Regi Hungariæ. Injuſtè ſe ob prætentam de communione ſub vtraque ſpecie hæreſim damnatum à Legatis Cardinal. & à S. P. conqueritur, ac huiuſce litis rem totam aperit, 404
Ex eodem.

M. CCCC. LXIX. 95. Pavli Papæ II. Archiepiſcopo Lugdunenſi. Sententiam excommunicationis latam in Georgium de Pogiebrat mandat vt promulget, 417
Ex eodem.

M. LXXX. Chronicon Eccleſiæ Centulenſis ſiue S. Richarij, Auctore Hariulfo Monacho O. B. *Ex MS. V. C. Franciſci Cheſnij,* 421

Martyrologivm Vetuſtiſſimum S. Hieronymi Preſbyteri nomine inſignitum. *Ex antiquiſſimo MS. Abbatiæ Corbeienſis O. B.* 617

STATVTA

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIV. Galliæ & Nauarræ Regis authoritate ſancitum eſt, ne quis in Regno ſuo, aliiſque locis ſuæ ditioni ſubjectis, Librum cui titulus : *Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum, latuerant*, SPICILEGIVM. Videlicet, Statuta antiqua Corbeïæ à S. Adalardo ; Antiquiores Conſuetudines Cluniacenſis Monaſt. Collectore S. Vdalrico ; Sententias Lanfranci ; Miſcellanea Epiſtolarum, Conciliorum, ac Diplomatum ; Chronicon Centulenſe ; Martyrologium S. Hieronymi nomine inſignitum ; & alia in Diplomate contenta ; abſque D. Lucæ Dacherij conſenſu, aut eorum quibus permiſerit, intra Viginti annos, prout ampliùs in Diplomate continetur. Lutetiæ Pariſiorum 19. Iunij 1654.

Sic Signatum,

De Mandato Regis.
LE COQ.

Conceſſio indulti Priuilegij.

PRæfatus Lucas Dacherius conceſſit Carolo Savreux Bibliopolæ Pariſienſi vti indulto Priuilegio. Pariſijs in Abbatia S. Germani à Pratis die 10. Octobris 1660.

Sic Signatum,

F. LVCAS D'ACHERY.

Errata.

PAg. 3. lin. 12. l. *adde poſt* illud, quod. pag. 4. lin. 8. duo. l. 11. p. 13. lin. 9. l. inæqualitatem. Ibid. lin. 36. l. ne quis. Ibid. p. 15. lin. 12. l. coquinam. p. 17. lin. 18. l. dignus. p. 19. lin. 17. l. ſufficientes. Ibid. lin. 30. nuditate. l. diuerſitate. p. 24. lin. 21. l. gratia. p. 230. lin. 31. l. Hilduinus. pag. 453. in marg. lin. 19. l. Andreas Ducheſnius. p. 620. lin. 13. *poſt* Simeonis *dele punctum.*

STATVTA ANTIQVA ABBATIÆ S. PETRI CORBEIENSIS.

BREVIS, QVEM ADALARDVS ad Corbeïam regreſſus anno Incarnationis Domini DCCC. XXII. Menſis Ianuarij, Indictione XV. Imperij verò glorioſi CHLVDVICI AVGVSTI VIII. fieri juſſit.

CAPVT PRIMVM.

ISTI ſunt [a] Prouendarij qui omni tempore æqualiter & pleniter in noſtris diebus eſſe debēt. Et ſi vnus ex eis mortuus fuerit, ſtatim alter reſtituendus eſt, vt ille numerus ſemper ſit plenus, & nullus ampliùs in illo numero addatur. Et quamuis modò ſint alij Clerici ſuperflui, ſicut eſt Sauaricus, & aliquanti alij ad illā cellam; vel laïci aliqui, ſicut ibi ad ipſam cellam, & ſicut illi Winedi, & Geriola, & Bruningus Saxo, vel Germanus Biturad, vel ſi alij adhuc mittantur Clerici, vel laïci; non tamen ad illum numerum CL. adjungendi ſunt; ſed ſemper ſeparatim habendi, & tunc liberandi [b] ſunt ſecundum quod temporis ille qui præeſt eis, ſingulis dare juſſerit. Iſti verò

[a] Prouendarij à prouideo, Gallicè, *Pourueyeurs.*

[b] Id eſt, *Tribuendi*, vt conijcio.

CL vno ſemper tenore in noſtris diebus liberandi ſunt, ſicut hodie per ſingulas officinas liberantur; alij ſic, alij verò ſic, quod ideò hîc ſcribere neceſſe non fuit, quia ex vſu quotidiano tam dantibus, quàm accipientibus notiſſimum eſt; & ipſi [c] Miniſteriales habent inde ſinguli breues ſuos; id eſt, Camerarius, Cellararius, & Seneſcalcus.

DE CLERICIS. Pulſantes XII. Alij Clerici VII. Exhis ad Cellararium I I. ad [d] Lauendariam Fratrum vnus: Ad [e] Curticulam Abbatis vnus: Ad domum infirmorum tres. Aliæ verò neceſſitates quas Clerici facere debent, per Pulſantes fiant. Et ideò neceſſe eſt, vt tales ibi ponantur, qui omnes neceſſitates interiores facere poſſint, & de familia noſtra ſint; nec contradicere [f] quicquam audeant, & juxta quod eſſe poteſt vt Officiales ſint & de ipſo officio, vel religione ſua, poſt Præpoſitum & Decanum, ad Cuſtodem Sancti Ioannis reſpiciant: nec omninò ſine cuſtodia relinquantur: ne propter aliquam turpitudinem illorum Religio Monaſterij blaſphemetur.

ITEM DE LAÏCIS. [g] Matricularij duodecim. Laïci triginta. Ad primam Cameram ſex, Sutores tres; [h] Caualarij duo; Fullo vnus. Ad ſecundam Cameram quatuordecim. Ex his ad Cameram vnus; Fabri groſſarij, ſex; Aurifices duo; Sutores duo; Scutarij duo: [i] Pergaminarius vnus; [k] Saminator vnus; [l] Fuſarij tres. Ad tertiam cameram, tres: Ad Cellarium & Diſpenſam Portarij duo: Ad domum infirmorum vnus; [m] Gararij duo; Ad lignarium in priſtrino vnus; ad portam medianam vnus; Carpentarij quatuor; [n] Mattiones quatuor; Medici duo; Ad caſam vaſſallorum duo. Iſti ſunt infra Monaſterium.

ISTI VERÒ EXTRA MONASTERIVM. Ad Molinum duodecim: Ad piſcariam ſex; Ad ſtabulum duo; Ad hortos octo; ad [o] Buriam ſeptem; [p] ad Arboretam nouam duo; [q] Berbicarij duo; ad [r] Viuarium quinque.

c Miniſteriales, ſ. miniſtratores, qui rem familiarem adminiſtrant.
d Lauacrum, gal. *Lauoir*.
e A cohorte deriuatur, id eſt hortus gal. *Courtil*.
f Quiquam.
g Matriculatij. gal. *Marguilliers* Cuſtodes Eccleſiaſtici, ſiue adminiſtratores: ſiue etiam qui curam gerunt pauperum.
h *Siue*, Cabalarij, fortè ijdem qui Gallicè, *Canaliers* appellantur, vel aurigæ.
i Qui membranas, ſiue pergamenũaptat. *al.* Samiator, *ſine* Samiarius, & cotarius: qui cote acuit.
l *ſine* Fuſores.
m Gallicè, *Gruriers*, i. qui nemoribus ſecandis præſunt.
n A Mattya, vnde Mattyones, hi qui edulia præparant, lignari videntur.
o Buria locus vbi lintea dealbantur, ſeu luxiuio ſordes abluuntur. Gall. *Buerie*, inde *Buée*.
p *Siue*, Arboretũ locus arboribus conſitus. q Berbicarij, Gal. *Bergers*, Paſtores ouium. r Viuarium vbi piſces nutriuntur, Gal. *Viuier*.

CAPVT II.

ISti autem ſunt dies tredecim, in quibus eis propter amorem Dei, & horum ſanctorum dierum, excepto [f] pro-

f Id eſt, Præbenda, ſiue ſtipendio.

uenda ſunt, ſi non ampliùs, vel talis conſolatio danda eſt : Id eſt inter duos, panis vnus vaſſallorum talis qui fiunt ex modio vno triginta ; & vnicuique cuiuſlibet generis pulmenti media libra : & vnicuique plenus calix, ſi fuerit vnde, de vino, ſin autem de ceruiſa Fratrum. Natiuitas Domini: Theophania : Miſſa Domnæ Balthildæ ; & ipſo die de miniſterio Camerarij : Purificatio ſanctæ MARIÆ : die Dominica initium Quadrageſimæ ; Cœna Domini: Paſcha ; Aſcenſio Domini: Pentecoſte : Miſſa Sancti Ioannis Baptiſtæ ; Sancti Petri ; Sancti Martini ; Sancti Andreæ.

Similiter etiam iſti ſunt dies, quibus eis ab opere [r] dominico parcendum eſt (excepto illud ad victum præparandum pertinet) Natiuitas Domini : S. Stephani : S. Ioannis: Natale Innocentium : Octaba Domini : S. Teophaniæ: Miſſa Domnæ Balthildæ : Purificatio S. MARIÆ : Primo die jeiuniorum Quadrageſimæ ; adeò vt ſpatium habeant Confeſſiones ſuas renouare ; Cœna Domini : Paraſceue: Sabbato Sancto : Quarta feria in Paſcha. Rogationes, triduo ; Aſcenſio Domini : S. Ioanis Baptiſtæ. S. Petri: S. Marcellini : S. Firmini : S. Martini ; S. Andreæ : Vigilia Natalis Domini. Et illi dies de quatuor temporibus.

[r] Opus indicat ſiue obſequium Dominis debitum.

CAPVT III.

HÆc ſunt quæ Clericis noſtris Canonicis ſupra ſcriptis, qui ſpecialiter Pulſantes diçuntur, dari debent. De veſtimento ; Tunicas duas albas, & tertiam de alio colore : Et caligas quatuor ; femoralia duo : [u] ſoccos [x] filtrinos duos ; Calcearios quatuor cum [y] Solis nouis, exceptis denariis octo ad calceamentum ; [z] Vuantos duos ; [a] Mulfolas duas. Hæc omnia anno. Cappam verò de ſago ; & [b] pelliciam ; [c] Cottum aut lectarium, ſiue ſagum, in tertio anno accipiant. Iſta omnia de illo veſtimento debent accipere, quod fratres reddunt dum accipiunt nouum, & talia de his eligantur illis, qualia inueniri poſſunt vtiliora. Cæterùm [d] capellæ, [e] hroccus, ſiue [f] cuculla de ſago vnde hroccus fieri poſſit, ad arbitrium Prioris erit.

[u] Genus calceamenti, Gal. *Soques.*
[x] Filtrinos, ex filtro ſeu groſſiori panno : Gal. *Feutre.*
[y] F. Soleis, Gal. *Pantoufles.*
[z] Siue, Guantos, Gal. *Gans.*
[a] Chirothecas, aliàs, Muffulas, Gal. *Mouffles*, aliter. *Mitaines*, hoc eſt chirothecæ ampliores.
[b] Veſtis è pellibus, Gal. *Peliſſon*, vel pelliceæ nomine venit Armilauza, ſiue almutia, vulgò, *Aulmuſſe.*

[c] Tria hæc verba in idem incidunt, ſignificantque pallium quadratum ſiue coopertorium lectis inſeruiens. [d] Cappæ diminutiuum, clamydem interpretor. [e] Siue Roccus, veſtem ſupremam ſignificat : hinc Itali Rochetum vocitant ; [f] vel Frocus, Floccuſue hîc pro veſte quæ totum à capite corpus tegit, vſurpatur.

CAPVT IV.

CONſtituimus ad Hoſpitalem pauperum quotidie dare panes de [f] mixtura factos, quadraginta quinque, librarum trium & dimidiæ, & de frumento vel [g] ſpelta panes quinque, quales Vaſſalli accipiunt, vt fiant ſimul quinquaginta. Ipſi verò panes iſto modo partiantur, vt duodecim pauperes, qui ſupra noctem ibi manent, accipiant ſinguli vnuſquiſque panem ſuum, & in craſtinum vnuſquiſque ad viaticum dimidium. Hoſpitalarij autem duo, qui ibi deſeruiũt, de ſupra ſcripto numero vnuſquiſque panem vnum: nam panes quinque frumentacij debent partiri inter peregrinos Clericos, qui in refectorium ducuntur ad viaticum, & infirmos, qui ibi ſuſtentantur: ipſam tamen diſtributionem panum arbitrio committimus Hoſpitalarij; ea videlicet ratione, vt ſi venerit major numerus pauperum, aut plus aut minus indigentes, ſicut ſunt inedia defecti, aut pueruli paruuli, ipſe diſcernat, iuxta quod oportet. Quòd ſi contigerit aliquo tempore minus venire pauperes, ipſe Hoſpitalarius, & Magiſter eius ſenior Portarius, in memoriam omnimodis habeant, quanto de ſupra ſcripto numero propter paucitatem venientium minus diſpenſatur, vt iterum cùm plures venerint, quod remanſit, diſpenſetur.

Cæteris verò pauperibus venientibus, & eadem die recedentibus, ſolet dari quartarius, vel, ſicut diximus, iuxta quod Hoſpitalarius præuiderit in majori vel minori numero aut neceſſitate [h] compedire, [i] companaticus, aut ſecundum conſuetudinem, tribuatur.

De potu autem quotidie detur modius dimidius, id eſt ſextaria VIII. de quibus diuiduntur ſextaria quatuor inter illos duodecim ſupra ſcriptos, ita vt vnuſquiſque accipiat calices duos. Ex aliis quoque quatuor ſex dantur Clericis, quibus pedes lauantur à Fratribus, vnicuique calix vnus, & willeranno ſeruitori calix vnus: quod reſiduum fuerit, in arbitrio Hoſpitalarij relinquimus quomodò illud ſiue infirmis, ſiue aliis pauperibus diuidat. De vino autem erit in arbitrio Prioris. [k] Infirmorum autem neceſſitatem ſenior Portarius debet juxta poſſibilitatem prouidere, ſiue in cibo,

[f] Siue miſtura, Gal. *Pain de meteil*, miſcellus panis.

[g] Spelta frumenti genus: quidam viciam appellant.

[h] Pro competere, vel expedire.

[i] Forte. companagium, quicquidcum pane ſumitur aut apponitur.

[k] *Addit alter Codex*: De laicis autem

ſiue in potu, in his rebus quæ Hoſpitalario deſunt ad opus infirmorum.

Si contigerit venire peregrinos de longinquis prouinciis, qui ſupra ſcriptum numerum excedant, portarius prouideat eis quæ neceſſaria ſunt, ita vt non minuatur quicquam de his quæ quotidianis diebus deputata ſunt.

CAPVT V.

ADdimus etiam de companatico in cibos pauperum ad penſas xxx. quæ dantur inter caſeum & lardum: & modios xxx. de leguminibus: quintam partem de decima quam accipit Portarius à Cellarario de anguillis, vel caſeo recente, qui conſtitutus eſt dare de decem berbicariis, nec non & de illo qui de villis dominicis datur in decimam. Similiter omnem quintam decimæ de pecudibus, id eſt, in vitulis, in berbicibus, vel omnibus quæ dantur de gregibus Portario, etiam in caballis.

Inſuper diſpoſuimus dare ipſi ſupra commemorato Hoſpitalario de omni argento quidquid ad portam venerit quintam partem, per manus Portarij ſenioris. De quo argento talem voluimus fieri diſpoſitionem; vt non minus quotidie quàm quatuor denarij dentur; & ſi minor fuerit numerus de ipſa quinta quàm ſufficere poſſit ad hanc diſtributionem quotidianam faciendam, Abbas ſi vult ſuppleat aliunde; & ſi vltrà creuerit, non ſubtrahatur. Ligna autem prouideat Portarius pauperibus ſecundum conſuetudinem, vel cætera, quæ hîc ſcripta non habentur: ſicut ſunt panni in lectulis, vel vaſa, & cætera quæque. Hæc omnia ſupra ſcripta de his quæ ad portam veniunt, propter illud ſupplementum argenti, ſicut ſupra commemoratum eſt, dentur. Inſuper accipiat Hoſpitalarius à Camerario veſtimenta, vel calciamenta Fratrum vetera, pauperibus tribuenda ſecundum conſuetudinem. Obſecramus igitur omnes quibus ordinatum fuerit officium in hoc monaſterio, vt in largitate ac diſtributione, Dei potiùs attendant voluntatem, quàm noſtræ parcitatis exemplum; quoniam vnuſquiſque eſt pro ſe redditurus rationem.

qui pro beneficio quod tenent Abbati, aut Priori, vel Præpoſitis intus vel foris, vel equitando, vel aliud ſeruitium faciendo ſeruiunt, Conſtituimus vt in Natali Domini & Paſcha habeant aut duo ſextaria ceruiſiæ, aut vnũ ſextarium vini, non hæreditario jure, ſed pro caritate, vel loci honore. Hoc tamen ſit in voluntate Abbatis, & Prioris, & Præpoſitorum.

CAPVT VI.

RATIO, vel numerus annonæ, ſeu, panis, qualiter, vel vnde, vel quantum ad Monaſterium debeat annis ſingulis venire; vel qualiter Cuſtos panis illud debeat diſpenſare.

Volumus vt annis ſingulis veniant de ſpelta bene ventilata atque mundata corbi DCCL. vnuſquiſque corbus habens modia XII. bene coagitata & raſa, ad iſtum nouum modium quem Domnus Imperator poſuit. Et veniat ipſa annona de ipſis villis quas Præpoſitus ſpecialiter in miniſterio habet, & ſi neceſſe fuerit de omnibus, ſin autem de illis quibus ipſe cum Abbate conſiderauerit. Iſtum numerum ideò taliter ordinauimus, vt per dies ſingulos anni, qui ſunt CCCLXV ſemper duos corbos habeat; qui ſimul ſunt corbi DCCXXX. Ideò autem XX. addere fecimus, vt anteà ſupercreſcat, quàm deficiat. Et quamuis ipſa annona interdum melior, interdum deterior, & aliquando ampliùs, aliquando minùs de farina reddere ſoleat; nos tamen mediocriter æſtimantes, ſperamus quòd de illis duobus corbis ſemper decem haberi modij poſſint. Sic ergo ſingula modia XXX. panes CCC.[1] Quia autem certi ſumus quòd omni tempore non minùs quàm trecenti, & aliquid ampliùs, ſemper intus aſſiduè manentes, & ſuperuenientes in Monaſterio erimus, cùm tamen modò non magis quàm trecenti quinquaginta ſimus; nos tamen quia aliquando minùs, aliquando ampliùs quàm quadringenti fortaſſe ſumus, ita ordinare volumus, ac ſi omni tempore quadringenti ſimus, vt ex eo quando minùs quàm quadringenti ſumus, ſupercreſcit, habeat vnde abundanter dari poſſit quando ampliùs ſumus. Rarò tamen fit, quòd ampliùs ſimus, cùm hoc ſæpiſſimè fiat quòd multò minùs quàm quadringenti ſimus.

[1] Supple efficiunt, vel reddunt.

Addamus ergo ex eo quod de molinis venit quotidie modia quatuor, & fiunt panes centum viginti, iunge ſimul, & ſunt panes CCCCXX. Ecce habemus non ſolùm ad quadringentos qui rarò ſunt, ſed etiam quotidie ad viginti ſupra qui rariſſimè fiunt. Sed quia omnis ſubſtantia noſtra, quæ per miniſtros noſtros diſpenſanda eſt, ſemper magis volumus vt ſupercreſcat, quàm deficiat: addimus adhuc ex eo

Digitized by Google

quod de molinis venit modium vnum, & fiunt quotidie panes CCCCL. de Molinis XV. Collecto igitur numero per ſingulos dies fiunt in totum in anno modia[m] V. CCCCLXXV. addamus etiam XX. de illis molinis, & fiunt[n] V. D. Ex quibus [o] III. DCL. de ſpelta; reliqua verò [p] I. DCCCL. de molinis venire debent. Quia ergo, ſicut ſupra diximus, magis vt ſupercreſcat quàm deficiat, volumus: Idcircò primò corbos XX. & inſuper quotidie panes ſupra illos CCCC. prouendarios, & adhuc modia XXV. addere fecimus; cùm tamen, ſicut ſupra dictum eſt, ſæpiùs minùs quàm aut CCCC. aut certè vltra CCCC. eſſe ſoleamus.

[m] Id eſt 1475.
[n] 1500.
[o] 3650.
[p] 1850.

Et quia ad ipſum molinum, boues, porci, aues diuerſæ, canes & interdum caballi paſcendi ſunt, addamus adhuc de ipſis molinis modia CL. & fiunt in totum quod de molinis venire debet, modia ducenta. Hæc interim ita dicta atque ſeruata ſint, quouſque pariter conſiderare valeamus, vtrum addere aut ſubtrahere aliquid neceſſe ſit. Verumtamen monemus atque obſecramus Cuſtodem panum, vt quidquid exinde per menſuram vel numerum dierum ſeptimanarum, vel totius anni menſium ſciri poteſt, cum omni diligentia ſcire non negligat, quemadmodum cùm tempus mutationis venerit, nobis renuntiare ſciat qualiter præſentem annum adminiſtrando tranſeat. Et vt hoc leuiùs ſcire poſſit, ſeparet inde primò illos Prouendarios, qui per penſas ſemper æqualiter & habentur & liberantur, quorum numerus ſemper æqualis eſt; niſi fortè aliquando minor: Namn unquam fit major. Deinde perpendat panem Fratrum quando ſemel vel quando bis in die manducant, & ponat ſemper ſemotim illum qui ad illorum opus deputatus eſt, & conſideret quantum eo tempore, quando ſemper ſemel, quantum eo quando ſemper bis in die manducant, & quantum in vna ſeptimana, in vtroque tempore quando minimè & quantum in vna, quando maximè impendit; & arbitremur prope eum inuenire poſſe, de quanto valeat pane, vel modiis ad eorum opus tranſire.

In iſto numero ponendi ſunt omnes qui panem Fratrum accipiunt, excepto hoſpites, qui hunc quotidie non accipiunt. Obſeruet autem ne tantum pariter de pane Fratrum

Digitized by Google

faciat, vt [q] remanendi nimium obdureſcat, quòd ſi fecerit eo tempore quando ille illum numerum probat, ipſe panis tollendus eſt, & alter pro eo ponendus. Quia verò, vt diximus, modò ſemel, modò bis in die manducamus, & nunc plures, nunc pauciores ſumus, & numerum noſtrum quanti eſſe debeamus definire nunquam poſſumus; ſi ipſe aliam rationem meliorem ad hoc probandum inuenire poteſt, cum Dei gratia faciat.

[q] Remanentes nimium obdureſcant.

Similiter de Vaſallis noſtris, ſimiliter etiam ad portam; quorum numerus certus eſſe non poteſt, ſi eodem ſenſu, quem ſupra diximus, per dies, per ſeptimanas, per menſes, quando minimè, quando mediocriter, quando maximè dat, æſtimare cœperit, putamus eum [r] omni non inuenire poſſe, vnde per totum annum valeat tranſire. Nam de [ſ] Pulſantis, de Scolariis, de reliquis Clericis, ſeu laïcis noſtris, vel extraneis, facilè ſciri poteſt qualiter eos liberare poteſt.

[r] Omnino inuenire poſſe.
[ſ] Pro Pulſantibus.

Monemus etiam vt hoc conſiderare non negligat, quòd panis ille qui datur, non ad vnam menſuram omnibus, ſed quibuſdam major, quibuſdam verò minor datur. Et ob hoc neceſſe eſt, vt de ſingulis menſuris panum conſideret, quanti de majoribus, mediocribus, vel minoribus, de vno modio fieri poſſunt. Et ſperamus quòd hoc facto ei cuncta apertè patebunt.

Ecce vt potuimus, non vt ita ſemper tenendo firmemus, ſed vt incipiendo probare valeamus qualiter inanteà tenere debeamus hoc quod ad Monaſterium de annona venire debet, ſub has diuiſiones, quas ſupra poſuimus, hoc benè inuenire poſſe ſperamus: id eſt, Prima famulorum noſtrorum, vel Matricullariorum, qui ſemper æqualiter habendi ſunt: Secunda Fratrum: Tertia Vaſſallorum: Quarta hoſpitum: Quinta Pulſantium, vel Scholariorum: Sexta ſingulorum huc illúcque Prouendariorum: ex quibus tamen, vt diximus, nullum qui ſemper æqualiter habeatur definire numerum poſſumus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VII.

DE molinis vel cambijs talis volumus vt ſit ratio. Primò vt vnicuique Molinario manſus, & VI. [d] bonuaria de terra dentur: quia volumus vt habeat vnde ea quæ ei iubentur perficere valeat, & illam molturam ſaluam faciat: ideſt vt boues & reliquam pecuniam habeat cum quibus laborare poſſit, vnde & ipſe, & omnis familia eius poſſit viuere, porcos, aucas, & pullos nutrire, molinum componere, & omne [e] matriamen, quod ad illud molinum emendandum pertinet adducere, [f] ſcluſam emendare, molas adducere, & omnia quæ ibidem ad habendum vel faciendum neceſſaria ſunt, & habere poſſit & facere: & ideò nolumus vt vllum alium ſeruitium, nec cum carro, nec cum caballo, nec manibus operando, nec arando, nec ſeminando, nec meſſes vel prata colligendo, nec [g] braces faciendo, nec [h] humlonem, nec ligna ſoluendo, nec quicquam aliud ad opus dominicum faciat, ſed tantum ſibi & ſuo molino ſeruiat. Porcos autem, [a] aucas, & pullos quos de ſuo molino [b] incraſtiare debet, de ſuo nutriat; & oua ſoluat, & ea, vt diximus, quæ vel molino neceſſe eſt facere, vel quæ de molino debet exire, illa tantùm ſtudeat procurare. Quod verò ſuprà diximus, vt [c] II. modiorum ad opus noſtrum de molinis ad Monaſterium venire debuiſſent, non hoc ideò diximus, vt illam aliam [d] molturam ab illo granario ſeparemus, ſed vt ipſe hoc anno probare ſtudeat, vtrum addere, vel ſubtrahere neceſſe ſit, & ad tantos prouendarios, & ad ea opera quæ omni anno in Monaſterio fiunt: Vt ſunt vendemiæ, horti, prata, & his ſimilia, cum tanto numero per totum annum tranſire valeat. Volumus etiam vt illa modia anteriora coram illis [e] molinariis ad iſtum nouum modium æſtimare faciat, cum omni æqualitate, quanta modia de illis faciant iſta, & ſecundum hæc modia quantum eis conuenit, ſic ſoluant inantea eorum cenſum, ſiue de annona, ſiue de brace. Volumus vt ipſi molinarii ſinguli integram cauſam habeant ad prouidendū cum rotis VI. Quòd ſi noluerint habere VI. ſi medietatem de illa cau-

d Puto hîc ſex bonuaria ſiue bouaria, ſpatia intelligi quæ ſex boues vno die arare poſſunt.

e Materiam, hoc eſt, omnia quæ neceſſaria ſunt ad molendinum inſtaurandum.

f Ideſt cataractæ, ſiue aquæ emiſſarium, Gallicè, *eſcluſe*.

g Siue Braſſes, Bratliū, pro hordeo aquis macerato: vnde braſſiare, ceruiſiam coquere: Gallicè *braſſer*.

h Lupulum, Gallicè *houblon*.

a Auca pro anſere, Italicè *oca*.

b Impinguare.

c Id eſt, 2000.

d Molitura, Gallicè *mouldure*.

e Molitoribus.

ſa, id ſunt rotæ III. non habeat niſi medietatem de illa terra, quæ ad illum manſum pertinet, ideſt bonuaria III. & ſocius eius alia III. & inter illos duos & integram molturam reddant, & integrum ſeruitium faciant, quantum ad illum vnum molinum pertinet de opere, vel de ſcluſa, vel de ponto, vel de omnibus, quantum ſingulis molinis deputatum eſt.

LIBER II.

Hæc eſt ordinatio Hortorum.

CAPVT PRIMVM.

VT FRATRES, qui eos laborare debent, ſine moleſtia, vel aliqua incommoditate inhoneſta poſſint in eis officium ſibi commiſſum ad communem explere vtilitatem: Conſtituimus vt manſiones, quæ ibi neceſſariæ ſunt, & ſepes faciant quandocumque neceſſe fuerit & [f] emendent Majores de his villis: Ad primum oſtium quod eſt iuxta viuarium, de Waniaco, & Cipiliaco: Ad ſecundum de villa; Ad tertium de Albiniaco & Ceriſiaco: Ad quartum de Vernis, & Taziaco. Et idem ipſi dent, vnuſquiſque ad hortum cui deſeruit in tertio anno, Aratrum I. lugum cum amblacio & coniunctis, quando neceſſe fuerit; & in quarto [g] erptiam in hortum excolendum ſemper ad Miſſam ſancti Marcellini: & poſtquam tempus venerit quo neceſſarium fuerit hortos à noxiis purgare herbis, id eſt à medio Aprilis ad medium Octobrium omnimodis abſque negligentia vel aliqua ſubſtractione, ſemper finitis viginti diebus, Veniat vnuſquiſque de ipſis Majoribus ad illum Fratrem Hortolanum, cui ipſe adiutorium facere debet, videre, & interrogare, quando neceſſe fuerit ſarculatores in illo mittere.

Porricini autem & porri poſtquam tranſplantati fuerint, aſcaloniæ quoque, allia atque cepe; hæc tantùm debent Majores quandocumque neceſſe fuerit, ſicut dictum eſt, purgare; & quandocumque familia ad eandem

[f] Hoc eſt, excolant, ſiue emundent.

[g] Siue erpicam, inſtrumentum ad terendas glebas; Gal. *erſt.*

Digitized by Google

conuenerint purgationem, Major ipſe per ſe, ſiue Decanus, vnus ex illis duobus omnimodis ibi ſit ad prouidendum vt ſtudiosè & vtiliter operarij expleant opus ſuum. Carra verò accipiant hortolani de bura omni anno ſecundum conſuetudinem. Omnia vtenſilia ferrea debent accipere à Camerario, qui fabros prouidet ſecundum conſuetudinem communem Idem ſi fracta fuerint, oſtendat illa Camerario, & ipſe faciet illa reparare, aut det illi aliud ferramentum, & recipiat illud fractum. Similiter quocumque modo neceſſe fuerit reparari ea, à Camerario requirantur. Et vnuſquiſque habeat ad hortum excolendum ſiue ad alias neceſſitates explendas [a] Fuſſorios VI. [b] Beſſos II. Secures II. [c] Dolatoriam, [d] Taratra II. maius & minus; [e] Scalprum I. [f] Gulbium I. & [g] Falcilia II. Falcem I. [h] Truncos II. Cultrum I. Serram I. Cætera autem vaſa ad ipſum officium pertinentia, ſicut ſunt [i] Vanni, [l] Banſtæ, vel alia quælibet huiuſmodi. Quandocumque vetera defecerint, dicat hortolanus Abbati, & ipſe det ei adiutorium vnde poſſit alia acquirere.

Conſtituimus etiam illis dare ad conducendos homines, qui areas leuent in autumno, & plantationes primo tempore facere adjuuent: necnon & ſarcolare herbolas in æſtate cùm neceſſe fuerit, vnicuique Fratri hortolano per vices panes C. prouendaricios, quos panes debet dare Frater qui panem prouidet fratrum', & non ſimul, ſed iuxta quod hortolano neceſſe fuerit, ſic diſtribuat diſpenſator illi ipſum panem, donec numerus, ſi neceſſe fuerit hortolano, completus fiat. Detur etiam vnicuique hortolano à Cellerario de ceruiſa modium vnum, eodem modo ſicut & panis datur, id eſt non ſimul, ſed per partes, quando & quantum hortolano neceſſe fuerit, & ipſe eam requiſierit, donec menſura prædicta compleatur, & debet vnuſquiſque modium vnum accipere de legumine, & vnicuique debent dari ab Abbate ſolidi V. per annum ad conducendos homines, ſicut diximus; qui conductitij non ſunt neceſſarij quærere aliubi, niſi infra Monaſterium. De cætero vnuſquiſque Frater quidquid de

[a] Siue foſſorios, vel potius foſſoria, inſtrumenta queis fiunt foſſæ ſeu foueæ, id eſt, ligones.

[b] Vel beſſa, beſſum autem vehiculi genus. Siue ligonem planum mauis interpretari, Gal. *beſche.*

[c] Dolabram.

[d] Taratrum eſt terebra ſiue terefora, Gal. *teriere.*

[e] Scalprum à ſcalpo, id eſt inſtrumentũ ferreum quo herbæ à terra radũtur, Gal. *ratiſſoire*, radula.

[f] Ferramentum quo extrahũtur quæ impedimento ſunt, quaſi gurpiũ à verbo guerpire, Gal. *deguerpir.*

[g] Galicè *fauciille*, falcula.

[h] Id eſt ciſtam ſiue arcam ligneam, Gal. *tronc.*

[i] Vas vimineum latum, cribrum, Gal. *van.*

[l] Siue baſtæ, fuſtis eſt trituræ aptus, vnde Gal. verbum, *baſtonner, ſteau.*

Digitized by Google

horto ſuo potuerit adquirere ſupra [m] ſeruidas, quas Fratribus facere debent, pleniter abſque aliqua deminoratione deferant oportuno tempore Abbati. Bouem diſpoſuimus habere vnumquemque ſuum, vt ſine impedimento hoc ſolùm excolant; quæ ad hortos neceſſaria ſunt. Hoc præcipuè commonemus hortolanos vt lucri facere aliquid turpiter, aut petere vicinos, omnimodis declinent.

[m] Siue ſeruias, ſerta, vel faſciculi ex herbis floribuſue.

CAPVT II.

De [n] *Meïris in feſtiuitatibus Sanctorum.*

IN Natiuitate Domini III. In S. Stephani II. In S. Ioannis II. In natale Innocentium I. In S. Silueſtri I. Octaua Domini I. In Teophania II. Octaua Epiphaniæ I. Sanctæ Agnetis I. Dedicatio S. Ioannis, & Balthildis I. Purificatio ſanctæ MARIÆ II. S. Agathæ I. S. Vedaſti I. S. Gregorij I. S. Benedicti I. Annuntiatio S. MARIÆ I. Philippi & Iacobi II. S. Ioannis Baptiſtæ I. S. Petri II. S. Pauli I. S. Martini I. S. Iacobi I. Dedicatio S. Petri I. Dedicatio S. Stephani I. S. Laurentij I. Aſſumptio S. MARIÆ I. S. Bartholomæi I. S. Ioannis I. Natiuitas ſanctæ MARIÆ I. S. Matthæi I. S. Mauritij I. S. Firmini I. S. Michaëlis I. S. Dionyſij I. Simonis & Iudæ I. Omnium Sanctorum II. S. Quintini I. S. Martini I. S. Ceciliæ I. S. Andreæ I. Fuſciani & Victorici I. S. Thomæ I. In Cœna Domini II. In Sabbato Sancto I. In Sancto Paſcha III. & per Hebdomadam totam II. In Aſcenſione Domini II. In Pentecoſte III. Poſt vindemias I. Dies Dominici XLVIII. Sabbatum ſimiliter. Feſtiuitates Sanctorum L.

[n] Id quod interim ob mercedem obſequio prælibato porrigitur, *Gal. mereaux* Scrupus vel calculus; deinde data opportunitate reddito calculo pecunia numeratur.

CAPVT III.

COMMEMORATIO de refectionibus quas Cellerarius debet facere.

De curtilis vnam pro Hilmerado Epiſcopo, & fratre ſuo Hengario XVI. Cal. Iunij. Altera autem pridie Nonas Iunij pro Herirado & Gundradone XIII. Cal. Maij. An-

Digitized by Google

niuerſarius *vidit* Idibus Iunij. Natiuitas Caroli Regis XII. Cal. Iulij; Anniuerſarius Lodouuici Imperatoris.

In amminiſtratione autem Refectorij interim quouſque aliter, ſicut & in cæteris habitaculis noſtris diximus, meliùs aliquid inuenitur, talis fortaſsè non inconuenienter debet ſeruari ratio. In primis Cellerarius iunior omnibus Fratribus [a] geminam ſuam ſub æquali menſura [b] anteponat. Deinde ſi propter aliquam neceſſitatem cuiuſlibet temporis, hoſpitum, & inæqualitate aëris, neceſſe fuerit, deputetur ei talis Frater maturus, de cuius conſcientia omnes ſecuri ſint, vt nulli quicquã debeat niſi legitimâ menſurâ addere, vel ſubtrahere. Si verò Domnus Abbas, aut Præpoſitus, vel Decanus, propter cuiuſlibet infirmitatem, [c] die, duobus, tribus vel aliquantò ampliùs ei potum mutare præceperit, non tamen vllo modo ipſe iunior Cellerarius, aut ille qui ei ſolatium præſtat, aut alteri dare, aut vltra denominatos dies eidem idipſum dando protendere præſumat. Cętera autem omnia ad legitimam honeſtatem pertinentia, quæ vel causâ hoſpitum, vel menſæ ſeniorum, vel generaliter Fratrum omnium, adminiſtranda, vel procuranda ſunt, ad eiuſdem curam junioris Cellerarij pertinere debent, ne aliquid ibi intrantes exeuntes, aut cõmorantes, ſiue, vt dictũ eſt, ſuperueniẽtes in vſu vel qualibet minùs dignâ procuratâ munditiâ offendat. Ea autem quæ ſpecialiter ad Cocos pertinent ipſi quidem cum ſummo ſtudio eadem prouidere debent; ſi tamen præfatus Cellerarius nequaquam præfatam ſollicitudinem poſtponere debet, ſed ſemper cautè prouidere & admonere, ne præfati coci ea quæ ſibi commiſſa ſunt nullatenus præſumant, quouſque hebdomadâ expletâ, ſecundum quod Regula præcipit, vaſa miniſterii ſui munda & integra reſtituant.

Senior autem Cellerarius tam interiùs quàm exteriùs, id eſt, vel in refectorio, vel in coquina, vel in his habitaculis, quæ ad coquinam pertinent, in omnibus, & pro omnibus ſollicitudinem gerat, ne qui ſibi aliter agendo, loquendo intemperanter, vel ſe, vel ea quæ agit, tractare præſumat, niſi ſecundum quod Religio-

[a] Id eſt, duplex obſonium.
[b] Apponat.
[c] Sup vno.

ni noſtræ omninò conueniat. Nec quærendum, nec exigendum ab eodem Cellerario eſt, vt ipſe ac ſi propria deuotione in præparandis pulmentis ſe ingerat, & præfatam ſollicitudinem ob hoc in aliquo poſtponat; ſed potius ſecundum Regulæ auctoritatem aliud ſolatium, ſi opus fuerit, requirat, vt ipſe quidem ſuper hinc & inde ad ea quæ Dei ſunt prouidenda liber remaneat. Hæc non ideò dicimus, vt eius deuotioni quando abſque offendiculo præfatæ ſollicitudinis fieri poteſt, obſiſtamus, ſed ne dum ſe in his quæ ad eum eo tempore non pertinent, ac ſi deuotiùs immergit, certam ſibi impoſitam prouidendi neceſſitatem poſtponere præſumat. Sed ne Cellerarius dicat neſcire ſe de quibus & in quibus præfati coci admonendi ſint vt agant, vel non agant.

CAPVT IV.

HÆc inter cætera principaliter obſeruanda ſunt. In primis de omni re, quæ ad hoc officium eo tempore non prodeſt, vt ſilentium teneatur. Deinde vt ipſum ſilentium cum fructu alterius mercedis ab omnibus illis ibi ſeruari poſſit, pſalmi ſine intermiſſione cantandi ſunt: & quamdiu duo ex illis adſunt, nunquam ijdem pſalmi prætermittendi: & cùm contigerit, vt aliqui ex ipſis propter quamlibet neceſſitatem adminiſtrandam longiùs diſceſſerit, & ob hoc ſolus fortaſsè inchoatum pſalmum cantare non poterit, mox vt reuerſus fuerit in loco in quo cæteros pſallentes inuenerit, ingrediatur, & cum eis, quamdiu cum ipſis eſt, cantare ſtudeat. Similiter quoque alter tertius, ſi inde diſceſſerit, reuertẽs pſallentibus ſe conjungat. Quòd ſi etiam talis euenerit cauſa, ſicut nonnunquam fieri ſolet, vt omnes quidem ita occupentur, vt nullus memoriâ cantando percurrere liceat, mox vt quilibet vacauerit intermiſſum pſalmum in loco quo eum dimiſerit, repetat, & cæteri omnes quibus vacat cum eo pariter in laude Domini ora permoueant. Sed & ſi ita fortè euenerit, vt nulli occurrat quo loco inchoatum pſalmum dimiſerit, vbi viciniùs retrò

Digitized by Google

ceciniſſe memoriâ occurrit, ibi incipiat, & opus cœptum non negligant, quouſque conſummatis omnibus cum quibus & in quibus idem ſtudium ſeruari potuit : & tunc ſinguli, prout ratio docet, ad ea quæ reſtant, ſeruato ſemper quantum poſſibile fuerit ſilentio, redeant. Sed ne cui hæc propter priorem ſermonem à mente ceciderint ; Idcircò breuiter repetimus tria eſſe, in quibus conſtant, id eſt, vt aut à neceſſarijs tacere, aut neceſſaria dicere, aut pſalmos cantare : Sed & hoc nequaquam quaſi propter ſeruandum ordinem negligendum eſt ; cùm fortaſſe idem ordo juniores omnes, aut etiam minus ſapientes, vel conſtantes, in coquina mittere popoſcerit, vt prætermiſſo eodem loco aliquem junioribus ſenior conſtans addatur, qui & ſe, & cæteros zelo Dei ductus cuſtodire ſtudeat ; & tranſacto ſeruitutis ſuæ tempore, iterùm ille, qui tunc propter talem rationem tranſitus eſt, mixtus cum ſenioribus ingrediatur, ac ſic omni tempore omnimodis obſeruetur, vt nunquam tantummodò ſiue propter defeſſam ætatem fatui, ſiue propter juuentutem minus perfecti, illi ſolummodò mittantur, de quibus in nullo eiuſmodi conſeruandi iuſtitiam, fiducia habeatur, ſed ſemper vt præmiſſum eſt, vnus, aut duo ita maturi hebdomadis ſingulis mittantur, vt & interiùs voluntas Dei, vt filij, & exteriùs condigna ſemper ſobrietas cuſtodiatur.

At ſi quis dicere voluerit non ita oportere fieri, ſed ſecundum ordinem quomodò per menſas ſedent, ita ſemper ordo tenendus eſt, nequaquam ille audiendus eſt, ſed fortiter cur aliter ſentiat objurgandus, & ſi non ab hac temeritate quieſcerit, & patienter obediens fuerit, acriùs coerceatur, quouſque ſaniori conſilio obediat. Hæc idcircò propter ſimpliciores, vel quod majus eſt vt ita dicam, ſtultiores, ſic apertè & multipliciter dicimus, ne quis ſe de ignorantia excuſet. Vt autem hæc ita ſeruari poſſint, ſemper Decanus & Cellerarius per plures dies anteà prouideant, quomodo iſta diſpoſitio nullatenus turbetur, neque per occaſionem infirmitatis alicuius, neque propter cauſam itineris,

ſi euenerit, vel propter quamlibet nouam ſurgentem neceſſitatem, vel etiam propter Domni Abbatis aut Præpoſiti quamcumque iuſſionem. His ita propter perpetuam cuſtodiam præmiſſis, illud quoque poſtponendum non eſt, vt Cellerarius ſemper quando ei vacat, illas adminiſtrationes manu propria ſingulis anteponat; ne alter ei majus minuſue quàm debeat propter cujuſlibet gratiam dando excedat; & ipſe quæ ſingulorum infirmitates, vel neceſſitates, ſcire debet, prout certa & recta neceſſitas popoſcerit, diſtribuat. Si verò ei non vacauerit, tunc ille, cui ipſe jufſerit, vice ſua hoc faciat, cauens ſemper ne aliquod vitium ibi oriri incipiat.

CAPVT V.

DE laïcis autem hæc eſt vna & definita ſententia, vt quamdiu ibi aut pulmentaria præparantur, aut præparata miniſtrantur, ſiue quando Fratres priùs generaliter, ſiue quando poſtmodum reficiuntur, nullus ingrediatur. Si verò talia aliqua, aut priùs præparanda, aut poſtmodum mundanda vel curanda fuerint, quæ Laïcis deputata ſint, feneſtra, aut oſtium aut locus extra coquinam talis coſtitutus ſit, vbi Fratres vel pręparanda ſuſcipiant, vel mundanda referant, vbi ea illi vel ponere, vel poſita recipere poſſint, vt tamen nullam occaſionem, pro qua coquinam ingrediantur, habeant. De quibus hæc interim memoriæ occurrit vt ſunt herbæ cuiuſlibet generis, vnde pulmentarium fieri debeat, adferendæ, mundandæ, ordinandæ. Similiter piſces quando opus fuerit [a] exinterandi, [b] exquamandi; legumina diuerſi generis lauanda vel præparanda, ſiue cætera, vel his ſimilia: quæ tamen omnia extra coquinam in locis ſibi deputatis pleniſſimè & honeſtiſſimè quotiens neceſſe fuerit agere ſtudeant, & in loco apto vbi à Fratribus congruè ſuſcipi poſſint, ſtudioſiſſimè ponere vel componere ſtudeant: & tamen, vt dictum eſt, ab ingreſſu coquinæ prædictis temporibus funditùs abſtineant. Ligna quoque ſimiliter quæ comportanda, ſcindenda, vel congruè pręparanda ſunt per feneſtram, vt diximus, aut per opportunum

[a] Id eſt euiſcerandi.
[b] Siue deſquamandi, Gal. *eſcailler.*

num introitum ita abundanter immittantur, vt nec illis introire ad Fratres, nec Fratres ob hoc ad eos exire neceſſe ſit: forſitan enim hæc alicui tam multipliciter dicta increſcunt, vt ſi nos magis eligimus ſingula, prout neceſſaria videntur, ſingulariter ordinãdo dicere, quàm alicui, ac ſi neſciat quid facere debeat, occaſionem excedendi relinquere. Cellerarius autem hæc omnia prout ei vacauerit diebus ſingulis, ne quod ibi vitium naſcatur prouidere ſtudeat, quouſque Deo auctore, quidquid ibi ritè & honeſtè agendum eſt, in conſuetudinem veniat, vt nullus quamlibet nouitius propter ignorantiam excedat. Idcircò autem hæc omnia ad prouidentiam Cellerarij flectimus, quia ei nullum in ipſo officio vel officina rebellem, aut contradicentem eſſe volumus, aut permittimus: ſed etſi, quod abſit, contigerit, vt ipſe Cellerarius ſenior, aut iunior, hæc & his ſimilia quæ ad hoc pertinent, cautè non ſeruauerit, & ſecundò admonitus non ſe correxerit, ipſe quidem ſi ad permanendum dignum non fuerit cum condigna inuectione exeat: Ordo verò inconfuſus & imperturbatus permaneat.

CAPVT VI.

HÆc quoque breuiter de his quæ infra Eccleſiam horis quibus opus Dei celebratur ſtrictim commemoratis ſalua vt ſemper & antepoſita diligentiore, ſeu præſtantiore, cui Dominus dederit, ratione vel ordine, hæc non ab re adiungenda videntur. Si æſtiuum tempus fuerit, peractis his horis, poſt quas continuò in refectorio generaliter eundum eſt, oportet vt omnes cum ſilentio in Eccleſia ſubſiſtant, quouſque audito ſigno, cautè reuerentiam Deo dantes exeant, & cum præfato ſilentio intrantes, & reſidentes, & exeuntes de refectorio, ſinguli ad ea quæ tunc ſecundum tempus ratio docuerit, vel iuſſum fuerit, attendant: Si autem hyems fuerit, & calefaciendi neceſſitas ingruerit, prout ei qui præeſt viſum fuerit, ſiue ante, ſeu poſt peractum officium aliquod interuallum fiat, quando ſe calefacere poſſint; ſin autem, in Eccleſia expectent, vt ſuprà. Hæc etiam de his.

De dormitorio, in hoc omnia apud eos, qui hoc dignè intelligere volunt, complecti poſſunt, quòd nullo tempore aliquid ibi inhoneſtum, vel inhoneſtè fieri debet: & vt aliqua ex his ad memoriam reducantur, per quæ cætera his ſimilia nequaquam obliuiſcendo contemnantur. Quando loqui licet, quia locutio ſemper ibi ſeruanda eſt, ſiue duo, ſeu tres, ſeu etiam plures, ſicuti fieri ſolet quando de Capitulo ſurgunt, conjungantur. Quando verò dormiendi tempus fuerit ſiue in die, ſiue in nocte, ſicut ſilentium funditùs in ore, ita in inceſſu, vt nullus injuriam patiatur, ſumma cautela eſſe debet. Nemo veſtimenta ſua excutere, nemo incautè aſcendere, vel deſcendere de lecto debet, vel cætera his ſimilia, quæ ſtrepitu, vel cujuſlibet incommodo ſonitum reddat, incautè agere debet; Sed & omni tempore, vt prædictum eſt, omnis ibi cautela ſeruanda eſt vel propter honeſtatẽ, vel propter infirmorũ requiem ne ſi fortè aliquis ibidẽ neceſſitate coactus requieſcere optat, alterius improbitate turbetur. Quòd ſi aliquis etiam ad legendum in lectulo ſuo reſederit, nequaquã alterum ſibi ibidẽ ad colloquium, coniungat: ſed ſi neceſſitatẽ loquendi diutiùs habuerint, exeant foras, & ibi loquantur. Nam longè alterum ab altero poſitum propter ſonum [a], nec duos conſedentes vel ſtantes propter domus ipſius honeſtatem vel conſuetudinem, colloquium habere nequaquam oportet. Hæc etiam inter plurima cætera quæ in dormitorio ſeruanda ſunt breuiter dicta, ne quaſi pro nihilo à quibuſlibet inſipientibus, vel vltra quàm debent prementibus contemnantur, non ſolùm à Prępoſito, Decano, ſeu cæteris, Decanis omni tempore non mediocriter, ſed ab ipſis etiam [b] circinnatoribus, horis quibus vacant Fratres lectioni, obſeruanda, & inuenta [c] artiùs caſtiganda ſunt. In piſelo verò, tempore quando illo vti neceſſe eſt, eadem penè in omnibus, excepto quod ad dormiendum pertinet, cautela & honeſtas ſeruanda eſt. Quæ de dormitorio diximus, & ſi fortè quædam ad eandem domum ſpecialiter pertinent, vt eſt de pannis infuſis [d] qui ſuſpenduntur; de pigritantibus & ſomnolentis, & propter caloris ſuauitatem minús attentè legentibus, & ſi qua his ſimilia,

[a] Sup. eſſe oportet.

[b] A circino deducitur, circinator al. circator, circuitor, qui Monaſterium circuit vt in officiis contineant Monachos, & obſeruet num lectioni ſtudioſè incumbant.

[c] Sup non obſeruati, ſiue cõtemni.

[d] Lotis ac madefactis.

ex vſu quotidiano quid exinde faciendum ſit nullus ignorat qui hujuſmodi ad prouidendum ſollicitudinem impoſitam quamtulamcunque portat. Cùm verò horæ incompetentes tranſierint, & tam colloquendi quàm conjungendi tempus licitum aduenerit, ſemper tamen ibi, ſicut & in cęteris omnibus locis, ſiue pauciores, ſiue plures fuerint, in loquendo & agendo ſæpè commemorata honeſtas ſeruanda eſt; nec vnquam poſtponenda, aut contemnenda.

De[a] Prouendarijs.

[a] Gallicè, *pourueyeurs*, qui neceſſaria prouident ſiue præparant.

DE porta autem Monaſterij, vel quæ ad eam pertinent, idcircò inter hæc quę ſuperiùs complexa ſunt, nil inſerere voluimus; quia quęcumque ad eam vel miniſtros eius pertinent de decimis, Domino inſinuante per ſe ſemotim diſponendum judicauimus. Vnde primo loco illud commemorandum eſt, vt de Prouendarijs, qui ibi ſeruire debent, certa diſcretio ſeruetur, vt & ſufficienter ſint, & vltrà quàm neceſſe eſt nullo modo ſint, quia ipſi de eadem decima & paſcendi & veſtiendi ſunt eâ menſurâ quæ eis competit; ita vt nec penuriam patiantur, nec aliqua ſuperfluitate diſtendantur. Viſum eſt igitur nobis in decem prouendarijs ad eos qui hoſpites ſuſcipere & eis ſeruire debent ſufficere poſſe. Similiter vt ipſi prouendarij eadem qualitate & quantitate cibi & potûs, ſicut cæteri prouendarij noſtri, ſuſtententur: id eſt, vt penſam ſecundum cæterorum conſuetudinem per menſem; ſimiliter panem & potum ſecundum eorumdem conſuetudinem accipiant: Veſtimenta autem & calceamenta, ſicut ſuprà dictum eſt, menſuratè accipiant; ita vt nec nuditate, nec aliqua turpitudine ſqualeant: Nec tamen ècontrà vltra menſuram ſuam exigere præſumant. Hæc de prouendarijs.

Videtur igitur nobis ſi omnis decima de omnibus & in omnibus, ſicut conſtitutum eſt, datur, vt omninò ad omnes hujuſmodi neceſſitates diuitum vel pauperum ſufficere debeat: Id eſt, vel de his quæ ad Monaſterium eleëmoſynæ cauſâ Eccleſijs vel Fratribus in diuerſis cor-

Decima danda pauperibus.

b Condonantur.

poralibus ſpeciebus vel mobilibus rebus ſponte[b] condonamur. Similiter quicquid in diuerſis laborationibus quolibet modo acquiritur, vel in varijs peculium generibus enutritur, vel in ipſis peculijs Deo diſpenſante ſine humana prouidentia ſponte producitur, vt eſt lac & lana. Similiter fœnum, vel quæ in arboribus gratis naſcuntur, vt eſt paſtio, vel diuerſi generis fructus, quantum poſſibilitas admittit, data fuerint, ſecundum qualitatem vel quantitatem ſingularum rerum, iuxta quod tempus permiſerit, ſufficere poſſint. Et vt manifeſtiùs quod dicimus eluceſcat, primò de noſtris villis quæ in Ambianenſe, Atrapatinſe, ſeu Beluacenſe ſitæ ſunt, pleniter omnia, ſicut ſuprà commemoratum eſt, dentur. Deinde ſi fortè propter longiorem viam poſſibilitas adducendi familiæ non fuerit, bonum exinde reſtat Domino inſinuante conſilium, vt propter hoc nec decima remaneat, nec vllum in pauperibus generetur peccatum.

Digitized by Google

ANTIQVIORES CONSVETVDINES CLVNIACENSIS Monaſterij.

Collectore S. Vdalrico Monacho Benedictino.

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

DOMINO Reuerendiſſimo, ac Pijſſimo Patri WILLELMO, Hirſaugienſi Abbati, ſanctóque Fratrum Collegio ſibi ſubjecto, Frater WALDALRICVS Cluniacenſis Eccleſiæ qualiſcumque Monachus, in Domino ſalutem, & ipſius celerrimam benedictionem & hic & in futuro. Quotidie meminiſſe cùm perſonæ; tum Eccleſiæ tuæ, Pater dilectiſſime, reuerà ita venit in vſum humilitati meæ, vt iam tam vſus, quàm affectus non patiatur vt vllo die omittatur. Accedit aliquotiens admodùm grata, & iocunda memoria pollicitationis tuæ de cauendo ingenio quorumdam hominum ſecularium, qui nimirum non magnopere curantes de alio, quàm de hac ſola temporali vita, poſtquam domum habuerint, vt ita dicam plenam filiorum & filiarum, aut ſi quis eorundem claudus erit aut mancus, ſurdaſtes, aut cæcus, gibboſus, aut leproſus, vel aliud quid huiuſmodi quod eum aliquo modo ſeculo facit minùs acceptum, hunc quidem impenſiſſimo voto, vt Monachus fiat, offerunt Deo; quanquam planè non propter Deum, ſed propter hoc tantùm vt ſeipſos expediant ab eis educandis & paſcendis, vel aliis ſuis liberis poſſit eſſe magis conſultum. Ergo vt taceam de his, qui noncarent ſanitate corporali, & membrorum integritate, ab his ipſis, qui ſunt ita ſemihomines, vel ita ſemiuiui, qualia ſæpiùs experti ſumus perpetrari. Si expediret, in prom-

ptu est talem nominare, quem ad habitum sanctitatis non alia sanctitas quàm sola strumæ contumelia traxit, & talem quem non nisi pes, ····· à quorum vtroque vobis etiam testibus parum boni processit exempli; quanto minùs ab illis, qui bonæ sunt valetudinis, vbicumque tanti sunt congregati, tantæque potentiæ, vt habitudo Monasterij sit in illorum manu? Equidem quæ ibi sit vita, qui vigor disciplinæ regularis, omnes sciunt, quicumque sciunt id genus Monachorum ibi regnare. Adeò tritum est & vsitatum, si qua districtio huius spiritualis militiæ inter has nostrorum temporum fæces esse potest, non esse nisi vbi major est numerus, & authoritas major illorum, qui non ætate lasciua, nec imperio parentum, sed sponte sua, & maioris ætatis solo Christo imperante ad eius se obsequium, rebus seculi abdicatis, contulerunt.

Quod prudentiâ tuâ perpendens, quanquam ipse nutritus sis in Monasterio, & per vices eueniat, vt flos liliorum de spinarum medio emergat, tamen nil adeò curans, quàm quod facit ad cautionem, & meram Religionis soliditatem, per misericordiam Dei, hanc Monasterij tui legem promulgasti, vt opus sit præfatis secularibus alium sibi nidum prouidere, vbi reponant pullos suos abortiuos, velut exhæreditatos: Deo vidente hîc nihil vlteriùs obtinebit illud eis familiare ingenium, vt sicut ait Propheta, oua aspidum, & quod confotum erumpit in regulum, ingerant, & committant piis & Deo dicatis animabus, eis quidem tanquam ancillis suis & nutricibus abutentes. De qua re sentiat quisque quod voluerit; ego autem certus sum illam te radicem funditùs extirpasse, ex qua sola præcipuè omnia sunt Monasteria destructa quæ destructa sunt vel in Theutonica, vel in Romana lingua.

Vnde vt fatear quod verum est, quia te vidi ea piæ sollicitudinis prærogatiua cautum, & studiosum disciplinæ regularis, quanquam si bene tibi voluerim nihil vlterius quod aliquid valeat possim tamen solo excepto, vt dignum est, cuius sum professus reuera nomen, alius quisquam tui nominis, & officij, cui magis possit à paruitate mea modis omnibus & faueri, & deferri: nam & alia sunt adhuc quæ non im-

Digitized by Google

meritò plurimùm & te & hanc domum Dei commendant. Primùm, quia infirmiorem ſexum, quod priùs non erat, de habitatione veſtra longiùs remotum excluſiſtis, vel in obſequio quotidiano tales famulos habere meruiſtis, qui ex liberis ingenuis vltrò ſe humiliantes, vobiſque ſeruientes, non aliam vitam, quàm illam quæ eſt cœleſtis & perpetua expectant. De quibus tamen vnum, quod ſi beneuolentiæ veſtrę videretur, in proximo mutari vellem. Vellem vtique vt non ampliùs permitterentur extra Clauſtrum commorari; daretis eis habitum noſtrum; & quia non ad hoc valent vt ſint lectores, vel cantores cum litteratis, vlmi viuæ viuas quoque vites, iuxta quadamtenus dictum eſt, portarent; vt eodem modo quo huc vſque ſeruiendo litteratis, litteratorum mercedem conſequerentur. Nam ſi B. Benedicto videbatur, vt Fratres viciſſim coquinę munus obirent; munus hoc quoque apud Sanctos Patres inuenitur, quòd ſemel ingreſſi coquinam de cætero in eadem obedientia perdurauerunt. At ſi quis Fratrum fortaſſis talem non habens fidem, vt montes transferat, cauſatur non eſſe vobis tantas opes, vt tantos Monachos expediat aggregare, videte quid Deus faciat de quodam noſtro Gerardo, nato quidem de talibus parentibus qui non erant quammaximæ nobilitatis, de litteris quoque non adeò imbuto, vt non multi ſint illo doctiores; ſed huius fidei hominem no n cognoſco. Nec æſtimauerim facilè poſſe contingere maius miraculum quàm quod Deus per illum iugiter operatur. Nondum eſt annus trigeſimus ex quo in ipſo pago natiuitatis ſuæ fundans Cellam ædificauit, appellatam nomine ſanctæ MARIÆ ad Charitatem; quia cùm ſit in via publica, nullus mortalium tranſit, qui de induſtria vnquam diſſimuletur, & non potiùs experiatur illud Gregorianum, [a] quòd hoſpi tes non ſolùm ſunt inuitandi, ſed etiam trahendi. In Clauſtro autem ad præſens nunquam contingit, vt non aliquanti ſuper centum Fratres quotidie inueniantur. Infra penè quadriennium non erat opportunũ Domno Abbati, vt inuiſeret eandem Cellam. Hoc anno venit, & vno die LV. Nouiciis habitum noſtrum vel benedictionem dedit; quanquam Prior ſingulis annis ad memoriam Sanctorum Apoſtolorum

[a] Greg. Homil. 23. in Euang.

pro benedictione quantos potuit, misisset: Qui etiam ea vice, qua Domnum Abbatem inuitauit, quàm parum frumenta habuerit, & tamen per ···· septimanas quanta liberalitate ministrauerit, non modò nobis, sed etiam cunctis interim superuenientibus, & ad Domni Abbatis audientiam quasi ad quoddam spectaculum vndique confluentibus, si charitati vestræ pro re gesta enarrauero, quantumlibet fidem mihi habeatis, tamen nescio si hoc totum bene credere valeatis. Hoc autem certè nequaquam mentior, quia quantum de vtroque loco accepi, ··· Abbatiæ possessiones solis vineis exceptis, duplo scilicet ampliores. Sed D. G. [b] est talis homo, qui si opus esse viderit, minimè veretur vsque ad tria vel quatuor millia solidorum mutuari. Et diuina clementia quî fieri posset, vt vnquam desereret de se præsumentem, quæ iterum planè coruos mittit ad Heliam temporalis vitæ subsidium ministrantes? Quid enim Francigenas aliud dixerim cùm sint tam inquieti, raptores & de candore virtutum nihil habentes: Inter quos tamen sunt tales aliquando, qui fideli Dei seruo tanta largiuntur, vt in paruissimo tempore quicquid debet resoluat. Cui etiam hoc est familiare, & quasi pro ludo, vt optet nunquam sibi contingere multum abundare de diuitijs huius mundi. Quòd si Comes & Defensor loci vestri sciret vos tanti debitores, non æstimo vt aliquo modo auderet vobis importunus esse, & accedente piæ & religiosæ coniugis suggestione, si nihil daret vobis, nihil etiam acciperet. Absit autem vt quisquam credat Deum esse localem, vt quod facit in Francia, non etiam facere possit in territorio Spirensi. Tantùm eius misericordia sit vobiscum, vt ipse, qui probat renes & corda, hîc etiam videat ea sibi simplicitate, & non minore studio ad eius voluntatem & præcepta obaudiri.

[b] Domnus Gerardus.

Quod paruitati meæ iniunxistis, de hoc videre potestis me non fuisse negligentem: Habetis enim Consuetudines Monasterij nostri, quas collectas vtcumque notaui, quantum ego scire potui, & recordari Quibus semel visis, si postea schedas deponitis, & de cætero non curabitis, ad quid tunc tantùm mihi laboris imposuistis? Quod ne tacerem, ad hoc me compulit aliorum negligentia, quos in primis

mis multùm curioſos, ad vltimum ita feciſſe cognoui. Pleraque ſunt, quæ propter conſequentiam dixi, de quibus non eſt neceſſe vt mentio fiat in conuentu Fratrum. De his autem, de quibus ædificari poſſunt animæ, & incrementa fieri meritorũ, de his tu, Pater, habebis cum Fratribus collationem. Perpendant ſuas antiquas conſuetudines, perpendant tuas, cum quibus te nutriri contigit; perpendant & iſtas, & de omnibus quæ meliora videntur, de his fiat vnum corpus quod de cætero teneatur. Et ſi hoc volueris eſſe ratum, expedit vt communi Fratrum conſenſu præueniatur, ne quod inde .... aut aliquid non bonæ voluntatis poſſit oriri. Et quia Deus imperauit Domno P. qui moratur modò nobiſcum, non eſt abs re virum huius ſcientiæ, huiúſque Religionis, huic negotio intereſſe, & ſi ego adeſſem meum quoque nomen non paterer omnia * cælari, quamuis adhuc Neophitus eſſe videar. * Per omnia.

Memineris autem quod in ipſis verbis quæ notaui, nos duos ita feci colloquentes, quia ſi recolis multa ſumus ad inuicem inde locuti. Et ſi quid videor addidiſſe, hoc quoque non niſi os tuum, & tua lingua edidit, quia non modò lingua noſtra, ſed totus ego ſum tuus; vt non dicam, quòd Chriſtus ita nos fœderauit in vnitate Spiritus, in vno corpore, quod eſt Eccleſia, ſub vno capite, quod eſt ipſe. Verùm perſona mea cùm ſit tenuis, & obſcura, nomen barbarum, ſtylus agreſtis, indignum mihi videbatur, vt huiuſmodi nominis vnquam meminiſſem, aut vllam Præfationem, vt moris eſt, prætitularem. Quamuis tres ſint partes ipſius qualiſcumque collectanei, quibus ſingulis clauſulas aliquas, quæ Proœmium ſimulant, præmiſi, propter te maximè, alióſque Fratres noſtros, in quibus bona quæ vidi exempli tia libenter reticere non potui.

Pars autem prima eſt de opere diuino, & quod maximè fit in Eccleſia per annum vniuerſum. Secunda de erudutione Nouiciorum: Tertia de obedientijs, quibus & vltima obedientia eſt ſubjuncta, quâ quiſque Fratrum ab hoc ſeculo migraturus vocatur ad Chriſtum.

Sola Capitula ſingularum ſententiarum curaui prænotare propter vtilitatem legentium, vt faciliùs quod quiſque

voluerit, possit inuenire. Sanctam Christi familiam, cui præesse videris, plurimùm saluto, & non vt fertur in via, sed verè voto & desiderio salutis æternæ, quam eis fidelissimè opto. Specialiter autem speciales quoque necessarios paruitatis meæ, scilicet Dom. & Mag. A. Dom. S. Dom. O. Dom. G. & adhuc tyronem Christi Dom. E. Gratia Dei Omnipotentis sit cum omnibus vobis. Amen.

INDEX CAPITVM.

CAP. I. *De eo, quomodò Testamentum legatur vtrumque.*

II. *De Nocturnis & horis omnibus Regularibus, si quid eis plus sit additum, quàm quod S. statuit Benedictus.*

III. *De Psalmodia quæ solet dici post Regulares horas.*

IV. *De eo, quibus ex causis, & quomodò per vices Psalmodia minuatur.*

V. *De Collectis & versiculis, quæ Psalmodiam sequuntur, & quantitate Letaniæ.*

VI. *De Missarum solemnijs, & 1. de maiore Missa in primitis diebus.*

VII. *De Missa pro Defunctis.*

VIII. *De maiore Missa in Dominicis diebus.*

IX. *Item de Matutinali missa in Dominicis diebus.*

X. *De processione Dominicali.*

XI. *De diuersitate solemnitatum.*

XII. *De Cœna Domini.*

XIII. *De Parasceue.*

XIV. *De Sabbato Sancto.*

XV. *De ipsa nocte, vel die Dominicæ Resurrectionis.*

XVI. *De Feria 2. & diebus aliis maioris septimanæ.*

XVII. *De octauo die Paschæ, & quomodò ad omnes horas cantetur Alleluya.*

XVIII. *De illa Feria 2. post octauas Paschæ, & quod tunc nonnullæ consuetudines inchoantur.*

XIX. *De tertia septimana post Pascha, & de cæteris vsque ad Ascensionem Domini.*

Digitized by Google

XX. *De feſtiuitatibus Sanctorum, quæ eueniunt à Paſcha vſque ad Pentecoſten.*
XXI. *De Rogationibus.*
XXII. *De Aſcenſione Domini.*
XXIII. *De vigilia Pentecoſtes.*
XXIV. *De ipſo die, & ea quæ ſequitur ſeptimana.*
XXV. *De octauo die Pentecoſtes.*
XXVI. *De Septimana ſequente poſt octauas.*
XXVII. *De ieiunio 4. temporum in menſe Iunio.*
XXVIII. *De feſtis SS. poſt Pentecoſten venientibus.*
XXIX. *De ieiunijs quæ debent fieri in Æſtate feriâ 4. & 6.*
XXX. *De opere manuum.*
XXXI. *De Dominica 3. poſt Pentecoſten & ſeptimana.*
XXXII. *De Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ.*
XXXIII. *De Natali SS. Apoſt. Petri & Pauli.*
XXXIV *De Tranſlatione S. Benedicti.*
XXXV. *De benedictione vuarum & aliorum fructuum.*
XXXVI *De Aſſumptione S. Mariæ.*
XXXVII. *De eo, quid cantetur in Septembri.*
XXXVIII *De Exaltatione S. Crucis.*
XXXIX *De eo quod ab Idibus Septembris ſemel comeditur.*
XXXX. *De conſuetudinibus quæ incipiunt à Kalendis Octobris, vſque ad Kalendas Nouembris.*
XLI. *De conſuetudinibus in Nouembri.*
XLII. *De feſtiuitate Omnium SS. & recordatione omnium fidelium Defunctorum.*
XLIII. *De feſtiuitate S. Martini, & conſuetudinibus, quæ tunc inchoantur.*
XLIV. *De Aduentu Domini.*
XLV. *De Septimana Ieiunij 4. Temporum:*
XLVI. *De Vigilia, & de die Natalis Domini.*
XLVII. *De octauis Natalis Domini, & Epiphaniæ.*
XLVIII. *De Purificatione ſanctæ Mariæ.*
XLIX. *De Septugeſima, & Quinquageſima.*
L. *De capite Ieiunij, & Quadrageſima.*
LI. *De diebus Dominicis Quadrageſimæ.*
LII. *De ſecunda Feria Quadrageſimæ.*
LIII. *De ieiunio 4. Temporum in menſe Martio.*

LIV. *De Passione Domini, & Ramis Palmarum.*
LV. *De festinitatibus, quæ in Quadragesima eueniunt.*

Expliciunt Capita libelli primi.

Incipiunt Capita libelli secundi.

I. *De diuersitate Nouiciorum.*
II. *Quomodò se habeant in Cella Nouiciorum.*
III. *De silentio, & in quibus Officinis.*
IV. *De signis loquendi.*
V. *Quomodò se frater leuet ad Nocturnos.*
VI. *De excessibus pro quibus in Capitulo veniam petit.*
VII. *Quomodò se habeat ad horas Regulares.*
VIII. *Quomodò laternam ligneam portare debeat ad Nocturnos.*
IX. *Quà disciplinà recollocatus iaceat in lecto.*
X. *Quomodò surgat manè, vel quid statim faciat.*
XI. *Quomodò sedeat, vel incedat.*
XII. *Quomodò veniat ad Confessionem.*
XIII. *Quomodò, vel quando pannos suos induat.*
XIV. *Si coctus qua hora coctionem suam videat.*
XV. *Quomodo pannos suos lauet.*
XVI. *Quomodò de regulari hora non exeat nisi pro inenitabili necessitate.*
XVII. *Quomodò se præparat ad Capitulum, vel quid faciat si est sibi concius vllius.*
XVIII. *De Culpa leuiore.*
XIX. *Vbicumque steterit, quomodò stare debeat.*
XX. *De his quæ non licet facere nisi ad horam loquendi.*
XXI. *De minutione sanguinis.*
XXII *Quà disciplinà in Ecclesia maneat ad solemnia Missarum.*
XXIII. *Quà disciplinà maneat in refectorio.*
XXIV. *De habitatione sua & post prandium, & post Cœnam.*
XXV. *Quà disciplinà se post Completorium est collocaturus.*
XXVI. *De confessione, & petitione Nouiciorum.*
XXVII. *De benedictione Nouiciorum.*

Digitized by

XXVIII. *De habitatione illorum in illo triduo poſt benedictionem.*
XXIX. *De Hebdomadario Cantore & de eo qui notatus eſt ad Inuitatorium, vel ad aliquam Lectionem, vel aliquod Reſponſorium.*
XXX. *De Sacerdote hebdomadario.*
XXXI. *De Subdiacono, & de Cantoribus Gradualis vel Alleluya, & Tractus.*
XXXII. *De Diacono.*
XXXIII. *De ſeruitoribus Eccleſiæ, & de his quos appellamus miniſtros Altaris.*
XXXIV. *De Lectore ad menſam.*
XXXV. *De Cocis.*
XXXVI. *De vſtenſilibus coquinæ.*
XXXVII. *De his qui faciunt mandatum.*

Expliciunt Capita libelli ſecundi.

Incipiunt Capita libelli tertij.

Præfatio de electione ſpeciali, & ordinatione Domni Hugonis Abbatis.

I. *De Electione Abbatis.*
II. *De Generali officio Domni Abbatis.*
III. *De culpa grauiore, & de alijs generibus culparum.*
IV. *De Priore Maiore.*
V. *De Decanis qui ſunt villarum prouiſores.*
VI. *De Clauſtrali Priore.*
VII. *De Circatoribus.*
VIII. *De Pueris, & eorum Magiſtris.*
IX. *De Cuſtodia iuuenum.*
X. *De Præcentore, & Armario.*
XI. *De Camerario.*
XII. *De Apocriſario.*
XIII. *De Corporalibus abluendis.*
XIV. *De reliquijs Sanctorum quomodò proſequantur, ſiue recipiantur.*
XV. *De raſura Fratrum.*
XVI. *De balneis Fratrum.*

XVII. *De Cellerario.*
XVIII. *De Custode vini.*
XIX. *De Hortulano.*
XX. *De Refectoriario.*
XXI. *De Custode hospitij.*
XXII. *De Stabulario.*
XXIII. *De Eleëmosynario.*
XXIV. *De Infirmario.*
XXV. *De Famulis ad domum Infirmorum pertinentibus.*
XXVI. *De Infirmis.*
XXVII. *De unctione cuiuscumque Fratris.*
XXVIII *Quid agendum est in fine exitûs.*
XXIX. *Si quis obierit in aliqua Cella.*
XXX. *Quid agatur pro quolibet Fratre in singulis obedientijs.*
XXXI. *De obitu Domni Abbatis.*
XXXII. *De eo qui in Quadragesima obierit, & in 12. lectionibus est sepeliendus.*



Digitized by Google

PROÆMIVM
DE CONSVETVDINIBVS
Cluniacenſis Cœnobij.

Occaſionem ſcribendarum conſuetudinum refert auctor.

ANTE hos dies ſenior noſter Domnus Abbas humilitatem meam in Germaniam direxit, propter quid non multùm intereſt modò referre, quod ad rem pertinet per hanc occaſionem diuerti ad virum venerabilem Domnum Willelmum Abbatem: cuius Monaſterium ſitum eſt in pago Spirenſi & in * Inſula cognomento nigra. Iſdem autem Pater, vt erat à puero notus, & amiciſſimus, me videns lætabundus collegit; & alter mihi Cleophas aliò tendentem, tamẽ aliquantos dies ſecum manere coegit. Interim erat ei mecum ſermo aſſiduus, immò quantum fieri potuit penè continuus, de Conſuetudinibus Eccleſiæ noſtræ, de quibus nimirum ſic orſus eſt loqui: Eccleſia veſtra, Dilectiſſime, per miſericordiam Dei non paruam in noſtris partibus opinionem religionis obtinuit, nec aliud æſtimatur à nobis quàm quod in his locis quæ ad noſtram notitiam pertingere potuerunt, non ſit ei ſimilis in vita & diſciplina regulari; vnde non parum facis ad votum noſtrum, ſi qua te referente meremur audire de vſibus & inſtitutis majorum veſtrorum: quæ etiam ſi non geruntur à nobis, tamen hoc ipſum ad humilitatem ædificat, ſi nos non latet ita vos viuere & conuerſari, vt noſtra infirmitas aut noluerit aut nequiuerit. Ad quod ego: panem, inquam, veſtrum ſum commeſſurus, dignum eſt etiam vt interim voluntati veſtræ obedire non ſim imparatus. Sed qui eſt in loco tali pro diuerſitate linguæ quaſi barbarus, nec à puericia nutritus, non facilè fieri poteſt, vt ita ſciat omnia, ſicut ille, qui eſt indigena, & qui ab infantia inter talia creuit: ideóque non eſt mirum ſi & ego non multùm ſcio de hujuſmodi, qui penè vſque ad triceſimum ætatis noſtræ annum

* al. ſylua.

non nisi de rebus seculi magnoperè curaui. Tamen quantum est quod scio id ipsum referam non inuitus. Ergo vide de quo volueris primùm interrogare.

CAPVT PRIMVM.

Quomodò Testamentum legatur vtrumque.

Interrogatio. AVDIO lectiones vestras in hyeme & in priuatis noctibus multùm esse prolixas. Si videtur simul & semel edissere, quomodò non modò in hyeme, sed etiam in æstate Testamentum legatur vtrumque.

Responsio. Vt incipiam de librorum omnium antiquissimo, id est, Octateucho.* Hic liber, vt mos est generalis, & in alijs Ecclesijs & Septuagesima * ponitur ad legendum. In ipsa Dominica fiunt lectiones satis breues, præter ad primam lectionem, prologus ille, * *Desideri mei*, expenditur totus. Per sequentes noctes ita protenduntur; vt in illa vna septimana *Geneſis* perlegatur, & in Ecclesia tantùm. In Sexagesima * *Exodus* inchoatur & simul cum alijs voluminibus quæ leguntur. Legitur vtrumque & in Ecclesia, & in refectorio; ita vt vbi lectionis terminus fuerit lectæ, ibi semper initium fiat legendæ die sequenti, & si non antè, tamen intrante Quadragesima ex toto perlegitur Octateucus: ex quo tamen ad Dominicas sunt lectiones exceptæ. In alijs noctibus Quadragesimæ legitur expositio S. Augustini super Psalterium, & maximè super cantica Graduum; & sicut noctes tunc magis ac magis corripiuntur, ita quoque lectiones. Cauendum tamen est ne aliquando fiant ita breues, vt ille Frater, qui circam facit cum absconsa, non possit per totum chorum & extrà circuisse, exploraturus scilicèt si quis fortè obdormierit inter legendum. In Passione Domini legitur *Hieremias* Propheta, cuius rursus prologus erit ad primam lectionem. Legitur autem in Ecclesia tantùm, & ita, vt ante Cœnam Domini finiatur vsque ad *Lamentationes*. In Octauis Paschæ leguntur *Actus Apostolorum*, & tantùm per vnam septimanam, de quibus pro noctium breuitate fieri non potest vt multùm legatur. Postea per duas

septimanas

* *al.* Octateucho & Petateucho.
* *al.* in Quadragesima.
* Hieronymi in Pétateuch.
* *al.* Septuagesima.

ſeptimanas *Apocalypſis* & *Epiſtolæ Canonicæ* vſque ad Aſcenſionem Domini. Ponuntur iterum Actus Apoſtolorum, iterúmque leguntur quaſi non ampliùs inchoati à capite vſque ad Pentecoſten. Non minus tamen hæc ipſa volumina ex toto continuatim in refectorio leguntur; ſicut etiam tempore ſuo liber Regum, liberSalomonis, liber Iob, Tobiæ, Iudith, Heſter, Eſdræ, & liber Machabæorum: qui leguntur omnes in refectorio tantùm, in Eccleſia minimè, niſi quantum de eis ad quamlibet Dominicam eſt breuiter excerptum. A Calendis Nouembris repetuntur ad priuatas noctes lectiones. Ponitur Ezechiel Propheta in Eccleſia tantùm legendus, & finitur ex more ante feſtiuitatem S. Martini; cujus & ſi octauas cantu, & alijs ſolemnibus celebramus, tamen Propheticæ lectiones non mutantur, nec etiam in alijs Octauis, niſi fiant duodecim lectiones. Ponitur Daniel Propheta, & duodecim Prophetæ, & non ſufficiunt niſi nouiſſimo adjungatur de homilijs Beati Gregorij Papæ ſuper Ezechielem. In Aduentu Domini Propheta ponitur Eſaïas; de quo dum quærerem, & ad certum ſcire vellem quot noctibus & ipſe perlegeretur ex more; non potui audire ab aliquo, niſi dicam quod meipſum vidiſſe memini & audiſſe: me quidem audiente aliquando ſex priuatis noctibus perlegebatur. Quem ſequuntur Epiſtolæ Leonis Papæ de Incarnatione Domini; & alij ſermones Sanctorum Patrum, & maximè ſancti Auguſtini. Apoſtolus ponitur in illa Dominica, quæ prima occurrit poſt Natale Innocentium: Si tamen in ipſa non eſt Circumciſio Domini, vel Depoſitio Domni Odilonis. De quo idipſum dicere poſſum, quod & ſuprà de Propheta: nam diuerſi diuerſa ſentiunt; Sed vt ego rursùs hoc perhibeam quod & ipſe vidi, talis Epiſtola qualis eſt ad Romanos in duabus priuatis noctibus tota legebatur: Et cùm quidam Frater, qui lectiones terminauerat, terminâſſet breuiores, prohibitus eſt in Capitulo à ſenioribus noſtris. Si autem contigerit vt finiatur Apoſtolus ante ſeptuageſimam, legitur expoſitio Ioannis Chryſoſtomi ſuper Epiſtolam ad Hæbræos. Ecce circulum anni quodammodo circuiui: ſi placet vltra promoueamus.

CAPVT II.

De Nocturnis & omnibus horis regularibus ; Si quid eis plus sit additum , quàm quod Sanctus constituit Benedictus.

Interrog. SOLETIS ampliùs quid intexere nocturnis vel alijs horis, quàm quod S. cõstituit Benedictus.

Resp. Quantum est, si benè memini, dicam. Primò nulla est Antiphona tam parua , quàm non plena toni sui difinitione finiamus. Cujusmodi preces post Dominicam orationem sanctus Benedictus dixerit, nescitur, quia nec scriptum inuenitur , sed quæ dicuntur à nobis ad Nocturnos , ad Matutinas , ad Tertiam , Sextam , Nonam , & Vesperos , quatuordecim Versiculis comprehenduntur : & si est dies priuata , & nullæ octauæ , nec dies Paschales , interponitur psalmus quinquagesimus : Adijciuntur ad Matutinas & ad Vesperos etiam alij quatuor psalmi , & ad Completorium duo. Hoc autem non est mihi compertum , quare ista diuersitas à Majoribus nostris sit inuenta. Nam cùm quatuor psalmi à Nocturnis incipiendi post quamlibet horam , excepto Completorio , pro familiaribus dicantur ; Ad Matutinum & ad Vesperos dicuntur inter preces ante nouissimum versiculum , priusquam se Fratres leuauerint de formis , & collecta dicatur. Et horum psalmorum quia semel memini , vt non differam quoque eos nominatim designare : Primo Nocturnorum , vt ita dicam , pediſſequus est primus de septem pœnitentialibus psalmis , & ita cæteri pro ordine suo diuisi , singuli singulis horis applicantur , præter ad Tertiam quinquagesimus , aliàs adeò frequentatus, quinquagesimo sexto mutatur. In secundo loco apponitur psalmus 19*. 85. 22. 12. 66. 78. 83*. sic autem geminis præmissis. In tertio loco psalmus 69*. post omnes horas semper concurrit , & pro fidelibus defunctis 141. quem adhuc post Primam 50. subjunctus antecedit pro Abbatibus nostris defunctis. Ad Completorium inter preces,

al. * quintus.

al. *18.
al. *84.
al. * 68.

vt præmiſſum eſt, 50. ſequitur iterùm 69*. 12. 120. Sed vt ad hoc redeam quod paululùm intermiſi, & precum quoque Primæ Completorij meminerim, præmiſsâ oratione Dominicâ, & Symbolo Apoſtolico, ad Primam ſunt preces 31. verſiculorum, & confeſſio ſuo in loco eſt interponenda. Ad Completorium autem ſeptemdecim. In priuatis diebus Aduentûs Domini, & Quadrageſimæ, ad Matutinas, & ad Veſperos, vſque ad viginti verſiculos pertingunt. Verùm ea precum diuerſitas, & ſi quæ ſunt alia hujuſmodi, poſſunt tibi ſi placeret in vna cartula ſingulariter adnotari, vt non opus ſit modò his longiùs immorari. Non autem recolo ſi quid ampliùs inſeratur ad quamlibet horam regularem in vllo priuato die, & qui non aliquo modo appendeat ad aliquam ſolemnitatem. al. 68.

CAPVT III.

De Pſalmodia quæ ſolet dici præter horas regulares.

Interrogatio. PETO vt digeras quidquid pſalmodiæ in Conuentu dicatis præter regulares horas. *Reſponſio.* Hæc nimirum prolixior & multiplicior eſt in Quadrageſima, quàm in alio tempore; & hoc quod nunc dicturus ſum, dicam maximè ſecundum hunc ordinem, qui tenetur in ipſa Quadrageſima. In cujus omnibus priuatis noctibus Nocturnos cum ea pſalmodia præuenimus de pſalmo 119. vſque ad finem pſalterij: Poſt quatuor pſalmos, qui Nocturnos, vt ſuperiùs dictum eſt, ritè ſequuntur, gerenda eſt proceſſio ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ. De qua inter procedendum pſalmi duo cantantur, id eſt 84. & 86. vna ſequẽte Antiphona & Collecta Aguntur Matutinæ de omnibus Sanctis. Item Matutinæ pro fidelibus defunctis. Conſideretur ab omnibus, vt decantetur pſalmodia illa, *Deus auribus noſtris:* ad quam pendet pſalmus 78 93. Cantica quindecim Graduum & poſt Dominicam orationem, & ante Collectas ſecuturas, pſalmus 89. & pro fidelibus defunctis, 22. Si cujus Fratris nuper

defuncti triceſimus agitur, pro illo pſalmi dicuntur, 5. 6. 114. 115. 129. *141. 142. Inuenitur autem in regula, quòd S. Benedictus præcipit, vt in Quadrageſimali quid addatur ad penſum ſolitæ ſeruitutis; quod nec diſſimulatur à nobis; ad Matutinas & Veſperos poſt ſuffragia Sanctorum, ad horas autem reliquas poſt quatuor pſalmos horarum, vt ita dicam appendicios, toto corpore proſternimur vt duos pſalmos dicamus, primum de ſeptem pœnitentialibus pſalmis, alterum de canticis quindecim graduum: Verùm ad Veſperos quatuor continuatim dicuntur, quia non eſt conſuetudo, vt poſt Completorium vllus vnquam pſal. in aperto dicatur, niſi qui pſalmos nouerit dum pueri faciunt orationẽ ſub ſilentio, & dicit Pſal. 12. 42. 66. 126. 129. Textus fidei, ſcilicèt *Quicumque* à S. Athanaſio conſcriptus (cujus nonnullæ Eccleſiæ nec meminerunt niſi in ſola Dominica) nullo die obmittitur, vt non dicatur à nobis; ſed in priuatis diebus ſimul cum alijs pſalmis, in Dominica poſt preces. Poſt Primam præter pſalmos, quorum jam ſupra memini, ſequuntur adhuc etiam ſeptem pſalmi pœnitentiales. Poſt Letaniam, quæ in eodem momento eſt dicenda, & ante Collectas ſecuturas, pſalmi quatuor interſeruntur, ideſt, 69. 120. 122. & pro fidelibus defunctis 42. Poſt Capitulum pro defunctis, quorum anniuerſarius in ipſo Capitulo eſt recitatus, idem pſalmi dicuntur, qui & pro triginta cujuſcumque defuncti ſunt dicendi, excepto 141. qui ea vice de medio auferetur. Poſt Veſperos regulares, & poſt pſalmos qui dicuntur à proſtratis, agitur iterum proceſſio ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ cum ipſius quoque Cantico, vt ſicut Matutini aguntur etiam Veſperi de omnibus Sanctis, & pro fidelibus defunctis. Poſt cœnam cum pſalmo 50. in Eccleſiam reditur, ſicut etiam poſt prandium ſemper: ſeruitoribus autem expectatis vſque dum & ipſi ſurrexerint à menſa, agitur officium, vel quod à noſtratibus vigilia vulgò appellatur, quod aliquando cùm tanti defuncti non haberentur, fieri ſolebat cum tantùm lectionibus tribus & reſponſorijs, niſi alicujus Fratris anniuerſario ſuperueniente. Nunc autem cùm nulla ſit dies qui vel multis careat defunctis, ipſum

al. * 118.

Digitized by Google

quoque officium nunquam agitur modò niſi cum nouem lectionibus & reſponſoriis, & collectis, quæ ipſum officium ſequuntur: duo Pſalmi antecedunt ſcilicet 119. 3. ſicut etiam ad Veſperos 145. 123. Ad Matutinas, *De profundis*, & *Vſque-quo*. Ergo quantum recolo Pſalmodiæ non eſt ampliùs quàm * in vſu habeamus.

* Deeſt aliquod verbũ.

CAPVT IV.

De eo, Quibus ex cauſis, & quomodò per vices Pſalmodia minuatur.

CÆTERVM de eius ſumma decedit, nunc pro eo quod Quadrageſima eſt tranſacta, nunc in æſtate pro noctium breuitate; nunc pro diebus Paſchalibus & Octauis, nunc pro eo quod duodecim fiunt lectiones. Primò námque illi duo Pſalmi, qui à proſtratis dicuntur, nunquam dicũtur, niſi in Quadrageſima: à Cœna quoque Domini vſque ad Calendas Nouembris; vel quotiens in ipſa hyeme vllæ celebrantur Octauæ: ante nocturnos non dicuntur niſi ſola Cantica quindecim Graduum. Item non ſolùm in duodecim lectionibus, ſed etiam in omnibus Octauis diebúſque Paſchalibus horas ſingulas non ſequuntur niſi hi duo Pſalmi 69. & 141. In ipſa autem Quadrageſima ſi qua euenerit feſtiuitas duodecim lectionibus agenda remaneat, ipſa Pſalmodia quæ in diebus prædictis, & inſuper officium pro defunctis; pro quibus tamen & veſperi & in nocte matutinæ lectiones dicuntur. Illa quoque Pſalmodia, *Deus auribus*, non omittitur; nec poſt Primam ſeptem pœnitentiales Pſalmi ſimul cum Letania; & tamen propter Quadrageſimam ipſi Pſalmi qui remanſerunt poſt Capitulum ſupplentur, & pro eis à capite Pſalterij *Gloria Patri* poſt Tertiam interpoſito triginta Pſalmi cantantur. Poſt Tertiam verò, cùm ſtatim Miſſa de ipſa feſtiuitate ſequatur, ad Sextam, & de cætero ad reliquas horas, petemus veniam, totàmque Pſalmodiam ſicut in alio quolibet die priuato & quadrageſimali repetemus; quanquam ad horas

non alias Antiphonas, versus, & collectas, quàm de ipsa festiuitate dicamus. Remanet quoque rursùs officium, pro quo quod penè oblitus sum post * singulas horas Psalmi 119. 69. & 141. medius est incertus. Nam majores nostri eo tempore quo in nocte non gerebatur officium sicut geritur in hyeme, ipsum officium in diebus Dominicis & in alijs quibus duodecim lectiones fiebant, non omiserunt agere post Cœnam; ne pro vna die solemni duo officia remanerent. Quod cernens sanctus Majolus aliquando Fratribus esse maximè in tali die onerosum, pro ipso officio constituit vt post singulas horas duo Psalmi dicerentur 119. & 141. Sed vt de Psalmodia hîc quod proposui tandem concludam; in diebus Dominicis, & in alijs extra Quadragesimam festiuitatibus duodecim lectionum agendis, de tanta Psalmorum diuersitate nihil est ampliùs quod dicatur, præter quindecim Cantica Graduum, Matutinæ laudes, & Vesperi de omnibus sanctis; illi Psalmi pro tricenario & anniuersario Fratrum post quamlibet horam duo Psalmi; & si tertius apponitur eadem de causa, quæ præmissa est, tantùm in æstate: nam à Calendis Nouembris vsque Septuagesimam ritè officium defunctorum non agitur nisi in nocte, & illa nox sola, quæ ad Dominicam pertinet, officio caret.

* al. per

CAPVT V.

De Collectis & vesiculis quæ Psalmodiam sequuntur; & quantitate Letaniæ.

Interrogatio IGITVR libens audio si, vt supra Psalmodiam, ita nunc quoque per ordinem innotueris & collectas, & versiculos: collectas præuenientes, sine quibus tanta Psalmodia & in tot membra diuisa non finitur Addideris quoque de letania quæ primam sequitur, cuius sit quantitatis & prolixitatis.

Responsio. Vt morem tibi geram, & secundum eundem ordinem quem hunc vsque tenui; primò ante nocturnos dicuntur sola quindecim Cantica Graduum: dicuntur pri-

Digitized by Google

ma quinque pro fratribus noſtris & omnibus fidelibus defunctis; alia quinque pro nobiſmetipſis : Nouiſſima pro Regibus, & omnibus noſtris familiaribus adhuc viuentibus. Ad ſingulas autem inciſiones, oratione Dominica præmiſſa, ſequitur ad primam verſus & collecta, *A porta inferi &c. Abſolue Domine animas famulorum tuorum Fratrum noſtrùm &c.* Ad ſecundam verſus, *Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui* : Et, *Memor eſto &c.* collecta : *Deus cui proprium.* Ad Tertiam verſus, *Domine ſaluos fac Reges*: *ſaluos fac ſeruos & ancillas*; collecta : *Pratende Domine &c.* At ſi protenditur vſque ad finem Pſalterij, ſola inciſionum loca mutantur, non collectæ, & tunc prima peruenit ad Pſal. 129. Secunda ad 139. Ad quatuor Pſalmos qui quamlibet horam ſequuntur, dicuntur ſemper hi verſiculi : *Domine ſaluos fac Reges : Saluos fac ſeruos & ancillas tuas ; Fiat pax in virtute tua. A porta inferi* : & vna de iſtis collectis : *Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famulis & famulabus tuis* : &, *Dirige quæſumus Domine, famulos tuos & famulas: Largire quæſumus Domine famulis & famulabus tuis. Prætende Domine* : quarum ſingulis adhuc ſubjungitur : *Et pacem tuam noſtris concede temporibus.* Et, *Animæ famulorum tuorum requieſcant in pace*. Quod tamen ad ſolam primam, quia tunc quinquageſimus Pſalmus pro noſtris cantatur Abbatibus : pro ipſis quoque ſolet ita mutari : *Annue nobis quæſumus Domine &c.* De quatuor autem Pſalmis, qui quamlibet horam ſequuntur quotiens duo priores ſubtrahuntur, vt in omni Dominica in feſto 12. lectionum, in omnibus Octauis, & à Natali Domini vſque ad Epiphaniã, & in tẽpore Paſchali, ſubtrahitur quoque de præmiſſis verſiculis vnus, id eſt: *Domine ſaluos fac Reges.* De S. MARIA verſ. & Collecta : *Poſt partũ. Gratiam tuam. Deus qui de B.* MARIÆ *&c.* Si qua magis placet, quæ tamen in vſu ſit, nemo reprehendit. In Aduentu Domini eſt alius verſus, id eſt : *Benedicta tu in &c.* Ad Mat. Laudes de omnibus Sanctis nec Capitulum nec Collecta vnquam mutatur, ſicut etiam ad Veſperos ; Capitulum eſt, *Scimus quoniam diligentibus Deum &c.* Collecta. *Fac nos quæſumus Domine Beatæ* MARIÆ *&c.* Ad Matu. Laudes de omnibus Sanctis poſt

Dominicam orationem versiculi: *Post partum. In conspectu Ang. Nimis honorif. Exultabunt sancti. Sacerdotes tui induant. Adducentur Regi Virg. Exurge Domine adjuua,*

Ad defunctorum Matut. dicuntur hæ Collectæ: *Deus cui proprium. Præsta Domine quæsumus vt anima. Omnipotens sempiterne Deus cui nunquam. Deus veniæ largitor. Deus cuius miseratione. Quæsumus Domine perpetua pietate. Fidelium Deus omnium.* Prima est pro Fratribus nuper defunctis, pro quibus septem officia in Conuentu generaliter sunt agenda: secunda pro anniuersario in Capitulo recitatorum: Tertia pro cunctis familiaribus nostris defunctis: Quarta pro defunctis Fratribus: Quinta pro omnibus in loco nostro sepultis: Sexta pro nostris sororibus & alijs fœminis familiaribus nostris: Septima pro omnibus fidelibus defunctis. In æstate, & eo tempore quo officium non agitur in nocte quotiens duodecim fiunt lectiones de his, defunctorum Matut. Laudes quę proximè sequuntur, aufertur prima & secunda collecta; quia & ipsæ Mat. Laudes officio non præuenti, nec pro anniuersario cuiusque, nec pro nuper defunctis deputantur, sed maximè pro familiaribus nostris, pro quibus & prima dicenda est Collecta. Anniuersarius autem in sequentem diem vsque dum benè fuerit opportunum dilatus, tunc ritè celebratur. Ad Psalmodiam, *Deus auribus nostris*: versus: *Ostende nobis misericordiam. Esto nobis turris fortit. Memoresto congregationis. Domine saluos fac Reges. Saluos fac seruos. Fiat pax in virt. A porta inferi.* Collectæ: *Deus à quo sancta desid. Omnipotens sempiterne Deus. Prætende Domine. Absolue Domine animas. Omnipotens Deus qui viuorum.* Ad Psalmos pro tricenario dicitur collecta, *Absolue.*

Post Matutinas regulares agimus quorundam commemorationem Sanctorum cum Antiphonis versibus & Collectis, quàm nobis est familiare vt appellemus suffragia Angelorum, Sanctorum: & primò quidem sanctæ Crucis: Sanctorum Angelorum, Sancti Ioannis Baptistæ, Sanctorum Petri & Pauli, aliorum Apostolorum, Sanctorum Martyrum, Sancti Martini, Sancti Benedicti, Sanctorum simul Patrũ Oddonis, Majoli atque Odilonis, & nouissimè Confessorum.

Digitized by Google

Confeſſorum. Duos Pſalmos, qui à proſtratis dicuntur, ſequntur iſti verſiculi: *Domine ne memineris. Adjuua nos Deus. Domine non ſecundum. Oſtende nobis. Et veniat ſuper.* Poſtea Collecta breuis, quæ eſt: *Vox noſtra te Domine &c.* Cuiuſmodíque ſimiles in collectaneo plures habentur; & ſemper in fine additur: *Et ad beneficia recolenda &c* Ad ſingulas horas præter ad Matutinas laudes, & ad Veſperos; ſicut nihil eſt medium inter illos quatuor * Pſalmos, quos ſupra memoraui horarum appendicios, & inter iſtos duos Pſalmos, ſic etiam & verſus & Collectæ amborum ſimul conjunguntur, & ad Veſperos hi de canticis ſunt priores, ſicut & in ipſo libro Pſalmorum. al. * tres

Letania ita inchoatur: *Kyrie eleiſon: Chriſte eleiſon; Chriſte audi nos &c* Ita deinceps nominantur de Sanctis plus minus ſeptuaginta tres. Sequentes verſus ad ipſam diuinam pronunciationem deſtinandi ſunt quadraginta tres. Qui autem poſt Dominicam orationem, & poſt alios Pſalmos antecedunt Collectas, ſunt huiuſmodi: *Et veniat.* Et de cætero idem qui dicuntur ad pſalmodiam: *Deus auribus*, niſi hic ſolus: *Oremus pro fidelibus defunctis.* Collectæ: *Deus cui proprium. Omnipotens ſempiterne. Deus qui facis. Prætende Domine famul. Deus à quo ſancta deſideria.* A Paſcha vſque ad feſtiuitatem ſancti Michaëlis contra tempeſtatem Pſal. Benedixiſti. *A domo tua. Abſolue Domine. Deus qui es Sanctorum ſplendor mirabilis.* Aliquando & aliæ ſi videtur, & ſi opus fuerit pro tali cauſa, adduntur ad Pſalmos anniuerſales poſt capit. Collecta eſt pro defunctis Fratribus: *Præſta Domine quæſ. vt animæ &c.* pro familiaribus: *Abſolue Domine.* Hinc quoque ſi aliquando in Quadrageſima propter aliquam feſtiuitatem triginta Pſalmi dicuntur, hos ſequntur iſti verſiculi, & Collectæ: *Oſtende nobis Domine. Fiat miſericordia tua. Saluos fac ſer. Mitte eis Domine aux.* Pro fidelibus defunctis. *Requiem æternam. Deus cui proprium. Prætende Domine. Abſolue Domine. Omnipotens ſempiterne Deus qui viuorum.* Ad Veſp. de omnibus Sanctis Cap. *Sancti per fidem:* Collecta: *Omnipotens Deus nos famul.* Ad Veſp. pro defunctis dicendæ ſunt collectæ eædem quæ ad Mat. ſicut etiam ad officium; ita tamen vt ſi fortè officium

secuturum plures habuerit Collectas quàm Matut. quæ præcesserũt propter causas superiùs relatas, habeantur quoque ad Vesp. Et de officio hoc est sciendum, quòd si breuis pro aliquo defuncto ita venerit, vt pro eo fiat ante Nonam, tres tantùm Collectæ sunt dicendæ; prima quæ aliàs solet dici pro familiaribus: secunda pro Fratribus nostræ Congregationis: Tertia pro omnibus fidelibus defunctis. Et propter hoc consuetum officium non omittatur, si tempus & dies est huiusmodi, vt ritè post Vesperos agatur. Verùm quod primum est pro quolibet nuper defuncto, quacumque hora agitur prædicta Collecta, primo quoque loco non mutatur, & tunc nõ est pro familiaribus dicenda. Item, si talis anniuersarius euenerit pro quo sunt pulsanda omnia signa, habebit primum locum ea de anniuersario Collecta. Aut si anniuersarius est talis fœminæ dicenda primò & pluraliter ea collecta quæ est pro fœminis. At si vnum officium est vtrumque & primum pro aliquo nuper defuncto, & pro aliquo tali anniuersario præponenda est semper illa pro nuper defuncto; cui & ampliùs non contigit vt quisque eius pro huiusmodi meminisset. Quod ipsum quoque obseruandum est in appendentibus & Vesperis & Matut. In festiuitatibus Quadragesimæ Vesperi pro defunctis, qui tunc dicuntur, tam sunt præcipuè pro familiaribus, quàm & Matut. laudes: Ideò non aliæ Collectæ, nec alio subjunguntur ordine, quàm & ad Matut. Ad Psalmos, qui post Completorium quoque sub silentio dicuntur, sunt hi versiculi & Collectæ: *Quoniam tu illuminas &c. Quoniam in te scrip. Dominus illuminatio. Dominus protector vitæ. Exurge Domine. Deus qui illuminas noctem. &c.*

Digitized by Google

CAPVT VI.

De Miſſarum ſolemnijs : & 1. De maiore Miſſa priuatis diebus.

Interrogatio. QVOT Miſſas acturi eſtis quotidie generaliter in Conuentu?

Reſponſio. Duas : primam de die ; alteram ſi eſt dies priuatus pro defunctis. De quo vt vltrò inferam quod tu tamen quærere non libenter negligeres. Majorem Miſſam in priuatis diebus ſolet iterum letania præuenire, quæ tamen non eſt multùm prolixa, tribus tantum Sanctis de ſingulis ordinibus nominandis. Primâ Collectâ præmiſſâ, hæ ritè ſequuntur : *De cuius dextera Beatum Petrum. Concede quæſumus. Omnipotens Deus, vt inter ſanctæ. Quæſumus Omnipotens Deus, vt famuli. Omnipotens ſempiterne. Deus qui ſac. Deus à quo. Omnipotens ſempiterne Deus miſerere famul.* Ab oct. Paſchæ vſque ad feſtum S. Michaëlis: *A domo tua quæſ. mus.* Quorum cùm quædam ſatis ſint nota propter quid dicantur, de quibuſdam tamen dubitari poteſt : Quarta eſt pro Regibus aliiſque Principibus : Quinta pro Epiſcopis & Abbatibus noſtris : Sexta pro familiaribus noſtris : Septima pro Regibus Hiſpaniarum per vices, & aliæ Collectæ. Si eſt cauſa pro qua opus fuerit adijciuntur, vt, verbi gratia, pro iter agentibus, pro infirmis, vel pro qualibet alia tribulatione ſuperueniente. Cantus autem totus ſimpliciter & eodem modo quo in alijs Eccleſijs cantatur. Solus Introitus, ſicut & aliàs moris eſt, ſecundò poſt *Gloria Patri*, ter repetendus. De verſibus offerendis nihil aliud referre noui, niſi Præcentor ſecundũ quod ſibi videtur imponit nunc vnum, nunc omnes, maximè propter offerentes. Nam per tres dies ſeptimanæ quotquot ſunt de ſiniſtro choro ab his offertur, pax datur & accipitur ; & quibus viſum fuerit ab his corpus Domini ſumitur, propter quod etiam tres hoſtiæ conſecrantur, per alios tres à dextro eadem viciſſitudine & pacem accipiunt & communicant ſi qui volunt.

CAPVT VII.

Pro quibus dicnutur Collectæ in Missa pro defunctis.

AD Missam pro defunctis tam de primo* choro, quàm de altero, solent omnes offerre. Huius Collectæ nunc plures, nunc potiores; numerum tamen decimum non excedunt. Persæpe autem prima solet Collectarum eadem quæ ad officium est prima, & eius secunda, hîc etiam secunda pro anniuersarijs: Tertia pro Pontificibus, id est, *Deus qui inter Apost.* Quarta pro familiaribus nostris. Quinta pro Fratribus. Sexta pro Regibus Hispaniarum: *Omnipotens sempiterne Deus in cuius humana conditio.* Septima pro Regina Hispaniarum; & pro sororibus & alijs fœminis familiaribus: Octaua, *Inclina Domine aurem tuam*, pro parentibus & consanguineis nostris. Nona pro omnibus qui in loco nostro sunt sepulti. Decima pro omnibus fidelibus defunctis. Nouissima pro viuis & defunctis, id est, *Sanctorum tuorum.* Cæteræ in alio loco iam sunt prænotatæ pro quibus dicantur. Sed sicut ordo Collectarum aliquando mutatur ad officium, ita per vices etiam mutatur hîc vel propter aliquem nuper defunctum, vel propter aliquem anniuersarium, post duodecim quoque lectiones, sicut semper Matutinæ defunctorum familiaribus nostris sunt deputatæ, ita Missa defunctorum deputata est Pontificibus Romanis, & propterea tunc prima Collecta pro eis dicenda, & duę de medio auferuntur quæ & Matut. familiaribus nostris deputatæ, sunt auferendæ. Sequentes autem tenent ordinem supra memoratum: Sed earum, quas dixi post duodecim lectiones auferendas, vt adhuc meminerim, tanta est multitudo illorum qui omnes professi sunt congregationis nostrę, vt rarissimè his defunctis careamus, pro quibus septem officia simul cum septem Missis sunt agenda; & propterea non est alia quæ tam frequenter prima dicatur, quàm ea quæ pro huiusmodi est constituta; id est: *Deus cui*

al. * vae.

prop. At ſi euenerit talis anniuerſarius pro quo pulſanda ſunt omnia ſigna, præponẽda eſt ea de anniuerſario Collecta. Quod ſi Miſſa prima celebranda eſt pro quolibet nuper defuncto, ſiue corpus defuncti præſens ſit, ſiue non, dicenda eſt pro eo ea prima Collecta quæ ſolet aliàs pro familiaribus dici, id eſt *Omnipotens ſemp. Deus cui nunquam*: & poſteaquam ſemel dicta fuerit, ea vice non eſt dicenda pro familiaribus ſecundò. At ſi euenerit ſimul & talis anniuerſarius & prima Miſſa pro Fratre nuper defuncto, quod in alio loco de officio iam dixi, hîc etiam tenetur vt illa Collecta pro nuper defuncto præponatur, & ea quæ eſt de anniuerſario ſequatur. Et hoc notandum, vt illa prima Miſſa pro nuper defuncto nunquam dicatur, niſi prius officium ſit pręmiſſum. De cantu autem Miſſę defunctorum non eſt multum quod opus ſit vt dicatur; quod tamen æſtimauerim non tacendum. Quotiens ſolitò ſolemniùs agitur ſiue pro recens defuncto, ſiue pro anniuerſario, primus* puerorum cappa indutus tenet chorum, à duobus pueris albis indutis cantatur Graduale, vel quod ab alijs reſponſorium appellatur; & ita vt verſu finito Graduale à principio repetatur. Aliquando talis anniuerſalis agitur tam celebris, vt duo pueri rurſus Graduale canturi ſericis induantur tunicis, & duo Fratres cappis ad Tractum cantandum, qui tamen ſatis rarò cantatur.

* al. vnus

CAPVT VIII.

De majore Miſſa in diebus Dominicis.

IN Dominicis diebus ad majorem Miſſam Introitus poſt verſum dimidius ſolet recantari, poſt *Gloria Patri* totus. *Gloria in excelſis Deo* nunquã omittitur niſi in Aduentu Domini, & à Septuageſima vſque ad Paſcha. Vna tantùm Collecta eſt dicenda. Graduale à duobus albatis cantatur, ita vt verſu finito à principio repetatur. Item Alleluia à duobus. Verſus Offertorij omnes cantant. Tamen niſi vnus offert, ſed quinque ſimul hoſtias; vt qui voluerint poſſint communicare. Pacem accipiunt vniuerſi.

Ipsæ autem hostiæ cùm fuerint consecratæ, mutantur quatuor cum illis quæ in pixide, & in aurea columba super altare pendente iugiter seruantur; maximè propter infirmos, vt quidquid de eis eueniat Viaticum sit in promptu. Mutantur autem per manum Diaconi in omni die Dominica ea de causa, ne longo situ aliquo modo fiant deteriores.

CAPVT IX.

Item de Missa matutinali in diebus Dominicis.

TVNC vt ad Missam quoque matutinalem in eisdem diebus veniamus; hæc nimirum non alia solet esse quàm & major, scilicèt de die. Post primam Collecta secunda est de Trinitate. Posteà hæ omnes quæ in priuatis diebus ad majorem Missam dicuntur, & nouissimè *Sanctorum tuorum.* Cantatur autem absque Symbolo Apostolico, nisi aliquando eueniat, vt propter aliquam tribulationem plebs rusticanà conuocetur ad eandem Missam audiendam, tunc non omittitur. Si est in Quadragesima absque Tractu, si in Paschali tempore cum vno tantùm Alleluia. Solus Prior offert vnam tantùm hostiam. A Diacono accipit pacem alicui foris Chorum de popularibus dandam. Diaconus quoque ex more communicat.

CAPVT X.

De Processione Dominicali.

MISSA matutinali finita confestim à Sacerdote, qui majorem Missam cantabit, sal & aqua consecratur; nisi fortè in alijs præcipuis festis: tunc alius quàm qui Missã cantabit stola præcinctus facit consecrationẽ, quâ consũmtâ aspergit primùm cum aqua benedicta pauimentũ in circuitu altaris majoris, & aliorum altarium quæ sunt in vicino, & posteà Fratres. Vno Conuerso cum cruce sinistro

Digitized by Google

eius lateri jugiter adhærente, & altero conſecratam aquam præferente perluſtrat clauſtri officinas, in ſingulis vam collectam benedictionalem dicendo. Primùm domum infirmorum, 2. dormitorium, 3. refectorium, 4. coquinam regularem, 5. cellarium. Conuentus eum expectando facit primam ſtationem in Eccleſia ſanctæ MARIÆ, vbi & vna collecta de ipſa tonali eſt proũnciatione dicenda: Secunda ante dormitorium: Tertia ante refectorium: Quarta ſimul cum ipſo in veſtibulo Eccleſiæ: Quinta à Paſcha vſque ad Pentecoſten ad ſanctam crucem vbi rurſus mos eſt vt de illa vna collecta dicatur. Singulas collectas hîc nominare non vacat, quia ſatis ſunt notæ, niſi de duabus neſcio ſi apud Teutonicos ita ſunt in vſu; vna quæ ante portam Eccleſiæ dicenda eſt inter cantandum, id eſt, *Domine Ieſu Chriſte*: Altera quæ in Choro: *Via Sanctorum omnium.*

CAPVT XI.

De diuerſitate ſolemnitatum.

Interrogatio. IN alijs feſtis ſi proceſſionem non facitis, numquid tamen alia omnia tenetis & obſeruatis, quæ in diebus Dominicis ſunt obſeruanda, aut eſt quidquam quod addere ſoleatis?

Reſp. Alia ſunt plura in quibus nihil agitur ampliùs, quàm in qualibet Dominica die; & alia ſunt in quibus hoc ſuperadditur, quòd Inuitatorium canturi albis induantur, & quòd Sacerdos lecto poſt nocturnos Euangelio cum alba redit in Chorum, vt albatus ad canticum Euangelij altare* incenſet: vt in depoſitione S. Hilarij: in octauis Epiphaniæ; in feſto S. Agnetis, S. Agathæ; S. Matthiæ; in depoſitione S. Gregorij; S. Benedicti; in Annuntiatione S. MARIÆ, in octaua Aſcenſionis Domini; in depoſitione S. Conſortiæ virginis; in octaua Sancti Ioannis Baptiſtæ; in Tranſlatione S. Martini; in octaua Tranſlationis S. Benedicti; in depoſitione S. Brictij; in octaua S. Martini; in depoſitione S. Clementis; in octaua S. Andrææ; in Natiuitate S. Luciæ; in depoſitione S. Silueſtri; & hoc ipſum fieri

* al. * altaria

ſolet in quinque Dominicis diebus, ideſt in prima Dominica Aduentus; in ſeptuageſima; Quadrageſima, & Ramis palmarum.

Sunt alia quæ in hoc præcellunt; quòd formæ in choro tapetibus cooperiuntur; quòd ad Veſperos & Matutinas ante altare cerei quinque accenduntur, cùm aliàs niſi tres; quòd Sacerdos altaria incenſat in cappa; quod ad eaſdem horas duo pueri Reſponſoria decantant, & Benedicamus pronuntiant; quòd ad noctur. duo lectores & non plures, Reſponſoria quartum, 8. & 12. cantant, quòd ipſum Reſp. duodecim recantant; quòd ad majorem Miſſam omnes qui cantare ſciunt ſunt in albis, quòd poſt alleluia quædam melodia neumatum cantatur, quod ſequentiam quidam appellant: vt in depoſitione S. Mauri; in Natiuitate S. Vincentij; in Conuerſione S. pauli; in Natali Apoſtolorum Philippi & Iacobi; in Inuentione & Exaltatione S. Crucis; in depoſitione S. Martialis; in exceptione Reliquiarum S. Gregorij; in Natali S. Iacobi; in depoſitione S. Germani; in Inuentione S. Stephani; in octaua Aſſumptionis S. MARIÆ; in Natiuitate S. Bartholomæi; in Natiuitate Sanctorum Iuliani, & Hermetis; in Decolatione S. Ioannis Baptiſtæ; in Natiuitate S. Marcelli Martyris; in exceptione S. Marcelli Papæ; in Natiuitate S. Ægidij; in Natiuitate S. Mauritij; in Natiuitate S. Dionyſij; in depoſitione S. Lucæ; in Natiuitate S. Aquilini; in Natiuitate Apoſtolorum Simonis & Iudæ; in Natiuitate S. Quintini Martyris; in depoſitione S. Odonis Abbatis; in Natiuitate S. Thomæ Apoſtoli: Inter quas tamen feſtiuitates, Inuentio & Exaltatio ſanctæ Crucis hanc habent prærogatiuam, vt ad majorem Miſſam cappis omnes induantur. Item quædam ſunt in hoc ſuperiores, quod in Choro duo dorſalia *, & ſex in preſbyterio ſuſpenduntur, quòd hi duo qui Inuitatorium ſunt cantaturi tam cappis induantur quàm omnes ad majorem Miſſam: quòd ad Veſperos & Matutinas ſuper canticum Euangelij in tria membra diuiſa ter cantatur; primò ante vltimum verſum, tertiò poſt *Gloria Patri* ſimul ab omnibus: quòd melodia ſolemniore quàm in alijs diebus cantatur hymnus Tertię & duarum ſequentium horarum

* *Dorſale eſt pallium ſiue aulæum & tapetum quod in dorſo ponitur, ſiue parietibus appenditur.*

Digitized by Google

rum, & Prima ſolemniore quàm etiam in Dominica: quòd Miſsâ majore finitâ omnia ſigna pulſantur; vt in Nat. S. Ioãnis Euangeliſtæ, & Innocentium; in Circunciſione Domini; in depoſitione S. Odilonis; in Nat. S. Marcelli Papæ; in Nat. S. Fortunati; in Cathedra S. Petri ſi euenerit extra Quadrageſimam; in illis tribus diebus Paſchæ & Pentecoſtes; in dep. S. Majoli; in Commemoratione S. Pauli; in Octaua SS. Apoſtolorum Petri & Pauli; in Tranſlatione S. Benedicti; in Nat. S. Laurentij, in Nat. S. MARIÆ; in Nat. S. Matth. in feſtiuitate S. Michaëlis; in Nat. S. Andreæ. Vbi tamen notãdum quòd Matutini * excipiuntur in illis tribus Paſchæ & Pentecoſtes; & quòd Antiphonæ non recantantur, vt etiam nec in Nat. S. Marcelli Papæ, & S. Matthæi.

* al. Nocturni.

Item ſunt quæ in hoc ſupereminent, quòd Inuitatorium quatuor cantant; quòd ſingula Reſponſoria cantant duo vel plures; quòd ad Veſperos & Matut. non pueri ſed Majores cantant Reſponſoria; quòd duo thuribulis incenſant, quòd ad Matutinalem & majorem Miſſam non niſi vna Collecta eſt dicenda; quòd ſeptem cerei ante altare accenduntur; quòd in Choro quatuor pallia & in preſbyterio octo ſuſpenduntur: Vt in Nat. S. Stephani; in Epiphania; in Ipapanti Domini; in ejus Aſcenſione; in Natiuit. S. Ioannis Bapt. Hoc autem * de prima Collecta ad matutinalem Miſſam habent & illi tres dies poſt primum non ſolùm Paſchæ & Pentecoſtes, ſed etiam Natalis Domini. Item ſunt aliæ in quibus hoc apponitur; quòd tota Eccleſia à fine vſque ad finem dorſalibus adornatur, & coronæ accenduntur; quòd inter nocturnos altare principale ter incenſatur ad tertiam lectionem, ad ſeptimam, & ad vndecimam, & thuribulum ab ipſo Sacerdote qui incenſauit cappa induto portatur generaliter ad Fratres, & in Choro & extra Chorum; Vt ad Vincula S. Petri: in feſtiuitate Omnium Sanctorum: in depoſ. S. Martini: in Dedicatione Eccleſiæ ſi euenerit extra Quadrageſimam. Solæ quinque principales feſtiuitates ad ſuperlatiuum gradum quodammodò pertingunt, id eſt, Nat. SS. Petri & Pauli: Aſſumptio S. MARIÆ, cum tribus feſtis Dominicis, quæ hoc habent ſingulare

* al. de vna ex tribus Collectis, &c.

Digitized by Google

quòd ad nocturnos vice scillæ pulsantur omnia signa, & posteà non singula, sed duo simul, sicut etiam ad Vesp. quòd illud triangulare ante sanctam Crucem dependens accenditur: quòd illi quoque maximi cerei, tres post altare principale, & septem ad sanctam crucem accensi de Vesperis vsque ad Vesperos, immò vsque ad Completorium ita perdurant: quod ad Nocturn. tria diuersi coloris pallia super altare principale mittuntur singulatim auferenda; primò ad finem quarti Responsorij; item octaui, & post Cantica; quòd processio per Claustrum tam solemnis agitur, vt non solùm cruces, sed etiam textus Euangelij, candelabra, & cætera quæque mobilia ornamenta portentur. In Octauis Pentecostes; commemoratio S. Trinitatis, & Annuntiatio S. MARIÆ si contigerit extra Quadragesimam celebranda, hoc solùm minus habent, quòd ad nocturnos tria pallia non ita mittuntur super altare, & processio eo apparatu non agitur, Prosa, vel quod alij Sequentiam vocant, non cantatur nisi in quinque festis principalibus; in Epiphania; in Ascensione Domini; in Translatione S. Benedicti, & in Nat. S. Mauritij. Hoc quoque sciendum de ipsis festiuitatibus; quia si duæ continuatim celebrantur, & præcedens majoris est reuerentię, de præcedente quoque secundi Vesperi dicuntur ex toto, & de sequente nonnisi Antiphona & Collecta. Quæcumque autem festiuitas in Quadragesima celebratur, nihil ei ampliùs vllo modo defertur, quàm vni diei Dominicæ, ex his quinque, quarum supra memini, exceptis.

CAPVT XII.

De Cœna Domini.

Interrog. MEMINISTI aliquantulum vtrorumque dierum & priuatorum & ſolemnium, ſcilicèt in quo ſint diſſimiles, & quibuſdam ex ipſis ſolemnibus ſolemnitates, ſed nondum ſpecialiter dixiſti de aliquo anni tempore, vel die, qui ab eo proprium ac ſingulare habeatur; & propterea ſi volueris, vt pollicitus es, pro voluntate noſtra agere quod loquor, incipe ab aliquo die vt ſingulorum dierum vel temporum ſuis proprietatibus quandam præſcribas definitionem, vt ſicut ſuperiùs feciſti de vtroque Teſtamento quo modo legendum eſſet referendo, ita nunc quoque fac iteratò quendam circulum anni.

Reſp. Crede mihi, Pater, iſte circuitus, quem modò quæris, non eſt ita leuis, multúmque diffido meis viribus, vt ſi incipiam ita vt ſit proficuum, à me perfici non poſſit: tamen in Chriſti nomine, & pro amore tam chari petitoris quantùm poſſim non omittam experiri: ſed priuſquàm hoc ipſum quod habeo virium deficiat, expedit vt difficilior locus ad incipiendum eligatur, quia per planiora curritur aliquando etiam à laſſo. In toto autem anni tempore, non eſt vllius diei obſequium tam multiplex, & tam prolixum, vt in Cœna Domini; idcircò hæc ſit meta prout poſtulas, & à qua incipiatur; & ad quam recurratur. Igitur in illius tribus noctibus æqualiter quæ Dominicam Reſurrectionem præcedunt, quomodò ante noct. ordinentur quindecim candelæ, vt ſingulæ ante ſingulos pſalmos extinguantur, vacat vt referatur, quia illa conſuetudo ſatis nota eſt, & per Eccleſias omnes, quæ in iſtis ſunt partibus, generalis. Cantica quindecim Graduum ſub ſilentio dicuntur; nec tamen omittitur per ſingulas inciſiones ſuper formas procumbi. In prima nocte pulſantur ad Nocturnos omnia ſigna, in qua & in duabus ſequentibus ipſi nocturni geruntur à nobis eodem modo quo à Canonicis, pſalmis, lectio-

nibus, & reſponſorijs ad nouennarium pertingentibus. Primæ tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ fiunt, in quibus tamen non ita Canonicos imitamur, vt eas non tam legere quàm cantare videamur, ſicut illi per multa loca ſolent, illáque alphabeta omninò tacemus: tres ſequentes de tractatu S. Auguſtini ſuper pſalmum ſexageſimum ſecundum, tres nouiſſimæ de Apoſtolo quæ in prima nocte incipiunt ab eo loco Epiſtolæ ad Corinthios: *Primùm quidem conuenientibus vobis in Eccleſia audio ſciſſuras eſſe.* In ſecunda nocte ab eo loco Epiſt. ad Hebræos, *Feſtinemus ingredi in illam*; in tertia nocte ab eo loco ejuſdem Epiſtolæ: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex.* De hoc quoque non eſt opus verbum facere quod non minùs eſt ſcitum: Et nocturnos, & omnes horas abſque verſu, *Deus in adjut.* cum venia tamen inchoari, & ab antiphonis quarum etiam nulla cum definitione toni finitur: Lectiones quoque ſolito more nec incipi nec finiri: Verùm ad Matutinas laudes cùm venitur ad *Laudate Dominum de cælis*, quiſque juuenis ſtabit juxta Cuſtodem ſuum; in medio quoque duorum puerorum ſtabit vnus Magiſter eorum, qui ambos per manicas tenebit vſque dum Matutinæ finitæ ſint. Poſt cantica Euangelij cum antiphona, quæcumque fuerit cantata, procumbunt ſuper formas. A ſingulis preces dicuntur ſub ſilentio, *Ego dixi*, cum pſalmo *Miſerere*, & collecta* *Deus à quo Iudas &c.* ſigno facto per ſonitum à Domno Abbate conſurgunt, & laternis cum lumine aportatis per Magiſtros puerorum eunt in dormitorium.

al * Collecta *Reſpice*, vel alia.

Aurora benè apparente, vt alio lumine non indigeatur, ſcilla ſonatur; leuant ſe de lectis ſuis, feſtinant ad Eccleſiam. Factâ oratione, Prima inchoatur ab hymno, ſicut & tres Horæ ſequentes, cujus vltimus verſus, qui eſt de ſancta Trinitate, remanebit. Pſalmi conſueti cum Antiphonis & tono cantantur. Inter preces, cùm venitur ad locum confeſſionis, dat ſignum Domnus Abbas cum ſonitu, vt dicatur omiſſis pſalmis familiaribus: cùm poſt preces ſurrexerint, decantant ſeptem pſalmos ſine *gloria*, letania conſequente cum omnibus appendicijs ſuis: quâ finitâ non mutant, quod in priuatis diebus per totam Quadrageſimam obſeruare ſolebant,

vt non ſe calcient antequam ſignum audiant & tribus orationibus Tertiam præueniant. Hoc autem mutatur, quòd ipſam Tertiam eo die non ſtatim ſequatur Miſſa matutinalis. Priùs quoque quàm de Eccleſia exierint, noua calciamenta ſuper tres perticas ſuſpenſa à famulis Camerarij in Capitulum apportantur, & ſuper quatuor palos terræ infixos ipſæ perticæ mittuntur. Vbi præter Diei & Lunæ pronuntiationem, & ſententiam Regulæ, quæ ex more ibi legitur, quidquid aliud & à Sacerdote & à Conuentu dicitur ſub ſilentio, & illis tribus diebus nihil aliud legitur in Capitulo niſi de Regula tantùm,

Vt autem proſequar quod incœpi de calciamentis, expoſitâ Regulæ ſententiâ, jubente Domno Abbate conſurgit Camerarius, & ſuffraganeus ejus, & per eos ipſa calciamenta erogantur, quibus ſingulis ſingulorum quoque nomina Fratrum ſunt adſcripta. Accipientes noua reddunt vetera benè lota (ſi tamen plus quam vnum par habuerint de diurnalibus) vt pauperibus tribuantur. Pronuntiatur quanti fratres ſint in clauſtro, vt tanti quoque pauperes ad Mandatum admittantur; & inſuper quantum viſum fuerit pro amicis noſtris Domno Abbati. Ipſis autem pauperibus continuò à Sacerdote, qui Miſſam matutinalem cantaturus eſſet, cantatur ad altare ſanctæ crucis, & ſingulis ſingulæ dantur oblatæ: & quia temerarium eſſet vt ita indiſcretè communicare permitterentur, quorum conſcientia neſcitur: qui tamen pauperes priùs à Decano villæ electi ſunt, nec tales ſint aliquo modo qui Clauſtrum non debuerint intrare. In hoſpitali autem reficiendis bina dantur edulia fabarum & milij. A famulis eleëmoſynæ cum aqua calida prælauantur pedes eorum. Antiqua conſuetudo erat ſatis probabilis, vt in iſto die & in præcedenti & in ſequenti, etiam per totum annum, quotiens tale aliquid debuerit fieri, quaſi nouum pro qualitate temporis, hoc in Capitulo ab vno puero ediceretur, qui ſi quid mendoſum proferret, non eſſet talis perſona cui contradici non auderetur. Nunc autem neſcio propter quid hoc eſt mutatum, & ſi Domnus Abbas non adeſt, nec Prior, talis multùm indè peritus Præcentori, vel alij Fratri alicui, potiùs quàm

puero imperat hoc munus. Post Capitulum psalmi pro anniuersario Fratrum eo die cantantur in aperto, quanquam in duobus sequentibus sub silentio, tabulâ percussâ Fratres loquuntur in Claustro, & post Sextam iteratò. Post Nonam statim Sacerdote alba induto, & cæteris ad Majorem Missam seruituris, faciunt processionem ad nouum ignem consecrãdum cantantes psalmum quinquagesimum. Ante processionem portatur crux, aqua benedicta, & thuribulum, tamen sine igne; vt nouus ignis, postquam consecratus fuerit, aspergatur & incensetur ad benedicendum, Oratio *Domine Deus Pater omnipotens*. Per mediam autem Ecclesiam reuertuntur in Chorum cantando psalmos 53. 56. 59. 79. Ipso die ritè lumen in pertica portatur à Custode Ecclesiæ, in Parasceue à Priore, in Sabbato sancto à Domno Abbate vel à Sacerdote, * lapis pretiosus berillus de quo ignis est producendus sub custodia Apocrisarij seruatur; quem tantum Præcentori adhibet, vt ab eo ignis proferatur; eundémque ipso die, in processione idem major Ecclesiæ Custos bajulat.

* *Ex alio M. S. codice B.*

Sed vt ad istum de quo agitur redeam, cùm venerint in Chorum, complicantur formæ, sicut est consuetudo in his diebus in quibus venia non est petenda. Pulsatis omnibus signis cantatur Missa festiuè, tamen absque *Gloria in excelsis*, & post versum Introitus *Gloria Patri* non dicitur *: Diaconus Dalmaticâ induitur, Subdiaconus Tunicâ, cappis qui Gradalem cantauerint. Omnes accipiunt pacem omnésque communicant; & per illos quatuor dies communicare non quisquam fratrum omiserit, etiamsi aliud tale quid ei contigerit dormiendo. Finitâ Missâ tabula percutitur pro signo ad orationem Vesperorum, quam formis iterum explicatis faciunt procumbendo. Interea verò reconditur Dominicum Corpus à Sacerdote retro altare. Ponitur in patena aurea, & patena inter scutellas aureas, & adhuc scutellæ inter tabulas argenteas, quæ factæ sunt ad textum Euangelij. Eo autem quo ab altari * portatur cum cereis, & cum plurimo incenso. Postquam se exuerint qui ad Missam seruierunt, Domnum Abbatem præcedentem omnes sequuntur (sedet * enim interim in Choro) & eunt

al. * *Gloria Patri* adiungitur.

al. * Eo autem quo altari portatur, pórtatur cum &c.

al. * sederunt.

Digitized by Google

in refectorium vt mixtum accipiant tantùm vnuſquiſque de libra ſua, & potio eis pigmentata propinatur. Quando conſederint, vel quando ſurrexerint, nihil dicunt de verſu, ſolummodò antè faciunt & retrò. Interim pauperes in Clauſtrum introducti conſedere jubentur. Ad quos Fratres venientes in alia parte Clauſtri per ordinem conſiſtunt, & ita vt priores pauperibus ſint propiores. Ipſe Domnus Abbas imponit Antiphonam, vel Præcentor, *Dominus Ieſus*: & venia petitur ab vniuerſis. Inchoatur mandatum, & duo ſimul ex vna parte lauant & tergunt, & ex altera duo pueri ſeorſum cum Magiſtris ſuis & cum infirmis. Pſalmus 66. ſubjungitur Antiphonæ prædictæ, *Mandatum nouum*, quæ & per ſingulos verſus eiuſdem Pſalmi repetitur: poſteà Pſalmus 118. in quo iterum repetitur poſt octo verſus: cùm ad hoc quoque ventum fuerit vt ad manus pauperum aqua miniſtretur, tunc & aliæ Antiphonæ ad mandatum pertinentes decantantur; tabulâ ſemel percuſsâ ceſſatur à cantu. Datur benedictio ſuper vinum propinandum ſub ſilentio, cum quo ſimul duo denarij ſingulis pauperibus à ſingulis Fratribus tribuuntur. Inclinatis omnibus dicendus eſt verſus, & Collecta à Domno Abbate, ſicut & in cæteris diebus ad mandatum pauperum dici ſolent, ita ne poſſit audiri. Et in hunc etiam modum impoſito Pſalmo *Miſereremei Deus*, & facto antè & retrò redeunt in Eccleſiam. Interim autem dum mandatum fiebat percuſſa eſt tabula tantis vicibus, quantis ſigna ſolent ad Veſp. pulſari: Sed Conuentu intrante prouiſæ ſunt tabulæ quàm plures quæ in vice ſignorum omnium à Cuſtodibus Eccleſiæ ad oſtium ipſius Eccleſiæ ſtantibus percutiuntur. Cantantur Veſperi more Canonicorum, puero inchoante cum quinque Pſalmis, & eodem modo quo & Matut. laudes finiuntur; propter quod tamen ne æſtimaueris vt ad alias Horas alij Pſalmi, quàm qui ſolent, dicerentur. Omnia ex toto altaria nudantur; pro cymbalo percutitur tabula, & in refectorio pro ſcilla. Vbi rurſus ſicut in Capitulo quæ dicenda ſunt, omnia præter lectiones ſub ſilentio dicuntur, & ad Eccleſiam ita regrediuntur.

Ad mandatum quod inter Fratres eſt gerendum, Hebdo-

madarij primùm lauant pedes Fratrum & non tergunt: quos Domnus Abbas sequens tam iterum lauat quàm tergit. Cui etiam tres Fratres obsequuntur pedes Fratrũ inter lauandũ sustentando, aquã apportando, & manutergia mutando, & cùm ad alias vices de vna aqua duobus Fratribus aqua pedes lauentur, hîc quidem non nisi vni. Fratrum autem tanta multitudine collecta, nimirum plus aliquando quàm ducentorum, dies non sufficeret, si Domnus Abbas solus ita mandatum faceret: propter quod alter quoque Frater ex Prioribus assumitur, à quo similiter ex altera parte geratur: & si visum fuerit adhuc alij duo assumuntur. Quibus omnibus simul cum ipso Domno Abbate priusquàm aquam ministrent ad manus Fratrum, lauantur pedes foris Capitulum à Fratribus qui ad hoc fuerint nominati. Illi autem soli qui prima vel secunda vice lauerunt pedes Fratrum in medio Capituli antè faciunt & retrò priusquàm sedeant; quorum cùm sit vnus Domnus Abbas, tunc ipsi primùm sedem suam petenti assurgunt Fratres, & datur ei locus à Priore parum secedente qui in sede sua sedebat. Hoc autem totum posteaquàm calciamenta distributa sunt, statim in Capitulo fuit ordinatum. Præter solitas Antiphonas quæ sunt de Mandato, habetur hymnus Flauij primi Cabilonensis Episcopi, *Tellus ac æthera jubilent in magni cœna Principis*: Qui in hoc die & ad hoc Mandatum post primam Antiphonam cantatur, & ita vt per singulos versus primus eius versus repetatur. Peractis omnibus cessatur à cantu, Custos Ecclesiæ percutit tabulam pro signo; intrat Diaconus alba & stola indutus, & textum Euangelij portans, quem præcedunt vnus Ostiarius Ecclesiæ cum analogio in quo legatur, & tres Conuersi similiter albati cum candelabris, & incenso. Quibus intrantibus assurgit Conuentus vniuersus, nec priùs residet quàm vnus versus de Euangelio sit lectus: lectio inchoatur ab eo loco: *Ante diem festum Paschæ*: Et perducitur vsque ad eum locum: *Surgite eamus hinc.* Tunc & Fratres percussâ tabulâ se leuant, vt in refectorium præcedente Diacono, cum processione eant. Vbi rursus qui lauerunt & terserunt pedes Fratrum, vinum quoque omnibus propinant, &

Nota.

manus

manus oſculantur, illis obſequentibus, & vinum apportantibus qui in Capitulo fuerunt obſecuti. Diacono ad gradum ſtanti adhuc & legenti, & qui cum eo ſtant, propinatur; quod ab ipſis in pateras ſuas apportatas infunditur, & ita ponitur per alios ad menſam principalem, vt finita lectione, & ibi facto antè & retrò conſidentes bibant. Completorium ſub ſilentio eſt dicendum; & de cætero, exceptis nocturnis & matutinis, nulla regularis hora alio modo vſque ad Veſperos Sabbati ſancti. Si quis autem Fratrum foris poſitus Paſchali ſolemnitati vult intereſſe, in quarta feria debet veniſſe. At ſi fortè per negligentiam contigerit, ſiue ſit noſter profeſſus ſiue Monachus extraneus, vt non veniat niſi in ipſis tribus diebus, poſtquamlibet horam finitam poſtquam ſe Fratres ad ſonitum leuauerint de formis, ſolitam benedictionem habebit: nemo tamen illum oſculatur ab eo momento Cœnæ Domini, quo pax in Eccleſia generaliter eſt data, vſque dum pax iterum detur in præfato Sabbato ſancto ad communionem.

CAPVT XIII.

De Paraſceue.

IN Paraſceue ad Primam nudis pedibus debent vniuerſi venire; quâ ſub ſilentio finitâ ſequuntur manifeſtè ſeptem Pſalmi ſimul cum Letania, quæ nihil ſui juris & conſuetudinis carebit in Verſibus & Collectis. Exeunt Fratres in Clauſtrum conſidere, & communiter incipientes totum Pſalterium decantant. Tertia, & duæ ſequentes Horæ cantantur ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ, quia Major Eccleſia interim ſcopatur, & puluis inde leuatus non ſe tam citò deponit. Ad Proceſſionem, quæ ad nouum ignem iterum eſt agenda, debent albis eſſe induti omnes qui ad officium Miſſæ ſunt ſeruituri Tractus *Domine audiui*, à Cantoribus inchoatus, ita cantatur, vt poſt ſingulos verſus à primo verſu repetatur nunc integro, nunc dimidio. Tractus *Eripe me Domine*, vt alij tractus à ſolis Cantoribus. Paſſio legitur abſque ſalutatione; quæ tamen in alijs diebus non eſt omiſ-

sa. Collectis consummatis quæ in missali habentur, duo Sacerdotes albis & casulis induti, & crucem allaturi, illuc vbi crux est extra Chorum in dexteram partem abscedunt, & inter portandum cantant hos tres versus *Popule meus*, à duobus alijs, *Quia eduxi te*; *Quid vltra*. Quos versus singulos sequitur à duobus alijs cantatum *Agios ò Theos*: & Chorus, *Sanctus Deus*. Bajuli crucis eam præsentantes & nudantes (est enim huc vsque cooperta) imponunt Antiphonam: *Ecce lignum crucis*: & omnes petunt veniam. Versus, *Beati immaculati in via*: Antiphona, *Crucem tuam:* Versus; *Deus misereatur nostri*: Antiphona: *Dum fabricator*: Versus; *O admirabile*: Hymnus; *Crux fidelis*, qui reciprocando cantatur. Pauimentum tapetibus est constratum; maximè propter illos qui in albis sunt Crucem adoraturi. Et primùm quidem Sacerdos casula & stola exutus. Post pueros adorant infirmi. Quando Crux aufertur, imponitur Antiphona, *Super omnia ligna*; & venia petitur secundò. Si quis popularium crucem adorare voluerit, huic locus retro altare datur. Die priore, Præcentore prouidente, tantum est reseruatum Eucharistiæ de quo iterum possint omnes communicare. Eò quo reposita est proceditur rursus cum incenso & candelabris duobus, vt frangatur & diuidatur sicut sumendum est, à duobus Prioribus albis & casula indutis; & ab vno illorum Calix tenetur cum vino non consecrato: hoc modo defertur ad Altare vbi à Sacerdote sola Dominica oratio dicenda est; illáque Collecta, *Libera nos*; & cùm manifestè dicatur, *Per omnia sæcula sæculorum*: illud, *Pax Domini*, non sequitur, quia nec signum pacis eo die datur. Aliquando erat illa diligentia, vt postquam omnes communicauerant, quidquid residuum erat ab eisdem Presbyteris * qui apportauerant cum magna reuerentia & cautela sumeretur, & nihil omninò in crastinum remansit. Quod etiam ego non aliter noui, nisi generaliter consuetudo sit aliarum * Ecclesiarũ, de quo tamen non hîc modò magnopere curatur: & tam hoc die quã in alio si quid communicantibus supererit reseruatur. Postquam autem omnes communicauerint, percutitur tabula, vt fiat oratio vespertina. Exeunt Fratres pedes lauare, & se calciare.

al. * Prioribus.

al. * omnũ.

Quibus redeuntibus omnes ſimul tabulæ percutiuntur, & veſperi decantantur ſub ſilentio, & cum eiſdem Pſalmis prioris diei, niſi primus auffertur, & pro eo ponitur in nouiſſimo Pſalmus centeſimus quadrageſimus tertius. In Refectorio non habetur niſi panis & herbæ crudæ, vinum juſtitijs infuſum magis datur ad eleëmoſynam quàm quiſquam bibat: quod etiam fit ſecundò cùm iterum pergunt in Refectorium quaſi more ſolito bibituri; Verùm de collatione ſurgunt ad Charitatem, & de vino quod tunc propinatur nullus omnino præſumit abſtinere, vt non aliquantulũ guſtet. Cuſtodes Eccleſiæ ſtatim poſt Veſperos ſingula deſuper incœperunt Altaria lauare diligenter, primùm cum aqua, poſtea vino; ad quod etiam opus nec ſpongia carent, quemlibet inbibente liquorem, vt cum ea nitidiùs ipſa lauentur Altaria.

Inter. Altare principale erat ne nudum quando Corpus Domini dabatur?

Reſp. Minime; vno interim linteo erat opertum.

Inter. In loco illo paſſionis: *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea*: ſimulatur ne aliquo modo à vobis?

Reſp. Certè ſimulatur, duobus panniculis in Altari poſitis, & eadem vice hinc & inde per duos Fratres abſtractis; Sed, vt modò fatear quod verum eſt, de induſtria celaui, quia quamuis nullum ſit malum, tamen id non fit cum Apoſtolo perhibente ſe per fidem, & non per ſpeciem ambulare; Verùm hoc omiſſo ſine me vt ordo teneatur incœptus.

CAPVT XIV.

De Sabbato Sancto.

IN Sabbato Sancto poſt Matut. continuò non modò Altaria cooperiũtur, ſed etiam tota Eccleſia pallijs ornatur, nullúmque linteum ſuper Altare aliquod mittitur, quod non ſit optimè lauatum. Poſt Capitulum, & poſt Sextam, Fratres loquuntur in Clauſtro. Poſt Nonam proceſſione facta, primò à Diacono laus cerei eſt legenda. In cuius

quodam loco cùm aliquando non bene haberetur, *O felix culpa*; & quòd peccatum Adæ neceſſarium eſſet, ante hos annos Domnus Abbas optimè fecit, quòd fecit abradi, & ne ampliùs legeretur interdixit. Ipſi verò cereo Præcentor inſcribit quotus annus ſit Dominicæ Incarnationis, quota Indictio, Concurrens, & Epactæ Cùm ventum fuerit ad hunc locum, *Suſcipe ſancte Pater incenſi huius ſacrificium Veſpertinum*, Diaconus * in eo foraminibus antè præcauatis crucem facit cum quinque granis incenſi. Quando legitur *Rutilans ignis accendit*, tunc & cereus primùm accenditur. Inde ſequitur lectio *In principio*; Oratio, *Deus qui*. Lectio 2. *Factum eſt*; Tractus; *Cantemus Domino*; qui à duobus cantatur ex toto; *Oratio Deus cuius*; Lectio 3. *Apprehendent ſeptem mulieres*; Oratio, *Deus qui nos*: Tractus, *Vinea*. Lectio 4. *Hæc eſt hæreditas*: Tractus, *Attende*. Oratio, *Deus qui Eccleſiam*: Tractus, *Sicut cervus*; Oratio, *Concede*. Letania tripla cantatur à duobus * Cantoribus, qui & Chorum tenent cappis indutis, & præcinentibus, & vtroque Choro ſingulatim reſpondente, ad ſingula nomina Sanctorum, præter Angelorum, inclinatur ab his à quibus nominantur, niſi Præcentores non inclinant. De Baptiſmo nihil nos intromittimus, nec ab vllo in Eccleſia noſtra celebratur. Letaniâ inchoatâ ſtatim cum tapetibus cooperiuntur formæ, finitâ, pronuntiatur à Cantore, *Accendite*. Accenduntur quæ ſunt ante Altare candelæ, & pulſantur omnia ſigna, cooperiuntur cum tapetibus formæ: Inchoatur Miſſa cum *Kyrie eleïſon*: Sequitur *Gloria in excelſis* & cætera ſolemniter omnia. Cereus nullus portatur ante Sacerdotem ad Altare procedentem, nec ante Euangelium niſi incenſum ſolùm. Tunc etiam primùm ſi quis Sacerdotum priuatim Miſſam cantare voluerit, licentiam accipere poteſt, & ſimiliter incipiat à *Kyrie eleïſon*. In Cœna Domini potuit etiam ſine licentia ante majorem Miſſam cantare, ſed abſque candela; quia nouus ignis nondum erat conſecratus. In iſto autem die quanquam *Agnus Dei* non dicatur, pax tamen ab omnibus datur & accipitur, &, vt ſupra memini, ab omnibus communicatur. Miſſâ peractâ ſtatim ſcillæ duæ ſimul pulſantur. Ad Veſperos,

al. * Præcentor.

al. * quatuor.

ſicut & ſigna ſequentia, bina pulſantur, ad quos conſueti Pſalmi cantantur ; primus *Confiteantur* cum Alleluia ſecundum melodiam ; Antiphona *Crucifixus*, Reſp. *Angelus Domini* ; Hymnus, *Ad Cœnam.* Ad Canticum Euangelij poſt Antiphonam, quamuis ter recantetur, tamen adhuc & ipſius Antiphonæ melodia cantatur cum Alleluia : Collecta *Deus qui hanc.* Proceſſio quæ ad Eccleſiam S. MARIÆ fieri ſolet, mutatur ad ſanctam Crucem, ſicut etiam in omni Sabbato, ſed modò cum Reſponſorio, *Dum tranſiſſet*, ſequente Verſu & Collecta cum tonali pronuntiatione, *Dicite in Nationibus : Deus qui pro ſalute* Generale mandatum eſſet faciendum, niſi quòd factum eſt in Cœna Domini ; & hoc etiam conſtitutum eſt à Beato Patre Odilone, vt ſi feſta præcipua in Veſpera Sabbati, *Quæ*, vt ſcriptum eſt, *luceſcit in prima Sabbati*, id eſt, in Dominica, euenerint, mandatum in quinta Feria præcedente anticipetur, ne Fratribus prolixioribus vigilijs laboraturis, mandati quoque labor accedat. Quod tenetur in quinque præcipuis Feſtis : & Domnus Abbas hoc ſuper addidit, Commemorationem Sanctæ Trinitatis ; Vincula S. Petri ; Feſtum Omnium Sanctorum ; S. Martini ; Hypapantem Domini ; & Dedicationem Eccleſiæ.

CAPVT XV.

De ipſa nocte, vel die Reſurrectionis Domini.

IN ipſa nocte Dominicæ Reſurrectionis ſatis noui quia vobiſcum in Nocturnis non concordamus agendis: Nam & Pſalmi, & Lectiones, & Reſponſoria pariter ad duodenarium pertingunt, quanquam in Antiphonarum numero * niſi tres Antiphonæ habeantur, quarum prima cantatur ſuper primos quoque ſex Pſalmos ; ſecunda ſuper alios ſex ; tertia ſuper Cantica. De pulſandis primò omnibus ſignis pro ſcilla ; de tribus pallijs ſuper Altare mittendis ; de incenſo inter Nocturnos ter circumferendo ; de Reſponſorijs octauo & duodecimo, poſtquam ſemel cantata fuerint, iterum repetendis, vacat (vt modo dicam quod meminiſſe

* *al.* * in Antiphonario.

Digitized by Google

potes) jam in ſuperioribus dixiſſe, vbi mentionem feci de diuerſitate ſolemnitatum. Ad Matutinas laudes ſingularum Antiphonarum melodia repetitur cum Alleluia. In die cùm hora vna quæque priopriam habeat Antiphonam, vt in promptu eſt in Antiphonario videre, ad Veſp. ſuper Pſalmos non Antiphona ſed tantùm Alleluia *, ita; *Ieſum quem quæritis.* Ad Proceſſionem poſt aquam benedictam, Antiphona, *Vidi aquam, &c.* cum *Gloria Patri*, proceditur ad Eccleſiam S. MARIÆ cum Reſponſorio, *Veniens à Libano*; vel cum alio, quod tamen non finiatur ſine Alleluia. Sequitur Antiphona, *In die Reſurrectionis meæ, alleluia.* Et, *Sedit Angelus*, cum verſu *Crucifixum*; Ad introitum Eccleſiæ Antiphona, *Chriſtus reſurgens*; in Chorum redeundo Antiphona, *Et valde mane.*

al. * non tantùm Alleluia, cantatur iſta.

Inter. Si dicenda eſt in tali die Collecta, cuius ſupra in quodam loco meminiſti, id eſt, *Via Sanctorum.*

Reſp. Vtique, nec in vlla ſolet Dominica remanere, huiuſmodi autem cantus ad Proceſſionem in omni Dominica non mutatur vſque ad Pentecoſten, excepto quòd pro nouiſſimo Reſponſorio cantatur aliud vel Reſponſorium, vel Antiphona de Sanctis Petro & Paulo, & Verſus ille *Crucifixus* remanet. Miſſa ſacro-ſanctæ diei quomodò celebretur non opus habes iterum audire, ſi bene recolis ſupra memorata de diuerſitate ſolemnitatum. Quod tamen ibi non dixi: Introitus ter recantatur, quia duos verſus habet. Duo quoque paria Cantorum hinc & inde, vel ſi videtur, plures ſtatuuntur ad Proſam concinendam: quibus Chorus per neumas reſpondet. Ad *Agnus Dei* tropi quidam adijciuntur; & Communio poſt verſum ſuum iteratur. Hymnis omnium horarum additur vnus verſus, ideſt, *Quæſumus auctor omnium*; & nouiſſimus ita mutatur, *Gloria tibi Domine qui ſurrexiſti, &c.* Quod etiam tenetur vſque ad Aſcenſionem Domini. Præfatio, *Te quidem omni tempore*, per totam iſtam ſeptimanam dicenda eſt ad vtramque Miſſam. Eſt autem alia conſuetudo quotiens fuerint duodecim lectiones, vt vna eadem Collecta dicatur, & ad Veſp. & ad Euangelium poſt Nocturnos, & ad Tertiam, & Miſſam, & iterum ad Veſperos; quod tamen in hac die,

Digitized by Google

& in hac ſeptimana obſeruatur præter ad ſolos Veſperos, vt præmiſſum eſt in Vigilia Paſchæ.

CAPVT XVI.

De ſecunda Feria, & diebus majoris Septimanæ.

TRANSACTA die Dominica, in ſecunda Feria, & in alijs diebus & noctibus eiuſdem ſeptimanæ, non niſi duo ſigna ſicut in priuatis ad Nocturnos pulſantur, qui cum duodecim Pſalmis, ſicut ſunt per Ferias ordinati, aguntur; ſed lectiones tres tantummodò ex Euangelijs fiunt. Puer vnus Inuitatorium cantat. Ad Matutinos pulſantur omnia ſigna, & de cætero fiunt omnia feſtiuè. Illæ autem quæ in Dominica cantatæ ſunt ad Matutinos poſteà ſingulæ ad ſingulas Matutinas cantantur vſquead Sabbatum, & ad alias horas habentur Antiphonæ de Euangelio. Ad ſolos Nocturnos & Veſperos ſuper Pſalmos non niſi Alleluia cantatur, ad melodiam Antiphonarum formatum: & primò in feria ſecunda Alleluia, vt *Poſtulaui. Angelus autem:* IESVM *quem quæris.* In tertia Feria vt, *Et ecce terræmotus. Præ timore. Nonne cor noſtrum.* In quarta Feria vt, *Erat autem. Et reſpicientes. Scio quòd* IESVM. In quinta Feria vt, *Stetit* IESVS. *Oportebat.* Et iterum IESVM *quem quæritis.* In ſexta Feria vt, *Nonne ſic. Et ingreſſæ. Crucifixus.* De his tribus ſingulis prima ſemper eſt ad primos ſex Pſalmos Nocturnorum; Secunda ad alios ſex; tertia ad Veſp. In Sabbato vt, *Noli flere. Venit Maria. Veſpere autem.* In quo etiam ad alias horas non niſi Alleluia cantatur. Ad Mat. vt, *Angelus autem.* Ad Primam vt, *Et ecce terræ motus.* Ad Tertiam. *Præ timore.* Ad Sextam, *Erat autem.* Ad Nonam, *Et reſpicientes.* Ad Miſſam matutinalem per totam ſeptimanam cantatur Officium; *Reſurrexi.* Quæ ſi per tres dies non niſi cum vna Collecta celebratur, per alios tres dicuntur omnes Collectæ, quæ in qualibet Dominica ad matutinalem Miſſam ſunt dicendæ. Item major Miſſa per tres agitur generaliter in cappis, & poſt Alleluia neſcio quæ Gallicanæ neumæ cantantur. Per alios tres ad in-

ſtar diei *D*ominicæ. Ad Veſperos quoque non mutantur hi Pſalmi *Dixit Dominus Domino meo*, & cæteri vſque ad Veſperos Sabbati.

CAPVT XVII.

De die Octauo, & quomodò de cætero ad omnes Horas cantatur Alleluia.

OCTAVVS dies Paſchæ quomodò ſit colendus per occaſionem aliarum feſtiuitatum jam ſuperiùs audiſti, quod nunc tamen adnectitur. Ad Veſperos non alij Pſalmi quàm feriales dicuntur. Ad Noct. non alia Reſponſoria quàm quæ in prima nocte Dominicæ Reſurrectionis ſunt cantata, quæ & per totam ſequentem ſeptimanam ita cantanda perdurant. Miſſa matutinalis: *Quaſi modo geniti.* Major eſt eadem, præter quod ſolus Introitus cum Introitu *Reſurrexi* mutatur, & prius Alleluia eſt, *Poſt dies octo.* Ab illo autem die cùm ad omnes Horas vſque ad Aſcenſionem Domini ſemper Alleluia cantetur, tamen in nullo reperi Antiphonario prænotatum, ſi quo certo ordine tanta cantari debeant Alleluia. Quæſiui curioſiùs à quodam juuene perſpicacis ingenij, & qui jam per viginti quinque continuos annos in Clauſtro morabatur, quid inde ſentiret & ſciret: quod ipſe mihi retulit, illud hîc à me refertur. In omni Dominica ad primum Nocturnum Alleluia *Poſtulaui.* Ad ſecundum, *Angelus autem.* Ad Cantica, *Et ecce terræmotus.* Ad Laudes, *Præ timore*; Ad Primam, *Surgens autem*; Ad Tertiam, De Euangelio, *Vt multa quidem*; Ad Sextam; *Erat autem*; Ad Nonam, *Et Reſpicientes*; Ad Veſperos, *Ieſum quem quæris.* In ſecunda Feria cùm iterum opus ſit non paucioribus, vt ita dicam, Alleluiis niſi tantùm vna minus propter Cantica tunc non dicenda, cantantur eodem quo ſupra ordine Alleluia vt, *Poſtulaui. Angelus autem. Et ecce terræ motus. Præ timore.* De Euangelio, *Erat autem. Et reſpicientes.* In Matutinis, IESVM *quem quæris.* In tertia Feria Alleluia vt, *Stetit Ieſus. Oportebat. Nonne ſic. Qui ſunt hi ſermones.* De Euangelio, *Et coegerunt.*

Mane

Digitized by Google

Mane nobiſcum. Nonne cor noſtrum. In quarta Feria, *Noli flere. Venit Maria. Et ingreſſi. Et valde mane.* De Euangelio, *Ite nuntiate. Iterum venit Maria. Scio quòd* IESVM. In quinta ſimiliter vt in ſecunda. In ſexta vt in tertia, excepto quòd ad Veſperos cantatur Alleluia vt, *Veſpere autem.* De Euangelio vt, *Multa quidem*, vel, *Mitte manum tuam. Ego ſum Paſtor. Modicum & non videbitis me.* In Sabbato ſimiliter vt in Feria quarta, excepto quòd ad Veſperos Alleluia. Quodcumque autem in ſeptimana legitur Euangelium, de eo ad Tertiam omni die cantatur Alleluia.

CAPVT XVIII.

De ſecunda Feria poſt Octauas Paſchæ : & quòd tunc nonnullæ conſuetudines inchoantur.

POST Octauas autẽ Paſchæ Feria ſecunda cùm ſit quaſi nouum initium priuatorũ dierum, inchoantur nonnullæ conſuetudines, quæ non priùs in priuatis diebus fiebant. Primò námque, quod in alio loco jam non tacui, ante Nocturnos non niſi quindecim cantica graduum dicũtur, quos & Matutinæ laudes ſequuntur, nullo prorſus Pſalmo interpoſito : ſed poſt Matutinas laudes, & alias Horas, de conſuetis Pſalmis remanent duo, primus & ſecundus, & inter preces Pſalmus *Miſerere* ; qui tamen poſt Primam non omittitur pro Abbatibus noſtris defunctis, nec Matutinum Defunctorum; nec *Deus auribus*; nec poſt Primam ſeptem Pſalmi cum ſuis appendicijs : poſt Pſalmos pro tricenario recèns defuncti dormitum ad lecta reuertuntur, niſi tam clara ſit dies, vt jam littera dignoſci poſſit in libro. Quòd ſi aurora primùm incipit apparere calciant ſe & nihil exuentes pedibus extra lectum protenſis, ita jacent vſque dum ſonitum audiant, quod ſignum eſt ſurgendi, qui & tali ſemper hora fieri debet, vt poſtquam manus ſuas Frater & faciem lauerit, caput pexerit, & in Eccleſia tres orationes fecerit, in Clauſtro ſedens tantùm videre incipiat, vt legere poſſit.

Inter. Et iſtæ tres quas dicis orationes, ſcire velim cuiuſ.

modi esse debeant, & cujùs quantitatis.

Resp. Certè quod ego sciam, nullus modus certus est eis præfixus, quia non communiter fiunt, & vnusquisque cùm primùm venerit in Ecclesiam facit eas singulariter & separatim: Vnus tamen seniorum nouitium me docuit vt septem Psalmos dicerem inter ipsas tres Orationes; verùm quisque quod voluerit oret, tamen postquam pueri de Ecclesia exierint, & legere incœperint, si posteà moram fecerit, vt non & ipse ad lectionem exeat sedere, facilè incurrit vt in Capitulo reprehendatur. Cùm autem ternæ similiter orationes fiant, sed communiter ante Nocturnos, & post Completorium, & in Hyeme in priuatis ante Tertiam, de his fortè possum aliquid quod quæsieris dicere. Nam quæ post Completorium fiunt, de his nunquam me audiente quæstio erat vt ampliùs quicquam ad singulas quàm sola Dominica oratio diceretur. De alijs cùm quæstio esset, ad vltimum Domno Abbati complacuit & hoc difiniuit, vt ad ipsas quoque Oratio Dominica diceretur; sed tractim, diligenter, & attentè: & tamen ritè illæ orationes ante Tertiam non solent tam breues quàm ad Completorium terminari, nec illæ ante Nocturnos, maximè in noctibus longioribus, tam breues quàm ante Tertiam. Aliæ quoque orationes singulis horis præmittendæ nihil sunt ampliùs quàm eadem Oratio Dominica. Ad solos Vesperos pro antiquo more plus aliquantulùm producuntur, vt Symbolum Apostolicum, si videtur, possit apponi. His extra ordinem pro interrogatione tua insertis, intendamus ad circulum * quem mihi proposuisti, & pro quo non possum non sollicitus esse, vsque dum vtcumque perficiatur: vt Primam Letania, sic Letaniam sequitur Missa matutinalis; Capitulum sequitur licentia loquendi.

al. * circuitum.

Inter. Hæc quoque licentia & hora loquendi, quàm prolixa solet esse?

Resp. Eo tempore quo primùm ad Monasterium veni, Sacerdos qui priuatam Missam cantare voluit, potuit eam interim finire; quod tamen modò rarò contingit, quia multitudo Fratrum aceruauit: à quibus dum ad vtramque Missam offertur, dum pax datur & accipitur, dum in Capitulo

Digitized by Google

de vno aut altero hoc & illud reclamatur, dum tantis in Refectorio ſeruitur, non minima pars expenditur diei; quæ tamen ſingula ordine noſtro ſaluo & integro remanere non poſſunt. Propter quod hora loquendi neceſſariò magis eſt breuis; & ſi minùs aliquantulùm loquimur, in hoc ordinis quidem nemo ſentit vllum eſſe detrimentum. Pulſato ſigno ad Tertiam, & oratione facta, ſedent in Choro legentes vſque dum Sacerdos & alij ad Miſſam ſeruituri ſunt veſtiti. Poſt Miſſam ſedent in Clauſtro iterum legentes cum magna diſciplina & ſilentio, vſque dum pueri accepto mixto de Refectorio exeant, & alta voce legere adoriantur. Quos cùm primùm Cuſtos Eccleſiæ audierit, ſtatim ad Sextam ſignum pulſare non tardat. Et ne putes nos vltra modum vigilijs grauari, pro eo quòd nox jam incipit tam breuis eſſe, & tamen poſt Matutinos ſolita non minoretur pſalmodia; majori Cuſtodi Eccleſiæ eſt hoc injunctum quaſi pro legitimo ſempiterno, vt ipſo prouidente per totam æſtatem poſtquam prandium fuerit peractum, tunc primùm ſit media dies: Eodem quoque momento ſolent ſe Fratres generaliter ad pauſandum collocare, quanquam tales ſint magis intenti ad lectionem, quàm ad pauſationem. Nona autem, ad quam ſunt ſe leuaturi, adeò tarda erit, vt poſtquam in Refectorio biberint, & iterum loquendi licentiam habuerint, eandem loquendi horam, & hoc interuallum ante Veſperos non immeritò potiùs dixerim nullum quàm paruum. Sæpiùs námque priuſquàm omnes in Clauſtro conſideant, & aliquis Fratrum vel vnum verbum faciat, pulſatur ſignum ad Veſperos, & ecce ibi finis loquendi. Poſteà quæcumque ſunt gerenda perrarò contingit, vt non ita gerantur, vt vnum poſt alterum nihil omninò differatur. Pulſatio námque ſignorum citiùs eſt facta, nihil aliud interim habentibus agere, niſi quòd in Choro ſedent & legunt. Poſt Veſperos cœna; Poſt cœnam cœna ſeruitorum; Poſt cœnam ſeruitorum Officium pro Defunctis; Poſt officium collatio, & ita ad Completorium.

CAPVT XIX.

De tertia Hebdomada post Pascha, & de cæteris vsque ad Ascensionem Domini.

IN tertia post Pascha septimana Responsoria de Apocalypsi inchoata per duas septimanas cantantur. Postea illa Responsoria, *Si oblitus fuero*, vsque ad Ascensionem Domini. Vtraque autem responsoria postquam in vna Dominica fuerint cantata, in secũda vltima Responsoria Nocturnorum mutantur cum his minoribus, vt est, *Surrexit Dominus de sepulchro, Alleluia.* Quod ipsum quoque agitur in octauis Ascensionis Domini, & in Dominica præcedente.

CAPVT XX.

De Festiuitatibus Sanctorum quæ eueniunt à Pascha vsque ad Pentecosten.

A PASCHA vsque ad Pentecosten quæcumque Sanctorum Festiuitas euenerit, quantumlibet reuerenda sit & colenda, tamen ad Nocturnos non plures cantantur Antiphonæ, quàm vna tantùm, Alleluia scilicet super Psalmos senos & senos, excepta S. MARIÆ Annuntiatione & Transitu S. Benedicti. Ad Matutinas laudes si talis est festiuitas quæ proprias habeat Antiphonas, vt Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi, vel sanctæ Crucis, hæ non omittuntur cantari ad Laudes & alias Horas: At si non habet nisi quæ communes sunt, de quibuslibet sanctis, vt, *In cœlestibus regnis, &c.* hæ nec ad Laudes, nec ad Horam vllam regularem cantantur; sed tantùm Alleluia, & eo modo quo earundem Antiphonarum est melodia. Cantatur autem hoc ordine: Ad primos sex Psalmos Nocturnorum Alleluia, vt, *In velamento*; Ad alios sex, vt, *Lux perpetua*; Ad cantica Alleluia, vt, *Ego sum vitis*; Ad Laudes, vt, *In cœlestibus*; Ad Primam, vt, *In velamento*; Ad Tertiam, vt, *Sancti & justi*; Ad Sextam, vt, *Lux perpetua*; Ad Nonam,

Digitized by Google

vt, *In cœleſtibus*; Ad Veſperos, vt, *Ego ſum*. Si autem propriæ habentur Antiphonæ, vt de ſanctis Philippo & Iacobo, tunc ſuper Canticum non Alleluia, ſed Antiphona *Ego ſum vitis vera* cantatur.

Inter. Ipſæ autem Antiphonæ de Sanctis remanent ne ita in cantatæ?

Reſp. Minimè. Nam etiam quotidie in hoc tempore cantatur, ſcilicèt ad ſuffragia Sanctorum; Ad Matut. laudes, & Veſperos de omnibus Sanctis. Quod moras facit ad alia feſtinanti, ſi expedio ſingulatim, nec opus eſt multum cuiquam diligenti, & in Monaſterio manenti.

CAPVT XXI.

De Rogationibus.

IN Rogationibus poſt Nocturnos finitis Laudibus pro Defunctis eunt dormitum, & ampliùs ſolito dormiunt, ſcilicet vſque ad ortum ſolis, propter quod omiſſuri ſunt meridianam, nec ſonitu vt moris eſt excitantur; tamen poſtquam pueri legere inceperint, ampliùs jacere non morantur. Poſt Primam & poſt tres Pſalmos qui ſequuntur, priuſquam ſeptem Pſalmi dicantur, interponitur illa pſalmodia quæ poſt Matutinos remanſit; id eſt, *Deus auribus*; & ſi cujus Defuncti tricenarius agitur, *Verba mea*. Poſt ſeptem Pſalmos & Letaniam ſtatim ſequitur Miſſa, non vt ſolet pro Defunctis, ſed de die cum Collectis conſuetis, & nouiſſimè illa quoque addita, *Sanctorum tuorum*: Ad quam tamen omnes offerunt, ſed vna hoſtia conſecratur; & pax ab vno accipitur. In Capitulo poſt illum Verſum *Pretioſa in conſpectu Domini*, nequaquam dicitur *Deus in adiutorium, &c.* nec loquuntur in Clauſtro. Poſt Tertiam mixtum accipitur à pueris. Poſt Sextam ſcilla ſonatur, aſcendunt omnes in dormitorium, quaſi aliquantulùm pauſaturi: Cùm ſignum fuerit auditum, calceis ad lecta dimiſſis, nudis pedibus deſcendunt, lauant manus & faciem, capita pexunt, & veniunt in Eccleſiam. Facta oratione imponitur ab vno puerorum Antiphona, *Exurge Do-*

mine: poſt *Deus auribus*, ſequitur Verſus, *Oſtende nobis, Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, Pſalmus ſexageſimus ſextus, & die altero ſexageſimus nonus; Verſus, *Et veniat*, Collecta; *Mentem familiæ tuæ.* Sanctorum reliquiæ cruciculis, capſulis, & nuxis * incluſæ per Fratres à Secretario diuiduntur, vt ab eis collo ſuſpenſæ portentur. Priuſquàm exeant pulſantur omnia ſigna: Crux & aqua benedicta, & textus Euangelij præfertur proceſſioni. Sequuntur primùm Conuerſi, Pueri, Cantores, & Priores extremi. Cùm venerint ad oſtium veſtibuli Eccleſiæ ſtant duo famuli cum gemino faſce baculorum, & à ſingulis Fratribus ſinguli accipiuntur; quos iterum reddunt ad oſtium illius Eccleſiæ quâ pergunt: Vbi de Sanctis quorum ibi patrocinia ſunt, Antiphonâ, vel Reſponſorio cantato, Collectáque ſubiunctâ, faciũt orationem cum inclinatione conſueta. Cantatur Nona (cantanda quoque in Monaſterio ſigno pulſato ad horam competentem à Cuſtode Eccleſiæ, & ab infirmis qui ad proceſſionem exire non potuerunt) Agitur Miſſa iterum de die; & poſt primam Collectam non niſi vna ſecundò apponitur de Commemoratione illius Sancti, cuius ibi confeſſio eſt. Cùm lectum fuerit Euangelium Obedientiarij, quorum intereſt ad menſam Fratrum ſeruire, licentiam accipientes reuertuntur, ſimúlque duo Fratres qui cappis induti, nudis tamen pedibus proceſſionem ad oſtium Eccleſiæ ſunt recepturi, & Letaniam breuiter in Choro iteratò cantaturi ea melodia & his verſiculis qui ad hoc ſunt inuenti. Veſperi pro fidelibus defunctis ſunt dicendi; Officium remanebit.

* *ſeu nuſcis, id eſt, fibulis.*

CAPVT XXII.

De *Aſcenſione* Domini.

ASCENSIO Domini quo modo ſit celebranda, & hoc inter alias feſtiuitates inuenitur: quod tamen adhuc ſupereſt vt dicatur. In Vigilia ad veſperos Collecta, *Adeſto ſupplicationibus noſtris.* In ipſo die Aſcenſionis Antiphonæ quæ cantatæ ſunt ad Laudes, cantantur etiam ad alias Ho-

Digitized by Google

ras, illa prætermiſſa, vt moris eſt ſemper, & alia ſcilicet quæ eſt ſuper hymnum trium puerorum. Ad ſolos Veſperos Alleluia, vt Antiphona *Pater ſancte:* Ad quos etiam poſteà omni die, & ad Cantica vſque ad Pentecoſten, cantatur ad Matutinas laudes, vt, *Sic veniet.* Ad Tertiam, *Illi autem profecti.* Ad Nocturnos & ad alias Horas eodem modo vt priùs de Paſcha. In proceſſione quoque præfatæ diei non venitur ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ, ſed tantùm per Clauſtrum proceditur vſque in veſtibulum Eccleſiæ, vbi & ſtatio agitur cum Antiphona, *O Rex gloriæ.* Cantus autem prior vel poſterior non eſt aliud quàm Reſponſoria ad ipſum diem pertinentia; id eſt primò Reſponſorium, *Eduxit Dominus*; aliud, *Ponis nubem*; nouiſſimè in Choro, *Viri Galilæi:* Item cum Reſponſorio ad Veſperos, & ad Matutinas laudes fieri ſolet proceſſio ad ſanctam Crucem. Ad hymnos omnium Horarũ ſicut in Paſcha apponitur Verſus ille, *Da nobis illuc ſedula deuotione tendere:* &, *Gloria tibi Domine qui ſcandis:* Et huc vſque ad Pentecoſten, verùm etiam ad Octauas, ad Mat. laudes & Veſp. prima eadem Collecta ſemper eſt dicenda, *Concede quæſumus.* Quod tamen ſola ſequẽte Dominica non tenetur. Et quia de Aſcenſione non multæ ſunt Collectæ, eliguntur quoque competentes de Paſchalibus ad alias Horas, vt eſt, *Omnipotens ſempiterne Deus deduc, &c. Deus qui ad æternam vitam, &c.* Præfatio, *Qui poſt Reſurrectionem, &c.* Non ampliùs dicitur quàm in primo die ad vtramque Miſſam, & in Octaua ad vtramque. Notandum autem quòd Pſalmus *Ad Dominum*, qui in duodecim lectionibus, ſimul cum Pſalmo *Voce mea* ſolet dici pro Officio Defunctorum, non eſt dicendus in hac ſolemnitate, nec in eis ſimilibus, quia & antiquitùs in talibus diebus Officium non fiebat.

CAPVT XXIII.

De Vigilia Pentecoſtes.

IN Vigilia Pentecoſtes poſt Capitulum loquuntur; poſt Tertiam ſilent; poſt Sextam eunt ad lecta ſua eodem

modo quo in Rogationibus facturi, vsque ad inchoationem Officij ante Nonam inchoandi; de quo Lectio prima, *Tentauit Deus*; sequitur Collecta sine salutatione, *Deus qui in Abraham*: Lectio secunda, *Scripsit Moyses*: Tractus, *Attende cœlum*; Collecta *Deus qui nos per Prophetas*. Lectio tertia, *Apprehendent septem mulieres*; Tractus, *Vinea facta est*; Collecta, *Deus qui nos ad cœlestem*. Lectio quarta: *Audi Israël*; Collecta, *Deus incommutabilis*; Tractus, *Sicut cervus*; Collecta, *Concede quæsumus*. Cantatur Letania eodem modo quo in vigilijs Paschæ; ipsa quoque Missa non dissimiliter per omnia, præter quod habet cantum offerendæ, & quod *Agnus Dei* simul cum Communione est dicendum. Ante Vesperos cœnatur, ad quos etiam sicut in Sabbato Sancto iterum non alij Psalmi quàm feriales sunt dicendi, id est; *Confiteantur*: Collecta, *Præsta quæsumus*, *&c.*

CAPVT XXIV.

De ipso die Pentecostes, & ea quæ sequitur Septimana.

VT dignum est, Sancti Spiritus Aduentui nequaquam minùs defertur quàm & Dominicæ Resurrectioni. In illa nocte, & in illo die quidquid pro reuerentia solemnitatis agebatur, & in isto est agendum; tantùm ad Matutinas post singulas Antiphonas earum melodia non ita cum alleluia iteratur. Ad Vespertinalem processionem Resp. ad Matutinalem Resp. in die ad illam processionem non alius cantus quàm illæ Antiphonæ de Pascha vsque in vestibulum Ecclesiæ: ibi omisso Versu, *Crucifixum*, agitur statio cum Antiphona, *Hodie completi sunt*. Ad introitum Ecclesiæ, & ad sanctam Crucem Responsorium, *Apparuerunt Apostolis*: in Choro Responsorium, *Spiritus Sanctus*. Quamuis autem omnes Galli non magnopere curent de Prosis Teutonicorum, tamen Beato Patre Odilone annitente, & de nostratibus asserente, hæc sola, *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, obtinuit vt in nostro loco in isto die cantaretur. Ad cuius Vesperos super Psalmos cantatur Alleluia vt Antiphona,

Digitized by Google

phona, *Loquebantur.* Ad Mat. in ſecunda Feria, vt, *Dum complerentur*; ad Tertiam, *Repleti.* His tribus Antiphonarum melodijs locum ſemel acceptum non mutantibus, ad alias Horas cantantur aliæ & de Paſcha, & de Euangelio, & de Aſcenſione Domini; in quibus & non alius tunc ordo tenetur, niſi Præcentor hoc prouidet, & imponenti præmonſtrat, vt nulla relinquatur quæ non in hac ſeptimana recantetur à nobis, videlicet ſingulis quaſi vltimum vale facturis, Horarum Hymni iterum non carent vno Verſu ſuperaddito, ſcilicet hic, *Chriſte nunc piiſſime*: &, *Sit laus Patri.*

CAPVT XXV.

De Octauo die Pentecoſtes.

OCTAVVS dies Pentecoſtes non tam pro Octauo quàm pro commemoratione ſanctæ Trinitatis celebratur. Ad cuius etiam priores Veſperos, quod aliàs rarò fieri ſolet, ſuper ſingulos Pſalmos ſingulæ cantantur Antiphonæ de ſancta Trinitate. Capitulum tam ad Veſperos, quàm ad Matutinas laudes, & adhuc etiam ad Tertiam, *Benedictio, & claritas, & ſapientia*; Hymnus, *O lux beata Trinitas.* Euangelio, *Erat homo ex Phariſeis*, pronuntiato, nulla tamen eius Homelia legitur, ſed Sermo S. Gregorij Nazianzeni, ſcilicet, *De ſolemnitate hodierna.* Proceſſio cum Reſponſorio ad ſanctam Crucem; ſicut etiam poſt Matut. laudes. Ad Nocturnos, *Tu Trinitatis vnita*; Ad Laudes, *Splendor Paternæ gloriæ*; tamen cum ſolemniore melodia quàm quotidiana. Quanquam illorũ Hymnorum melodia qui cantantur in Paſcha ita ſit plana & in directum, & in ipſo ſacro ſanctæ Dominicæ Reſurrectionis non magis ſolemnis, quàm ſi ijdem Hymni ad aliquem, vt ita dicam, priuatum diem pertinerent; quod nobis relictum à ſimplicitate Seniorum noſtrorum adhuc ita tenetur; & ſi qua perſona eſſet idonea, quæ id Domno Abbati ſuggereret & ſuaderet, fortaſſis emendari iuberet, ſicut & de multis aliis iam fecit. In die autem præfato Miſſa matutinalis eſt de

Spiritu sancto; ad quam illa Præfatio non omittitur, *Qui ascendens super omnes cœlos*; sicut etiam per totam præcedentem septimanam ad vtramque Missam. Ad processionem per Claustrum, & ad stationem in vestibulo Ecclesiæ, idipsum cantatur quod in priore Dominica: Ad sanctam Crucem & in Chorũ cum Responsorijs quæ sint de sancta Trinitate reditur. Missa maior de sancta Trinitate sed absque Graduale cum duobus alleluia. Ad Sextam Capit. *Gratia Domini nostri:* Collecta, *Domine Deus Pater omnipotens.* Ad Nonam, *Omne quod natum*, vel aliud, *Tres sunt qui testimonium:* Coll. *Mentes nostras, quæsumus, Domine.* Ad secundos Vesperos in vltima super Psalmos Antiphona, non sunt alia verba quàm illius Capituli, *Benedictio & claritas*; propterea mutatur Capitulum vt dicatur, *Benedictus Deus & Pater.* De Spiritu sancto cãtatur Antiphona, *Hodie completi sunt:* De sancta Cruce, vel potiùs de Resurrectione Domini, *Christus resurgens*; sequentibus consentaneis Collectis.

CAPVT XXVI.

De Septimana sequente post Octauas Pentecostes.

Interrog. AGITIS Octauas de S. Trinitate?

Resp. Minimè. Major tamen Missa cantatur per totam septimanam de sancta Trinitate, & ad Vesperos super Canticum Euangelij cantatur Antiphona. Postquam sola Dominica fuerit transacta, statim redimus ad quatuor Psalmos post singulas Horas dicendas, & ad venias petendas ad initia Horarum: ad Nocturnos quoque in priuatis noctibus nihil ampliùs legitur, quàm quæ scribit Sanctus Benedictus, vna paruissima lectio cum simili Responsorio. Est aliud quod constitutum est vt in secunda feria huius septimanæ semper agatur: quippe quotquot Defunctorum in loco nostro sunt sepulti, pro his Domnus Abbas specialiter constituit, vt eorum recordatio hac vice studiosissimè fiat. Quod etiam pro ipsius edicto per omnia loca nostra fieri solet. Pro huiusmodi post Vesperos regulares, & suffragia Sanctorum, priusquàm procedatur ad Ecclesiam

Digitized by Google

ſanctæ MARIÆ, pulſatis prolixè omnibus ſignis, in Choro agũtur Veſperi pro Fidelibus Defunctis, & poſteà Officium ſimili modo. In ſequenti die Miſſa matutinalis propenſiore ſtudio eſt celebranda, & ab omnibus Sacerdotibus priuatæ Miſſæ pro eiſdem cantandæ. Verùm & ad Miſſas, ad Veſperos & ad Officium, & Matutinas primò dicenda eſt ea Collecta, *Deus cuius miſeratione*. Duodecim pauperes ad panem & vinum, edulio carnis adiuncto, vbertim ſunt reficiendi, & cunctis alijs pauperibus ſuperuenientibus de pane & vino miſericordia impendenda.

CAPVT XXVII.

De Ieiunio Quatuor-Temporum in Menſe Iunio.

PRIVSQVAM vltrà progrediamur debemus & Ieiunij Quatuor-Temporum meminiſſe, quod cùm in anno quater eueniat, ad omnes vices in eius Sabbato major Miſſa non præuenitur cum Letania, nec ad eam Collectarum amplius quàm de Officio eſt dicendum; nec offertur, vel pax recipitur, niſi ab vno: nec in Refectorio dantur hoſtiæ inconſecratæ, ſicut in alijs priuatis diebus ſolent. Hoc autem Ieiunium, quod in menſe Iunio agitur, nunquam agitur ante Pentecoſten, tam etſi priùs eueniat terminus eius regularis: at ſi venerit in ipſa ſeptimana Pentecoſtes, minimè differtur.

Inter. Et quomodò tunc facitis vtrumque, jejunium, & ſolemnitatem?

Reſp. In hoc nihil erramus. Nam vt primò dicam de primo quoque jejunij, id eſt, quartâ feriâ, poſt Capitulum ſedent omnes in Clauſtro ad lectionem: cùm viſum fuerit pulſatur ſignum ad Tertiam: Oratione facta, induuntur albis, poſt Tertiam cappis. Cantatur officium Spiritus Domini: ad quod tamen legitur de Actibus Apoſtolorum ferialis lectio, & Euangelium feriale. Poſt Sextam quaſi pauſaturi dormitorium aſcendunt: audito ſigno deſcendunt, lauant manus & faciem, & Eccleſiam intrant. Poſt Orationem, & poſteaquam Sacerdos cum ſuis ſuffraganeis

erit vestitus, imponitur officium, *Deus cùm egredereris.* Ad quod cùm legantur duæ lectiones, duæ quoque Collectæ dicuntur, & non ampliùs. Prima lectio est de libro Sapientiæ: Euangelium de quinque millibus hominum ex quinque panibus & duobus piscibus saturatis. Cantus Alleluia minimè cantatur, sed tantummodò Responsorium, vel quod alij Gradalem vocant. Vna vice reficiunt post Nonam, & adipe abstinent. In diebus jejunij secuturis nihil est aliter agendum, excepto quòd nec cappis, nec albis generaliter induuntur, & Collectæ, quæ dicuntur in priuatis diebus, ad Missam majorem non omittuntur. Idem autem jejunium si contigerit extra Pentecosten non alia tamen officia, quàm & ad Pentecosten pertinentia ex more cantantur; & in Sabbato post offerendam, qui Responsorium cantauerit, & Lectionem legerit præter Epistolam, cùm albis esset indutus solet se exuere. Cantor qui tenet Chorum in cappa, alijs ad orationem procumbentibus, non procumbit, & ad illam orationem quæ fit ante Nonam exit de Choro.

CAPVT XXVIII.

De Festis Sanctorum venientibus post Pentecosten.

Interrog. AD Nocturnos priuatarum noctium si talis Lectio, vt superiùs dixisti, jugiter est deputata, quomodò agitis commemorationem Sanctorum, pro quibus tamen duodecim Lectiones non fiunt?

Resp. Bene mones; nam de Sanctis hujusmodi vtique fiunt tres Lectiones cum Responsorijs quoque tribus; & ipsæ Lectiones excerptę sunt de aliquo sermone vel Homelia quæ ad hoc maximè competere videtur, quanquam non ita fieret in Paschalibus diebus, in quibus si tria Responsoria canebantur de Sanctis, tamen Lectiones erant de eo libro qui & eâ legẽdus erat septimanâ. Et vt quæstioni tuæ adhuc aliquid supererrogauerim de eisdem Sanctis, ad Nocturnos propter illos nec Hymnus nec Psalmi feriales mutantur. Inuitatorium, Capitulũ, Versus, & Collectæ de eis sunt di-

Digitized by

cenda. Ad Laudes Antiphonæ pro eis vtique mutantur; & ſinguli Pſalmi habentur de eis de quibus ſunt; & ad reliquas Horas Antiphonæ vſque ad Officium Miſſæ; cum officio eorum recordatio ex toto clauditur & finitur. Nam poſteà ad Horas quæ officium ſequuntur nec Antiphonæ, nec aliud quicquam eſt de ipſis. Sed ſi euenerit, vt eorum memoria in aliqua Dominica ſit agenda, poſt Veſperos regulares in Sabbato cantantur Antiphonæ de illis, & ſequitur Collecta. Ad Nocturnos ſimul cum Inuitatorio, & cum Euangelio, quatuor extremæ Lectiones fiunt de ipſis, poſteà pleniter ad Matutinas laudes, & in die Miſſa matutinalis. De cætero quod ad Dominicam pertinet tenetur. Sciendum quoque in priuatis diebus quæcumque de Sanctis Collecta dicta fuerit ad Veſperos, quòd vlla * nec ad Matutinas laudes, nec ad Tertiam, nec ad majorem Miſſam mutatur.

al. * & illa.

CAPVT XXIX.

De Iejunijs quæ fieri ſolent quartâ & ſextâ Feriâ.

SI imbecillitas noſtra pateretur dignum eſſet ſecundum edictũ præceptoris noſtri S. Benedicti, vt poſt Octauas Pentecoſtes ſtatim in omni quarta & ſexta Feria jejunium faceremus; quòd ſi non ampliùs tamen vtcumque non omittimus facere in vno & pridie * prædictarum feriarum; in quo poſt Tertiam ſilemus, poſt Sextam dormitorium aſcendentes ſimulamus meridianam potiùs quàm geramus, quia mox pulſatur ſignum vt in Eccleſiam redeamus, facturi nudis pedibus proceſſionem: calceos noſtros deponimus in Clauſtro prope canales, vt pedes lauaturi ſint in promptu. Inchoatur autem ipſa proceſſio eodem modo quo in Rogationibus cum Orationibus Antiph. Pſalmo & Collecta; omnia ſigna non pulſantur, ſed tantùm duo; & hoc inchoatur ante introitum Puerorum. Ergo cantando aliquid pro peccatis, vt eſt Antiphona, *Propitius eſto*, & alia, *Miſerere Domine*; proceditur per cimiterium ad Eccleſiam S. MARIÆ: ad cujus introitum & cantus & Collecta eſt

al. * primo.

Digitized by Google

de ipsa Domina nostra. Procumbitur super formas ad orationem ; Domnus Abbas imponit Psalmum 145. pro his qui in cimiterio sunt sepulti, & Sacerdos prosequitur cum Collecta, *Deus cujus miseratione*. Incipitur Letania duobus pronuntiantibus, cum qua per Claustrum & per vestibulum Ecclesiæ venitur in Chorum : sanè, vt præmissum est, primum diem jejunamus: posteà in loco jejunij aliquod opus manuum sæpius agitur à nobis. Quotienscumque autem per aliquam occasionem jejunamus in æstate, non mutatur illud de silentio post Tertiam, & de ascensione dormitorij post Sextam. Et si est quarta aut sexta Feria facimus sicut modò dixi, discalciati processionem, excepta sola vigilia sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Assumptionis sanctæ MARIÆ ; si tamen & ipsæ aliquando euenerint in tali die. Solet etiam remanere si quem Defunctorum sepelimus, vel si qua persona talis & huius dignitatis aduenerit, cui processionem faciamus, vel si majores Capsas nostras cum Sanctorum reliquijs ad aliquam villam nostram destinamus, vt sæpè contingit, pro timore prædarum & rapinarum , cum quibus & omnes albati, & pulsatis omnibus signis vsque ad exteriorem portam eximus, & eandem reuerentiam deferimus in reportando.

CAPVT XXX.

De Opere manuum.

Interrog. QVOD paululùm tetigisti de opere manuum plus aliquantulùm refer ; refer, inquam, quid sit illud opus manuum, & quo modo fiat ?

Resp. Certè, vt non mentiar quod ego sæpiùs vidi, non erat aliud quàm fabas nouas & nondum benè maturas, de folliculis suis egerere, vel inhorto malas herbas & inutiles, & quæ bonas herbas suffocabant, eruere, & aliquãdo panes formare in pistrino. Qualiter autem fiat, vt hoc etiam dicam, in die quo agendum est, illicò vt fratres surrexerint factis orationibus signum pulsatur ad Primam : quam alijs

Digitized by Google

Pſalmis intermiſſis, ſola ſequitur Letania, Miſſáque matutinalis : Capitulum quoque plus corripitur quàm in alijs diebus; nec cum Pſalmodia, vt moris eſt, itur ad ſanctam MARIAM, ſed percuſsâ tabulâ, & præmiſſo *Benedicite*, Domnus Abbas pronuntiat, Eamus ad opus manuum. Imponitur Pſalmodia quæ poſt Primam eſt intermiſſa; incedunt cum proceſſione, ita vt Pueri ſint primi, Priores nouiſſimi. Cùm ventum fuerit ad locum operandi verſi omnes ad Orientem per ordinem conſiſtunt Ad finem vnius Pſalmi faciunt antè & retrò, & Domno Abbate pronuntiante tunc dicunt hunc verſum, *Deus in Adjutorium, &c.* Sequitur, *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, Verſus, *Adjutorium noſtrum*, facta rurſus inclinatione, incipiunt operari. Hæc autem pſalmodia quæ cantatur inter operandum; primùm quæ remanſit poſt Primam, & poſt Capitulum : poſteà omnes regulares Horæ more Canonicorum à Prima incipientes. Inter cujus etiam preces * ſubjungitur etiam Pſalmus quintus, & ſeptem Pſalmi per alias Horas diuiſi : tres qui remanent toti inter preces Completorij dicuntur; & Completorium ipſum præcedunt Veſperi pro fidelibus Defunctis, adnectuntur Pſalmi qui ſolent dici pro familiaribus poſt Tertiam, & poſt duas Horas quæ ſequuntur. Si viſum fuerit Domno Abbati vt ampliùs operentur, ampliatur quoque pſalmodia de Pſalmo, *Ad Dominum cùm tribularer*, vſque ad finem Pſalterij, & tunc etiam à principio, *Gloria Patri, &c.* poſt tres Pſalmos interpoſito. Verùm illis Pſalmis pro familiaribus finitis, poſteà Domnus Abbas cùm primùm voluerit innuit Fratribus ab opere ceſſare, & ad ſe magis appropiare, jubet vt aliquid legatur, citiùs tamen finiendum, quia ipſe facturus eſt inde ſermonem : loquens aliquid tale, maximè de vita Patrum, quod ædificet audientes : quo finito, iterum impoſitâ pſalmodiâ reuertuntur; quam & Pueri cùm primùm Clauſtri limen attigerint, altiore voce leuant, nec priùs in Capitulo conſiſtunt quàm Conuentus ante Capitulum, Domno Abbate pronuntiante Verſum, *Adjutorium*, faciunt vniuerſi antè & rectò; & iterum præmiſſo, *Benedicite*, accipiunt licentiam loquendi. Ergo Nona quoque magis quàm in

* *al.* partes.

Digitized by Google

alijs diebus acceleratur. Postquam ventum fuerit ad horam loquendi, rursus ad opus manuum ire compelluntur.

Hæc est psalmodia quam tunc adoriuntur. Primùm Psalmi pro familiaribus qui post Vesperos ex more dicuntur: Vespe ri de omnibus Sanctis, Vesperi pro Fidelibus Defunctis cum Antiphonis : Officium pro Defunctis absque Matutinis laudibus, quæ semper ad noctem seruantur, *Deus auribus. Verba mea.* Posteà inchoant psalmodiam vbi eam priore vice intermiserunt. Postquam reuersi fuerint ea vice sermo fieri solet in Claustro; à quo exurgentes & facientes antè & retrò, Domno Abbate ex toto pronuntiante, tum iterum dicunt hunc versum: *Benedictus es Domine Deus:* & sequitur *Kyrie eleison* cum familiari appendicio; & nouissimè Versus, *Adiutorium nostrum*: & facto antè & retrò datur licentia loquendi. Si videtur Domno Abbati vt opere facto bibant, postquàm pulsato signo ad Vesperos fecerint orationem cymbalo percusso vadunt in Refectorium, & potio propinatur melle, vino, & absynthyo confecta. Et sciendum est quia quotiens hoc contigerit, posteà nequaquam, vt aliquando solent *, bibunt inter collationem. Quòd si non nisi semel operantur, tunc sermonis locus est in Claustro, & Versus ille non differtur, vt non statim dicatur, *Benedictus es Domine.* Et si quando fient in sequente nocte duodecim Lectiones, minimè bis operantur. Si in pistrinum ierint vt panem faciant, propter opus huiusmodi non differunt illos post Primam Psalmos pro familiaribus, vel septem Psalmos. Post Capitulum lauant generaliter manus, & non tergunt: & sic imposita psalmodia procedunt in pistrinum. Pueri, vel si quis non sanas manus habet, non se intromittunt vt tangant quid de conspersione farinæ; & hi à quibus panes formantur, posteà quidquid * sudoris fuerit in eorum facie, minimè tangunt illos, nec os aperiunt ad psalmodiam, nè fortè de saliua quid saliat in massam. De sermone quoque nulla tunc mentio fieri solet, nec alio versu clauditur illud opus manuum, quàm cum eo, *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

al. * vt solent.

al. * posteaquàm quid.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXI.

De Dominica tertia poſt Pentecoſten, & ſeptimana.

POST commemorationem ſanctæ Trinitatis, in illa Dominica quæ primò occurrit cantantur Reſponſoria de libro Regum vſque ad Calendas Auguſti. Et tunc de libro Salomonis vſque ad Calendas Septembris. Quibus ad vnam vicem cantatis, in cæteris Dominicis ad Nocturnos tertium, ſeptimum, & vndecimum Reſponſoria cantantur de ſancta Trinitate, quartum, octauum, & duodecimum illa minora, vt eſt, *Domini eſt terra*: Quorum etiam ſimilia cantantur ſi qua Sanctorum feſtiuitas cum duodecim lectionibus agitur; quæ tamen non ſit de majoribus, ſed talis, vt eſt quælibet Dominica: & non ſolùm in hoc tempore, ſed etiam poſteà ſemper quàm venerit Paſcha. De hac autem Dominica, & ſeptimana non eſt abs re ſi plus aliquantulùm dixero quàm de alijs, quia nonnulla, quorum vſus eſt in iſtis ad obſequium diuinum, tenentur etiam per omnes Dominicas & ſeptimanas vſque ad Aduentum Domini, excepto ſi non pro aliqua feſtiuitate mutantur. Primò ad Veſperos in Sabbato Capitulum, *Benedictus Deus*. Quod etiam tam in priuatis diebus, quàm in Dominica ad Veſperos, ſemper idem eſt. Ad noctes ſequentes tria ſunt Inuitatoria viciſſim, id eſt, *In manus tua. Adoremus Dominum.* Ad Cantica, *Alleluia*, vt Antiphona, *De Sion.* Ad Laudes ſuper Pſalmos tres, Alleluia, vt, *Dico vobis.* Ad Hymnum trium puerorum Antiphonæ propriæ habentur, ad ſequentem Pſalmum, Alleluia, vt Antiphona, *In Domino laudabitur.* Capit. *Benedictio & claritas.* Ad Primam, Alleluia, vt, *Hortus concluſus eſt*; Capitulum, *Regi autem ſeculorum*, Collecta de ſancta Trinitate, quæ etiam ad hanc Horam, & in hoc die, per totum annum ſemper eſt dicenda; nec pro aliqua vel præcipua feſtiuitate mutanda. Poſt conſecrationem ſalis & aquæ, Antiphona, *Aſperges me*: In exitu proceſſionis ad Eccleſiam ſanctæ MARIÆ Antiphona vel Reſponſorium de ipſa: per Clauſtrum de iſtis tribus Anti-

phonis vna, id est, *Cùm venerimus*; alia, *Oremus dilectissimi nobis*, alia; *Omnipotens Deus supplices te*: & si opus fuerit amplùs quid addi, Antiph. *Dimitte nobis Domine.* Ad stationem in vestibulo Ecclesiæ Antiphona, *Benedicat nos Deus*, vel aliquod Responsorium de S Trinitate: in Chorum redeundo Antiphona vel Responsorium de sanctis Apostolis Petro & Paulo. Ad Tertiam Alleluia, vt Antiphona, *Christi Virgo:* Capitulum, *Deus charitas est*; Ad Sextam, Alleluia, vt, *Inter natos*; Cap. *Alter alterius*; Ad Nonam Alleluia, vt, *Innuebant*; Capit. *Empti enim estis.* Collecta ad Sextam & Nonam, *Deus qui conspicis. Gratiæ tuæ quæsumus.*

In priuatis noctibus ad Nocturnos est Capitulum, *Vigilate.* Ad Laudes, *Nox præcessit*; Ad Primam Capitulum, *Pacem & veritatem*: Collecta, *Domine Deus Pater qui ad principium:* Quæ ambo priuatis diebus ita sunt conglutinata, vt nunquam ab eis separentur. Ad Tertiam Capitulum, *Sana me Domine*; Ad Sextam & Nonam eadem quæ in Dominica; Collectæ quæ notantur in Collectaneo * Ad Completorium Cap. *Tu autem in nobis*; & Collecta *Visita quæsumus*; ista sunt immobilia, vt siue sit dies priuatus, siue solemnis, ipsa nequaquam moueantur. Quòd si non est Dominica dies, & tamen duodecim lectiones; Ad Primam est Collect. *In hac hora huius diei quæsumus.* Quæ notiora æstimaui, præteriui, vel vt quod in Sabbato ad Vesperos super Canticum Euangelij Antiphona, *Quasi germana est*; Responsorium de eodem libro. Ad Laudes, & vtrosque Vesperos * de Euangelio vel quod in priuatis noctibus ad Matutinas est de ipso Cantico, ad Vesperos iterũ de Euangelio. Eo quoque Sabbato, in cuius sequente nocte aliqua sunt Responsoria inchoanda, non cantatur ad Vesperos feriale Responsorium, sed vnum de ipsis Responsorijs inchoandis. Si autem meministi eorum quæ superiùs in alijs locis memoraui, me tacente modò, tamen scire potes, quòd Collecta quæ ad quamlibet Dominicam pertinet, dicenda est in Sabbato ad Vesperos, & post Nocturnos ad Euangelium, ad Matutinas laudes, Missam matutinalem, ad Tertiam, ad majorem Missam, vtrosque Vespe-

al.* Collectæ ad eas, & ad horam præcedentem, iterũ de quotidianis quascunque volueris, exceptis primis duabus, quæ ex more ad Dominicam reseruantur.

al. * secundos Vesperos.

Digitized by Google

ros. In priuatis autem noctibus habentur in Collectaneo, & hæ Collectæ quæ dicendæ ſunt ad Nocturnos, & Laudes, & Veſperos. Et Sacerdos ſi voluerit, vt non reprehendatur, caueat ne aliquam dicat ignotam, ſed quæ benè ſimulet ſtilum Gregorianum, & ſui mediocritate, & ipſorum verborum humilitate.

CAPVT XXXII.

De Natiuitate S. Joannis Baptiſtæ.

INter natos mulierum, juxta ipſius Domini teſtimonium, *cùm nemo ſurrexerit major Ioanne Baptiſta*, non eſt indignum ſi ejus quoque ſolemnitas ſolemniùs quàm aliorum Sanctorum celebretur. Celebratur autem ejus Natiuitas cum Octauis, nec ſunt plures Sanctorum pro quibus hoc fiat; tantùm aliæ quatuor Feſtiuitates ſimiliter aguntur, id eſt, Natalis Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli; Tranſlatio S. Benedicti; Aſſumptio ſanctæ MARIÆ, & depoſitio S. Martini; de quibus, vt primò dicam quod omnes communiter habent, prima nocte poſt Laudes & præcedentes Veſperos agitur proceſſio ad Altaria ſingulorum, excepto Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, in quorum honore eſt ipſum Altare principale. Agitur autem cum aliquo Reſponſorio, Collecta quoque aliqua ſequente cum tonali pronuntiatione. Per totam ſingularum feſtiuitatum ſeptimanam venia non petitur ad initia Horarum, nec procumbitur ſuper formas ad preces. Item ad ſingulas Horas de pſalmodia non minus omittitur, quàm in Paſchali tempore quotiens duodecim Lectiones non fiebant. Octauus dies totus eſt ſolemnis duodecim lectionibus agendus. In ea quoque Dominica ſi qua venerit, non aliud legitur vel cantatur quàm de ipſis. In priuatis noctibus, etiamſi ſit tempus æſtiuum, tamen tres Lectiones cum tribus Reſponſoris fiunt; principalis quoque Collecta, quæ in primo die ad majorem Miſſam dicebatur, poſteà vſque ad octauum diem ſemper eſt dicenda ad Laudes, Tertiam, majorem Miſſam & Veſperos. Præfatio autem tantùm in primo die

ad vtramque Missam, in octauo die ad solam majorem. Hoc solùm minus habent, & ab alijs dissimile, Natiuitas sancti Ioannis,& Translatio sancti Benedicti, quòd in octaua nocte nouissima Nocturnorum Responsoria sunt de his minoribus,vt est, *Iustus vt palma.* Quod tamen omnibus eisdem festiuitatibus, quæ in æstate veniunt est commune Dominica interueniente vt similia Responsoria cantentur. Igitur succinctè prælibato, quod, vt dixi, communiter habent, videndum est modò quod propriè pertinet ad memoriam S. Ioannis. In vigilia ad Vesperos Collecta, *Præsta quæsumus omnipotens Deus vt familiæ tuæ.* In nocte ad Euangelium, *Concede quæsumus omnipotens Deus.* Quæ & per Octauas frequentatur. Ad Matutinas, *Deus qui præsentem diem*; quæ ad Tertiam, ad Missam, & ad Vesperos iteratur, ibíque ex toto finitur. Verùm nescio si quid dicere possim, quod non jam noueris per ea quæ à me superiùs de solemnitatibus sunt relata.

Inter. Non sum oblitus illorum; verumtamen est quod adhuc libenter audierim, quo ordine per Octauas ad Nocturnos, & alias Horas Antiphonæ dicantur.

Resp. Hoc etiam à Fratre, cujus supra memini, quærere non omisi, & aliud nescio vel de ipsis Octauis, vel de alijs; nisi quòd ille rursus mihi dixerit: pro cujus testimonio, solemnitas diei agitur, si venerit v. g in feria sexta, in Sabbato quod sequitur in primo Nocturno super Psalmos Antiphona, *Priusquàm te formarem.* In 2. Antiphona, *Ad omnia.* Ad Matutinas iterum super Psalmos, *Elizabeth Zachariæ.* Super Cant. Euangelij, *Innuebant patri eius*: ad Primam, *Ne timeas.* ad Tertiam, *Misit Dominus.* ad Sextam, *Ecce dedi*: ad Nonam, *Dominus ab vtero*: ad Vesperos, *Ioannes est nomen*: ad Magnificat, *Pro eo quod non credidisti.* ad Dominicam in 1. Nocturno, *Posuit os meum*: In 2. *Formans me*: ad Cant. & ad Matutinas de SS. Ioanne & Paulo: post Canticum Euangelij, *Apertum est os:* ad Primam, *Elizabeth*: ad Tertiam, *Innuebant*: ad Sext. *Inter natos*: ad Nonam, *Tu puer*: ad Vesperos, *Ex vtero senectutis*: ad Magnif. *Et posuerunt omnes.* Feriâ secundâ in 1. Nocturno, *Posuit os meum*: in 2. *Formans me*: ad Ma-

Digitized by Google

tutinas de S. Irenæo & ſocijs ejus: de S. Ioanne Antiph. *Ioannes vocabitur:* ad Sext. *Reges videbunt:* ad Non. *Nazaræus vocabitur:* ad Veſperos, *Ipſe præibit*: item, *Puer qui natus eſt.* Feriâ 3. in 1. Nocturno, *Erit enim magnus:* in 2. *Inter natos*: Matutinæ de S. Leone; de S. Ioanne, *Tu puer:* matutinalis Miſſa de S. Leone; ideò ad ſolam Primam Antiphona de eodem: ad Tertiam, *Ioannes eſt nomen*: ad Sext. *Ipſe præibit:* ad Non. *Ex vtero:* ad Veſperos non de S. Ioanne, ſed de S. Petro; & 1. Antiphona, *Beati eritis*; propter quos etiam mutantur Octauæ, vt non ampliùs dicantur de S. Ioanne, niſi poſt Matutinas & Veſperos regulares, vna Antiphona & Collecta; de quo tamen Octauus dies pleniter celebratur tam cum duodecim ad Nocturnos Antiphonis, quàm etiam 12. Lectionibus & Reſponſorijs.

CAPVT XXXIII.

De Natali Apoſtolorum Petri & Pauli.

VIGILIA Natalis SS. Apoſtolorum, & Vigilia Aſſumptionis ſanctæ MARIÆ habent aliquid ſingulare, & quod in nullis alijs Sanctorum Vigilijs ſolet agi: nam ad majorem Miſſam pulſantur omnia ſigna, & propter quod non Angelicus Hymnus, nec Alleluia cantatur; alia ſolemniter omnia fiunt. Chorus, vt aiunt, ab vno tenetur in cappa; Reſponſorium à duobus cantatur in cappis; Subdiaconus veſtitur tunica; Diaconus dalmatica: Vnus offert, omnes accipiunt pacem; *Kyrie eleiſon, Sanctus, Agnus Dei,* ſingula cum quotidiana melodia cantantur. Eſt autem in priore Vigilia, vt & ſupra memini, Depoſitio S. Leonis Papæ; & in ſequente Depoſitio ſancti Euſebij Preſbyteri, de quibus & Miſſa matutinalis cantatur; propter quod tamen generalis oblatio non omittitur, & pax ab vno accipitur. Poſt primam Collectam cæteræ quæ ſequuntur omnes ſunt pro Defunctis: quod ſimiliter fieri ſolet quoties eadem Miſſa cantatur pro ſalute viuorum: non autem eſt conſuetudo vt vnquam in duodecim lectionibus hoc fiat.

Sed reuertamur ad ipſum Natalem Sanctorum Apoſtolorum. Domnus Abbas conſtituit ante hos annos, vt ad Pſalmos Nocturnorum hæ cantentur Antiphonæ, quarum prima eſt, *In plateis*: Euangelium ſequitur ea Collecta quæ dicebatur ad Veſperos, id eſt, *Deus qui Eccleſiam tuam Apoſtoli tui Petri*: quanquam ad Laudes, & ad majorem Miſſam dicitur; *Deus qui hodierna*. Et ſi hoc aliquando contigerit, tamen non præjudicat generali conſuetudini Collectarum, quòd hujuſmodi ſi dicuntur ad Veſperos, dicuntur etiam ad Matutinas laudes, & ad alias vices. In die cùm proceſſio ſolemniter ſit agenda, ſi eſt Dominica dies agitur ante Tertiam; puto propter conſecrationem ſalis & aquæ ex more gerendam. Si qualibet alia feria, poſt Tertiam: quod item obſeruatur in Aſſumptione S. MARIÆ, & in Natiuitate Domini. Ad ipſam autem proceſſionem cantari ſolet Reſponſorium, *Quem dicunt homines*; & aliud, *Magnus ſanctus Paulus*. Ad Stationem, Antiphona, *Hodie illuxit nobis*: In Chorum redeundo Reſponſ. *Quodcumque ligaueris*; aliud, *Sancte Paule*. Horarum Hymni augentur eo verſu, *Vos ſæcli juſti, &c.* Veſperi ſecundi de ambobus Apoſtolis communiter agantur, tamen ſingulariter de vtroque dicenda eſt Collecta; & primò de S Petro, poſtea de S. Paulo Antiphona & Collecta. Collecta quæ ad majorem Miſſam primo die dicebatur, ita mutatur: *Deus qui Eccleſiam tuam Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli prædicatione docuiſti*: & eſt dicenda per totam Octauarum ſeptimanam. Cujus etiam commemoratio ſingularis cùm agatur in ſequente die, de S. Petro tantùm ad matutinalem Miſſam eſt Collecta; ad Matutinas & Veſperos Antipho. & Collecta, ſicut etiam ad has duas Horas, de S. Ioanne, ſed de illo ſine ſalutatione.

Tertius dies eſt quoque Octauus Natiuitatis ejuſdem S. Ioan. Baptiſtæ, in quo communiter amborum Apoſtolorum meminimus ad vices prænominatas, non quarto die pro computo, quæ ſupra, v g. popoſuimus, cùm ſit Sabbatum: in primo Nocturno Antiphona, *Tollite jugum meum*· in 2. *Jugum enim meum*. Reſp. 1. & 3. de ſancto Petro; 2. de S. Paulo. Ad Mat. Laud. *Petrus Apoſtolus & Paulus*:

Digitized by Google

ad Benedictus, *Inſeparabilis fides.* ad Primam Antiph. *In omnem terram:* ad Tertiam, *Iam non dicam vos ſeruos.* Officium Miſſæ non eſt aliter cum omnibus ſuis appendicijs, quàm quaſi generaliter de Apoſtolis, ſicut & alijs diebus infra Octauas, præter Collectam, quæ ſola propriè eſt de S. Petro & de S. Paulo. ad Sextam Antiph. *Tradent enim vos:* ad Nonam, *Gaudete & exultate:* ad Veſp. *Glorioſi Principes terræ:* ad Magnificat Antiph. *Iſti ſunt viri ſancti.* Dominica in 1. Nocturno Antiph. *Petrus Apoſtolus:* in 2. *Inſeparabilis fides:* ad Cantic. *Vos qui reliquiſtis omnia:* ad Mat. Laud. *Beati pacifici:* ad Benedictus, *Sanctum & verum lumen:* ad Primam, *Hoc eſt præceptum meum:* ad Tertiam, *Majorem charitatem:* ad Sextam, *Vos amici mei:* ad Nonam, *In patientia veſtra:* ad Veſp. *In regeneratione:* ad Magnificat, *O cœli Ianitor.*

Feria 2. Tranſlatio S. Martini, de quo & ſi ad Nocturnos alia Reſp. ſimul cum Antiphonis omnibus ſunt de ejus vita, tamen 3. & 7. & 11. ſunt de illis rebus quæ pertinent ad quemlibet Confeſſorem, & ſimiliter illæ Antiphonæ ad Matut. Laudes.

Feria 3. in 1. Nocturno Antiph. *Principes populorum:* in 2. *Tradent enim vos:* ad Matut. Laud. *Hoc eſt præceptum meum:* ad Primam, *Majorem charitatem:* ad Tertiam, *Vos amici mei eſtis:* ad Sextam, *Beati pacifici:* ad Nonam, *In patientia veſtra:* ad Veſp. *Beati eritis:* ad Magnif. *Iſti ſunt duæ oliuæ.*

Feria 4. cùm ſit dies octauus 12. lectionibus agendus: ad Nocturnos & Antiphonæ & Reſponſoria de his duobus Apoſtolis alternantur. Quomodò autem, quia in nullo Antiphonario inueni, certè de ipſa breui factum notare curaui, & ita quoque veſtræ communico dilectioni. Ad Nocturnos 1. Antiphona, *In Plateis:* 2. *Qui operatus eſt:* 3. *Ait Petrus:* 4. *Scio cui:* 5. *Petrus Apoſtolus:* 6. *Mihi viuere:* 7. *Factum eſt:* 8. *Tu es vas electionis:* 9. *Adueniente Petro:* 10. *Magnus S. Paulus:* 11. *Ponens Petrus:* 12. *Bonum certamen.* Reſponſorium 5. *Tu es paſtor ouium:* 6. *Repoſita eſt mihi.* 7. *Ego pro te rogaui.* 8. *Sancte Paule;* Antiphona, *Glorioſi Principes terræ:* Reſp. 9. *Beatus es Simon*

Barjona: 10. *Magnus S. Paulus*: 11. *Quodcumque ligaueris.* 12. *Isti sunt duæ oliuæ.* Ad Mat. laud. Antiph. *Petrus Apostolus & Paulus, &c. O Cœli janitor, &c. In regeneratione. Inseparabilis fides. Sanctum & verum lumen.*

CAPVT XXXIV.

De Translatione S. Patris Benedicti.

DEPOSITIO Præceptoris nostri S. Benedicti cùm sit in Quadragesima non est opportunum propter ipsam vt cum Octauis celebretur, propterea quòd ea vice non bene possumus vt in ejus Translatione faciamus, & illam celebremus cum Octauis, de qua qualiter facta fuerit, vel cujusmodi persona in Gallias sacro-sancta attulerit ossa, manifesto litterarum testimonio non caremus. Et in prima nocte legitur ad Nocturnos, & in alijs per Octauas noctibus, pulcherrimus sermo Domni Oddonis de eodem Patre. Verùm vt iterum manifestiora transeamus, veniamus ad ordinem Antiphonarum per Octauas ad singulas Horas cantandarum, in quo planè mei similis potuerit errare, si non habet inde aliquid aliquo modo prænotatum. Igitur vt computum semel incœptum teneamus, solemnitas de qua agitur si euenerit in 2. feria, vel in feria 3. In 1. Nocturno Antiph. *Fuit vir vitæ*: in 2. *Ab ipso pueritiæ*: ad Mat. laudes Antiph. *Beatus vir Benedictus*: alia, *Erat vir Domini*: ad Primam, *Dum in hac terra*: ad Tertiam, *Liberiori genere*: ad Sextam, *Relicta domo*: ad Nonam, *Recessit igitur*: ad Vesperos, *Hic itaque*: alia, *Sanctissime Confessor.*

Feria 4. in 1. Noctur. Antiphona, *Compassus*: in 2. *Expetitus à Fratribus*: ad Mat. laudes, *Erat vir Domini*: alia, *Gloriosus Confessor*: ad Primam, *Cúmque sibi conspicerent*: ad Tert. *Inito consilio*: ad Sext. *Tunc ad locum*: ad Nonam, *Tantam gratiam*: ad Vesp. *Qui dum eremum pergeret*: alia, *O beati viri Benedicti.* Feria 5. in 1. Nocturno, *Fuit vir vitæ*: in 2. *Ab ipso*: ad Mat. laud. *Gloriosus Confessor*: alia, *Vir Domini*: ad Primam, *Dum in hac terra esset*; & reliquæ vt in feria 3. nisi ad Magnif. *Orabat S. Benedictus.* Dominicâ

in 1.

in 1. Noct. *Fuit vir vitæ:* In 2. *Compaſſus*: ad Cantica, *Hic itaque*: ad Mat. laud. *Puer quidam paruulus:* ad Primam, *Beatus vir Benedictus*: ad Tertiam, *Vir Domini*: ad Sextam, *Glorioſus:* ad Nonam, *Vir Domini:* ad Veſp. *Oramus te*: alia, *Exultet omnium, &c.* De octauo die non habeo aliud referre, præter quod & ſupra jam retuleram. Vnum tamen eſt cujus nondum memini, quòd ad ſecundas Veſperas ſuper Pſalmos hæ quatuor Antiphonæ cantantur, quæ ad Nocturnos primæ fuerunt; & hoc fieri ſolet non in hac tantùm feſtiuitate, ſed etiam in alijs, ſi Antiphonæ Nocturnorum ſunt iſtis ſimiles, vt magis ſint tractæ de vita Sanctorum, quàm de textu & materia Pſalmorum.

CAPVT XXXV.

De benedictione vuarum, & aliorum fructuum.

IN multis libris Miſſalibus habetur benedictio vuarum, & maximè ad Natalem S. Sixti Martyris & Papæ: ſed ſi nondum ſunt maturæ, Cuſtos Eccleſiæ obſeruat quando primùm matureſcant vt faciat eas ad Eccleſiam deferri: allatas Armario repræſentat, & Armarius Sacerdoti inter Canonem ad Horam competentem & prænotatam *, vt eas benedicat. Poſteà in Refectorio per Sacerdotem diſtribuuntur in loco hoſtiarum, quod non omittitur etiamſi eſt dies Dominicus. Sunt præterea & aliæ tres ſpecies quæ ex more in Refectorio benedicuntur, id eſt, nouellæ fabæ, nouellus panis, & muſtum; & hoc modo: lectio priùs inchoatur, poſt cujus verſum primum ſtat Sacerdos in medio Refectorij ante menſam principalem, & præmiſſa ſalutatione ſingula benedicit; fabas ita; *Benedic Domine hos fructus*: pro pane; *Benedic Domine creaturam iſtam panis*: pro muſto; *Domine omnipotens* IESV *Chriſte qui ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiaſti, &c.*

* *Scilicet ad hæc verba:* Per quem hæc omnia Domine bona creas, &c.

Digitized by Google

CAPVT XXXVI.

De Assumptione S. MARIÆ.

IN Vigilia Assumptionis S. MARIÆ ad Vesperos super Psalmos Antiphona, *Tota pulchra es*; Collecta, *Deus qui Virginalem*: ad processionem versipertinalem, Respons. *Super salutem*; Collecta eadem quæ suprà: ad Nocturnos legitur sermo sancti Hieronymi, *Cogitis me, ô Paula.* qui cùm tantæ sit excellentiæ ad nonam Lectionem nequaquam pronuntiatur Euangelium, sed omnes Lectiones de eodem sermone fiunt, Euangelium, *Repleta est Spiritu*: Collecta, *Veneranda nobis.* Eadem ad ambas futuras processiones. Ad Matutinas laudes, ad Tertiam, & majorem Missam Collecta, *Famulorum tuorum:* quę per totas Octauas dicenda: ad processionem matutinalem, Respons. *Gaude* MARIA. in die Antiphona, *Tota pulchra.* Per Claustrum, Respons. *Quæ est ista*: aliud, *Ista est speciosa*: ad Stationem, *Gaude* MARIA: ad introitum Ecclesiæ Antiph. *Hodie beata Virgo*; Respons. *Beata es Virgo*: ad majorem Missam *Credo*, sicut etiam ad omnes festiuitates Beatæ MARIÆ; ad Vesperos Psalmi, *Dixit Dominus. Lætatus. Nisi Dominus. Memento.* Excepta Hypapanti Domini. De ordine Antiphonarum quæ dicendæ sunt ad omnes Horas per Octauas, non æstimauerim opus esse vt aliud dicam, nisi quòd ad Nocturnos singularum noctium sunt quoque de Nocturnis primę noctis: Item ad Matutinas Laudes de matutinis Laudibus: ad cæteras Horas hæ cantari solent Antiphonæ, quarum prima est, *Ecce tu pulchra es.* Et Officium per Octauas, *Salue sancta Parens*: in octauo die, *Gaudeamus.* Ad omnes Hymnos Horarum additur, *Gloria tibi Domine qui natus*: & similiter ad omnia festa S. MARIÆ.

CAPVT XXXVII.

De eo quod cantatur in Septembri.

IN Septembri cantantur Reſponſoria de libro Iob per duas Dominicas. Item per duas Dominicas de libro Thobiæ, Iudith, Eſther, & Eſdræ. Quòd ſi qua Feſtiuitas occurrerit in ipſis Dominicis quæ impediret ſi ad præſens ageretur, vt Reſponſoria de præfatis libris ſuo tempore cantari non poſſent, pro hujuſmodi in ſequentem diem ipſa Feſtiuitas differtur, & non erit neceſſe vel hoc vel illud remanere. Hîc quoque omittuntur Reſponſoria de Sancta Trinitate, & illa minora de volumine Pſalmorum, vt non ad Nocturnos inter alia Reſponſ. cantentur. Hîc etiam inchoatur, vt quotquot Reſponſoria cantantur, ad Noctur. vel Matutinas laudes cum *Gloria Patri*, his & adhuc adjungatur, *Sicut erat*: quod huc vſque fiebat à Paſcha ad Veſperos; amodò autem non ad Veſp. ſed, vt præmiſſum eſt, ad Nocturnos, & Matutin. laudes, vſque iterum ad Paſcha. Sciendum tamen eſt, quia ſi talis Feſtiuitas celebratur vt duo ſimul primum Reſponſ. cantent, tunc hæc adjectio non obſeruatur.

CAPVT XXXVIII.

De Exaltatione S. Crucis.

IN Exaltatione S. Crucis, ſicut etiam in Inuentione, agitur aliquid contrà morem aliarum Feſtiuitatum. Nam cùm 1. Veſperi ſint de ſancta Cruce, ad Nocturnos Pſalmi omnes, & 8. Lectiones ſunt de Sanctis: Sed iterum de ſancta Cruce ſuper Cantica, *Domine audiui*: Quorum prima inciſio eſt in eo verſu, *Pro iniquitate*: ſecunda in eo, *Egreſſus eſt*: Et poſteà non ſolùm 4. extremæ Lectiones, & Matutinæ laudes, ſed etiam de cætero omnes Horæ ſunt de S. Cruce. In ejus autem Exaltatione, finitâ Tertiâ, priuſquàm Officium Miſſæ inchoetur, portetur

al. * albis indutis.

Crux pallio cooperta à duobus albatis * ante Altare principale ; quam discooperientes imponunt Antiphonam, *Ecce lignum Crucis*, & omnes veniam petunt, & tapetibus in terra constratis, ita vt sunt albati ad terram prostrati adorant : interim Antiphona post Antiphonam prænominatam sequitur alia, id est, *Crucem tuam* ; quæ recantatur per singulos versus Psalmi, *Deus misereatur*, & postea quælibet aliæ Antiphonæ de sancta Cruce ; quæ postquàm adorata fuerit à Conuentu subleuatur cantando Antiphonam, *Super omnia* ; & venia iterum ab omnibus est petenda. Psalmi ad Vesperos, *Dixit Dominus*, *Confitebor*, *&c.* super quos eædem cantantur Antiph. quæ ad Matut. laud. primâ tantùm ablatâ. Beatissimo Patri, Domno scilicet Odiloni videbatur multùm congruere, vt eo die quo Crux adoraretur, jejunium fieri deberet, propter quod constitutum est ab illo, & quasi pro legitimo Ecclesiæ nostræ indicto, vt si Exaltatio sanctæ Crucis euenerit in quarta feria, sexta, vel Sabbato, ea vice minimè curetur de termino jejunij Quatuor-Temporũ, sed statim in ea septimana agatur. Adhuc autem de S. Cruce sciendum est, quia de ea major Missa cantari solet omni 6. Feria, ab Octauis Paschæ vsque ad Aduentum Domini ; & ab Octauis Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam ; nisi fortè dimittatur propter Officium alicujus Sancti, vel propter Officium de aliquo jejunio, vel propter Octauas : ferialis tamen Epistola legitur, vel Euangelium feriale.

CAPVT XXXIX.

De eo quòd ab Idibus Septembris semel comeditur.

AB Idibus Septembris semel tantùm comeditur, & in priuatis diebus de hoc ordine nihil mutamus, quem per totam habuimus æstatem quoties jejunium fiebat. Item in duodecim Lectionibus quia bis sumus comesturi, per omnia quoque facimus sicut & priùs.

CAPVT XL.

De conſuetudinibus incipientibus à Calendis Octobris vſque ad Calendas Nouembris.

A CALENDIS Octobris vſque ad Calendas Nouembris cantantur Reſponſoria de libro Machabæorum: ad Nocturnos Hymnus, *Primo dierum:* ad Laudes, *Æterne rerum conditor*; de cætero quoque ex toto dimittitur pauſatio meridiana. Si ſunt duodecim Lectiones, poſt prandium ſedemus in Clauſtro ad lectionem, vſque dum ſeruitores ſurrexerint à menſa. Pulſatur ſignum majus, & oratione facta quod minus fuerit, vt Nona cantetur. Ambulamus ſolito more in Refectorium vt bibamus, ſed aqua nequaquam vlteriùs propinatur. In priuatis diebus aurora apparente pulſatur ſcilla, & continuò nocturnalibus indutis feſtinamus ad Eccleſiam: præmiſſa breuiter oratione, cantamus Primam ſequentibus ſeptem Pſalmis & Letania. Si aliquando contigerit per incuriam Cuſtodis Eccleſiæ, vt non ſit clara dies, ſedemus in Choro capite cooperto, & pueri cum magiſtris in Capitulo vſque dum legere poſſumus cum luce diei. Vacamus lectioni vſque ad Tertiam: pulſatur ſcilla, & tunc primùm diurnalibus nos calciamus: lotis manibus & facie, & pexo capite, imus ad Eccleſiam, & procumbendo ad orationem pueros expectamus; quibus ingredientibus pulſatur ſignum, facimus tres orationes: pulſatur ſcilla, cantatur Tertia, Miſſa quoque matutinali ſimul adjuncta. Non ſolùm poſt Capitulum, ſed etiam poſt Sextam habemus licentiam loquendi, quanquam illud ſpatium ſoleat eſſe breuiſſimum; nam non ampliùs erit, quàm vt Sacerdos, & cæteri ad majorem Miſſam ſeruituri, lauent manus, & ſint ad induendum ſe parati. Pulſatur ſignum vt omnes occuramus ad orationem; quâ factâ imponitur Letania; & hi veſtiunt ſe, quorum ſupra memini, ad miniſterium Miſſæ. Si eſt quarta Feria aut ſexta, priùs nos audito ſigno diſcalciamus, quàm occurramus ad orationem, vt nudis pedibus faciamus proceſſionem. Finitâ

Missâ signum pulsatur ad Nonam; & orationem facimus priusquàm exeamus ad lauandum pedes: aut si non est dies in quo processio fiat, in Choro tamen legendo expectamus vsque dum seruitores potuerint prandisse; pulsatur scilla iterum ad Nonam. Quod etiam etsi nondum dixerim, tamen per totam æstatem quoties dies est jejunij, similiter obseruatur.

CAPVT XLI.

De consuetudinibus in Nouembri.

A Calendis Nouembris cantantur Responsoria de libris Ezechiëlis, Danielis, & aliorum minorum Prophetarum. In priuatis diebus,& si nullæ fiant Octauæ, postquam semel surgimus, non redimus ad lecta. Hîc denuò inchoamus quod omissum est à Cœna Domini, vt triginta Psalmos cantemus ante Nocturnos. Item Officium Defunctorum, quod huc vsque post Vesperos agimus, amodò post Nocturnos agere solemus, Matutinis laudibus quoque Defunctorum simul adjunctis. Reliqua psalmodia, vt moris est, cantatur ad Ecclesiam S Mariæ; regularibus Matut. laudibus Prima cum suis appendicijs continuatim adjungitur. Hîc etiam si ordinem nostrum per omnia tenere volueris, habes meminisse, quòd postquam officium agitur in nocte, non est opus vt in duodecim Lectionibus post singulas Horas Psalmus, *Ad Dominum cum*, pro ipso Officio cantetur; pro quo primitùs à S. Majolo est decretum, vt Psalmus, *De profundis*, simul cum præfato Psalmo diceretur: sed hunc postea Domnus Abbas mutauit Psalmo, *Voce mea*; & hoc addidit, vt si Officium geritur in nocte, propter hoc tamen ille Psalm. non aliquando omittatur. Nam & per vices non solùm pro Officio, sed etiam pro tricenario alicujus nuper defuncti Fratris deputatur; & si neutrum fuerit, tamen post omnes Horas sæpe pro Fidelibus defunctis cantatur. Pater autem sæpe dictus, scilicet Domnus Odilo, vir planè misericordiæ, perpendens quàm difficile nonnulli Fratrum pati possent, vt in tanta Hyemis ali-

Digitized by Google

quando aſperitate nudis quoque pedibus procederent, hujuſmodi proceſſionem in quarta & ſexta Feria à Calendis Nouembris vſque ad caput jejunij pro pietate ſua indulſit.

Interrog. Scire velim cujuſmodi ſit interuallum poſt pſalmodiam, in Eccleſia S. MARIÆ * conſummatam : vel quod interim maximè ſit opus veſtrum, vel vbi Conuentus moretur ?

al. * in Eccleſia ſcilicet mane.

Reſp. Breuiter ad ſingula reſpondeam. Interuallum ſolet temperari vt Clauſtralis Prior cum abſconſa totum Clauſtrum poſſit circuire : Videt námque ſi omnia Clauſtri oſtia ſunt clauſa : perluſtrat dormitorium à fine vſque ad finem, nec minus ad ipſas neceſſarias. Pergit in domum infirmorum, vt videat per omnia quo modo ſe ipſi habeant infirmi. Redit per Eccleſiam ſanctæ MARIÆ in majorem Eccleſiam. Nullum Altare, quo quiſquam Fratrum accedere poteſt, dimittit inuiſitatũ, vt videat quis ibi ſit, vel quid agatur ab eo. Fratres autem de Eccleſia S. MARIÆ ſimul exeuntes, præter ſi qui opus habent ad neceſſarias ire, reuertuntur in Chorum, & ſinguli ſedent in ſedili ſuo caput cooperti, Iuuenes, qui in cuſtodia ſunt, juxta Cuſtodes ſuos, de quibus ſummopere cauetur ne ſimul ita ſedeant, vt non habeant inter ſe probabilem & boni teſtimonij mediatorem, & vnuſquiſque poſtquam caput cooperuerit, facit quod ſibi videtur, vel quod potuerit : nam vt mei ipſius pro exemplo meminerim, erat aliquando quòd intentiùs orabam, aliquando quòd Pſalmos ruminabam, aliquando quòd ſomno adeo grauatus eram, vt ita ſedens vellem nollem dormitarem : ſed ſi quis voluerit ſecretiùs orare, ſurgit, & ſecedit ad aliquod Altare ; vbi tamen non diutiùs moratur, vt & locum habeat alius ſimiliter orandi ; quia ſatis pauca ſunt Altaria tantorum Fratrum multitudini comparata. In qua habitudinis diuerſitate fortaſſis plures non ſunt mei diſſimiles. Pueri ſedent in Capitulo, & per aliquem præcinentem cantum addiſcunt. Quòd ſi tanta eſt Hyemis aſperitas, eſt officina in qua grandis focus ab ipſis Fratribus qui fuerunt coqui prioris ſeptimanæ præparatur, & illuc omnes tam majores quàm minores licenter accedunt, cum ſumma

tamen grauitate, sicut dignum est in tali hora. Amodò quoque vsque ad Cœnam Domini in priuatis omninò diebus Hymnus Completorij est, *Christe qui lux es*; si tamen nullæ sunt Octauæ.

Inter. Sed post Vesperos cùm nec cœnetis, nec Defunctorum geratis Officium, quid aliud est quod geratur à vobis?

Resp. Imus in dormitorium, cultellos nostros deponimus, abstrahimus calceos diurnales, & nocturnales induimus; sedemus in Claustro ad lectionem, tangitur cymbalum vt manus lauemus, & in Refectorium bibere veniamus. Sedemus iterum ad lectionem, sonatur scilla ad collationem. Itémque & illud pro certo noueris, quòd si aliquando contingit nobis inuitis, & de industria nunquam, vt lux diei adhuc clarè non appareat quando dormitum collocamus; & propterea sustinere possumus inter alia tam prolixas lectiones, quæ nimirum quibusdam nostris commilitonibus tam patrios mores, quàm ipsam patriam mutare volentibus non minùs graues essent ad audiendum, quàm massa plumbea fore solet ad portandum. Nec mirum quibus non est studium nobiscum dormire, si & ipsis non est studium nobiscum vigilare.

Et quia semel incepi inde loqui, vt subinferam quæ adhuc de eodem genere noui: in Natali SS. Apostolorum Petri & Pauli, Nocturni & Matut. laudes tantæ sunt prolixitatis, vt semper die adhuc clara incipiantur, & nunquam nisi die adhuc clara finiantur: propter quod cùm scire possis, quòd illo die non erit hora tardior dormitum collocandi, venit mihi aliquando in mentem, vt ipsam horam solis radio notarem, quem sequenti die quando cantauimus Nonam in eodem vidi esse loco; ita vt momentum præcedentis Completorij à momento Nonæ sequentis nihil esset diuisum; idcircò potuimus cum alacritate, & cum aliqua deuotione vigilijs interesse, nec erat necesse somno satiatis iterum in Ecclesia somno grauari Fratres qui de foris venturi sunt ad Monasterium eo præcepto, & ea conditione non semel sunt constricti, vt nunquam post Completorium audeant venire. Frater qui erat ad Vesperos in Claustro,

Digitized by Google

Clauſtro, ſi ante Completorium comedere neglexerit; poſt Completorium nullius rei gratiâ habebit licentiam comedendi, excepto ſi tali infirmitate grauatur; verbi gratiâ, Ego quadam vice Cellerarium vidi tota die recipiendo vinum occupatum, & de prandio minimè curauit; poſt Completorium quærens à Domno Abbate licentiam prandendi, prorſus nihil obtinuit; & ita impranſus, vellet nollet, cubitum receſſit. Si videres quoque in Quadrageſima quali hora damus operam vt dormiamus, vtique fatereris ſatis nos maturè ſurgere poſſe ad Nocturnos. Hæc quaſi extraordinariè ſint dicta, vt noueris nos in comeſſationibus noctem expendere nolle.

CAPVT XLII.

De feſtiuitate Omnium Sanctorum, & recordatione Omnium Fidelium Defunctorum.

IN Feſtiuitate Omnium Sanctorum ad vtroſque Veſp. nec Pſalmi nec Antiphonæ mutantur, & ſicut per totum annum de ipſis quotidie cantamus Pſalmos, *Confitebor*, *Credidi*, *In conuertendo*, *Eripe me*: Hymnus etiam eſt, *Chriſte Redemptor*; ſed cum tam ſolemni melodia, quàm & ipſe dies eſt ſolemnis: *Kyrie eleiſon* quoque ante Dominicam orationem, cùm in alijs diebus ad omnes regulares horas tunc ex vtroque Choro dicamus, in iſto tamen ad Veſperos & Matut. laudes non niſi tantùm ad duas vices: quod etiam per totum annum ſimiliter tenemus. Item ad Veſperos & Matut. laud. non aliæ preces dicuntur quàm hi verſiculi, *Poſt partum. In conſpectu Angelorum.*

Quamuis autem in ſequenti die de S. Cæſario, & de alijs Sanctis duodecim Lectiones fiant, tamen poſt Veſperos, pulſatis omnibus ſignis diutiùs, cantantur quoque Veſperi Defunctorum, & in nocte poſt Mat. laudes de omnibus Sanctis Officium ſimul cum Mat. laudibus, & matutinalis Miſſa ſolemniſſimè pro omnibus Fidelibus Defunctis; pro quibus & ſinguli Sacerdotes priuatas Miſſas ſunt cantaturi. Sed nec ad Veſperos, nec ad alias vices de Collectis eſt am-

pliùs dicendum quàm vna tantummodò Collecta, id est, *Fidelium Deus*. Hoc enim decretum est à Patre Odilone, vt sicut in priore die Commemoratio fieri solet Omnium Sanctorum, sic & in sequenti Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum. Ergo vnde acciderit quòd hoc pius Pater constituit, qui ejus vitam legerit, ibi bene hoc ipsum cognoscere potest. Hîc autem, vt quod adhuc supereſt expleatur, duodecim pauperes vbertim sunt reficiendi de pane, vino, & carne, & quotquot pauperes alij superuenerint, omnibus de pane & vino misericordia impendenda. Et quia refectio nostra non injuriâ lautior est propter Omnes Sanctos, quàm propter omnes Fideles Defunctos, in ipsa festiuitate Omnium Sanctorum quidquid panis & vini supereſt ad mensam, ad eleëmosynam datur. De hoc exemplari traxit & modò Domnus Abbas (quod jam in alio loco, si memineris, memoraui) vt post Octauas Pentecostes specialis recordatio fiat illorum in quolibet loco nostro, qui in ipso loco sunt sepulti.

CAPVT XLIII.

De festiuitate sancti Martini, & consuetudinibus quæ tunc inchoantur.

QVòD festiuitatem S. Martini cum Octauis celebramus, hoc processit à primo loci nostri Abbate proprio, scilicet Domno Odone, qui Turonis oriundus, S. Martini alumnus, & Canonicus erat ibidem; Vnde Antiphonas non antiquas, sed nouas, quas modò cantamus in Depositione S. Confessoris & Episcopi, super Nocturnos ipse fecit, ipse Hymnum, ipse quoque, vt præmissum est, Octauas suas indixit. Cujus vita cùm sit luculento stilo composita, & de ipsis adeò virtutibus admiranda, SS. Patres nostri, sicut in Assumptione S. Mariæ, ita hîc quoque noluerunt vt in ejus Depositione aliud Euangeliũ pronuntiaretur, vel alia Homelia, quàm ipsa vita legeretur. Omnibus Horarum Hymnis hic versus apponitur, *Martine par Apostolis*. Quòd si iterum scire volueris quo cantentur ordine

Digitized by Google

per Octauas Antiphonæ ad Horas; nimirum non minorem Antiphonarum copiam habemus, quàm in præfata Aſſumptione S. MARIÆ : ideóque quod tunc fecimus, nunc ipſum quoque facere ſolemus, vt antiquas Nocturnorum Antiphonas ad Nocturnos per ferias cantemus. Illas quæ ſunt de Matut. laudibus ad Matut. laudes. Nouas autem, quas jam dixi à S. P. Odone dictatas, per diurnas diſtribuimus horas. Nocturnos ad octauum diem appendentes, cùm plenum habeant officium tam in Antiphonis, quàm in Reſponſorijs, ea vice cantamus antiquas. Dies autem cùm jam ſit adeò breuis, ideò à Feſto S. Martini vſque ad Purificationem S. MARIÆ, quotiens bis comedimus, poſt prandium non expectamus cum Nona Seruitores ; ſed ſtatim, cùm à menſa ſurgimus, Chorum intrantes, & eo ſtantes ordine quo ſolemus ad Horas, cantamus eam, & per ſe poſtea Seruitores : nec ampliùs ante Veſperos ad bibendum in Refectorium redimus. Per Octauas S. Martini, & per Octauas Dominicæ Natiuitatis, & Epiphaniæ, duabus vicibus manducamus, poſt Matut. laudes dormimus, inde Primam cantamus ; officium tamen Defunctorum de loco ſuo non obmittimus inter Nocturnos, & Matut. laudes agendum.

CAPVT XLIV.

De Aduentu Domini.

IN Aduentu Domini, quoties duodecim fiunt Lectiones, abſtinemus ab adipe : minimè tamen cantatur, *Gloria in excelſis*, quanquam aliàs Natali S. Andreæ Apoſtoli tantùm deferatur, vt ejus Octaua dies pleno per omnia celebretur officio. Ad Primam Capitulum mutatur, ſicut etiam in Septuageſima, vt pro *Regi autem ſæculorum*, dicatur *Domine miſerere noſtri*. Per omnes Dominicas vſque ad Natalem Domini poſt Alleluia, Sequentia cantatur : Commemoratio S. Crucis poſt Veſperos & Matut. laud. omittitur vſque poſt Octauas Epiphaniæ ; Vnde & poſt primos Veſperos Aduentus Domini, non ad ſanctam Crucem, ſed

ad S. MARIAM agitur processio cum Respons. *Missus est*; post Matut. laudes cum Respons. *Ecce Virgo*; Collecta, *Deus qui salutis*, vel, *Deus qui de Beatæ. Gratiam tuam*; *Benedicta*. In die cum Resp. *Aue Maria*: per Claustrum cum Antiphona *Venite omnes*; &, *O quàm casta Mater*: nouissimè, vt moris est, cantatur aliquid de Apostolis: sed præfatæ Antiphonæ per alias quoque Dominicas non mutantur, nec Capitulum ad Tertiam, *Ecce dies veniunt*, vsque ad nouissimam Dominicam in qua dicendum est *Gaudete in Domino*: In priuatis diebus ad Matut. laud. & Vesperos, quod & in alio loco jam non tacui, dicuntur hæ preces, *Oremus pro omni gradu Ecclesiæ*.

Inter. Nunquid & in alijs Dominicis acturi estis iterum proces. cum Resp. ad Matut. laudes, & Vesperos?

Resp. Minimè.

Inter. Et quas Antiphonas cantatis ad Horas regulares?

Resp. In qualibet Dominica Antiphonæ, quæ cantatæ sunt ad Matut. laudes, cantantur & ad Primam, & sequentes Horas. In priuatis diebus non aliæ cantantur quàm quotidianę vsque ad septimanã jejunij Quatuor-Temporũ.

CAPVT XLV.

De septimana Iejunij Quatuor-Temporum.

QVOD si Vigilia Natalis Domini euenerit in Sabbato, tunc agitur jejunium Quatuor-Temporum in septimana præcedente; in cujus etiam præcedente secunda feria ea vice nunquam differtur, vt non ad Matut. laudes hæ inchoentur Antiphonæ, *Ecce veniet Dominus*; Tunc etiam per occasionem istarum Antiphonarum, & aliarum quæ ab *O* litera incipiunt, habentur in Antiphonario quasi omnino vacantes Antiphonæ; & hæ ad diurnas cantantur Horas, v. g. in secunda feria ad Primam, Antiph. *Dicit Dominus*; ad Tertiam, *Consurge*; ad Sextam, *Eleuare*; ad Nonam, *Ponam in Sion*. Verùm de his ferialibus Antiphonis est vna, id est, *Nolite timere*, quæ semper reseruatur, vt in Natali S. Thomæ Apostoli post Mat. laudes

Digitized by Google

pro recordatione Dominici cantetur Aduentus; niſi fortè contingat vt ipſa feſtiuitas de loco ſuo & die mutetur. Mutatur autem ſi euenerit in ſexta feria Quatuor Temporum, & in quinta præcedente celebratur: aut ſi euenerit in Sabbato, vel in ſequenti Dominica, celebratur in ſecunda feria. In quarta feria jejunij inchoantur Reſponſoria, *Clama in fortitudine.* In illis tribus noctibus, quibus eadem cantantur Reſponſoria, pronuntiatur Euangelium, & non ampliùs quàm Euangelij ex more legitur Homilia: prima tamen Homilia cùm ſit longè minor duabus ſequentibus; ego quidem, ſi bene memini, plus aliquando lectum eſſe audiui, & additum de ſermonibus Sanctorum Patrum; ſed hoc poſteà reprehenſum eſt à Senioribus noſtris. Tu ergo elige quod magis volueris è duobus.

Inter. In Sabbato, cùm non habeatis proprias Antiphonas niſi de Vigilia Natalis Domini, quid cantatis?

Reſp. Vt ſcire potes, duas ſatis proprias, quia de ipſis pſalmis ſunt, in promptu canendas habemus, id eſt, *Ad te Domine leuaui*; &, *Expectetur ſicut pluuia*: his addimus quæ incantatæ remanſerint pro feſtiuitate S. Thomæ, vel, ſi quas alias de alio loco magis competentes videmus. Præcentor & Armarius, ſi quidem ſenſatus & ſtudioſus eſt, non multùm pro hujuſmodi errabit, & ad illum pertinet omnia, quæ ſunt hujus generis, prouidere.

Inter. Ergo ipſas, de quibus agitur, Antiphonas matutinales poſtquam ſemel omnes cantaſtis, quid facitis ſi nondum eſt Natalis Domini?

Reſp. Quid intereſt ſi ſecundò eas repetimus, nimirum aliud non facimus.

CAPVT XLVI.

De Vigilia, & de die Natali Domini.

ALIQVANDO quidam fortè libellus venit in manus noſtras, ſimulans quòd olim ſcriptus eſſet ante plures annos, in quo inter cætera habebatur noſtram eſſe conſuetudinem, vt in Natali Domini miniſterium coquinæ Dom-

nus Abbas & Cellerarius cum Decanis simul faciant Quod ideò tacere nolui, vt animaduertas à quanta sanctitate locus noster incepit, quanquam modò non sit, nec absque maxima importunitate esse possit idipsum humilitatis & Religionis exemplum. Nam postquam & hæc vinea nostra extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque, non ad flumen, sed ad flumina multa propagines suas; tanti Fratrum, tanti hospitum accurrunt ad sacro-sanctam solemnitatem, quibus singulis habet Domnus Abbas pro tam diuersis negotijs respondere, vt omninò non expediret, si tunc se lauatione fabarum occuparet: à quo tamen obsequio alio tempore non magis ipse, quàm & alij, excusatur: hac autem vice, sicut etiam in Pascha, Procuratores Villarum, & qui Decani appellantur, quotquot superuenerint, omnes ad hoc in breui recensentur, quanquam non omnes seruiant, sed tanti quantos ipsi inter se voluerint, & opus esse viderint.

In Vigilia Natalis Domini Nocturni fiunt sicut in quolibet priuato die, triginta Psalmis præcedentibus, nec quid remanet de cætera psalmodia, quæ vel in Choro, vel in Ecclesia S. MARIÆ cantari solet ante Matut. laud. Ad Nocturnos legitur illa Origenis Homilia: *Quæ fuit necessitas.* Ad Matut. laudes formis complicatis, & tapetibus constratis, & primò ex more signo vno pulsato, & oratione facta, pulsantur omnia signa, nec alij psalmi, quàm qui solemnitatibus competunt, cantantur, psalmus nonagesimus secundus, & sequaces ejus. Responsorium *Iudæa & Ierusalem*, à duobus cantatur: Altare incensatur. Prima tamen non * separatur ab ipsis Matutinis laud. nec à Prima solito more septem Psalmi cum Letania. Psalmus quoque *Miserere* pro defunctis Abbatibus, licet duo alij remaneant præcedens & sequens, sicut etiam postea ad omnes Horas. Tres orationes ante Tertiam stando aguntur, quia posteaquã Matut. laudes sunt inceptæ, toto illo die nequaquam genua flectuntur, excepto ad Letaniam, & quando in Capitulo *Natiuitas Domini* pronuntiatur. Propter quod etiam matutinali Missa pro Fidelibus Defunctis finita, ad ipsum Capitulum prolixiùs scilla pulsatur, vt omnes possint conue-

* *In alio cod. deest, non.*

Digitized by Google

nire:& cùm *Dominica Natiuitas*, vt præmiſſum eſt, pronuntiatur, vniuerſi ſolemus in faciem cadere & aliquandiu in oratione jacere. Tranſacto Capitulo non caremus licentiâ loquendi, & iterum poſt Sextam, quia per totam futuram ſeptimanam debemus generaliter eſſe tacentes, niſi quantùm loquimur in Capitulo,& ad Confeſſionẽ. Major Miſſa ſolemniter celebratur, Subdiaconis indutis Tunicâ, Diacono Dalmaticâ; qui tenet Chorum cappâ, vel qui gradalem cantant. Ad Veſpertinalem proceſſionem Reſponſ. *O magnum myſterium*; Collecta *Deus qui ſalutis*. In ipſa nocte Natiuitatis Domini, priuſquàm conſurgatur ad Nocturnos, quatuor cerei per quatuor angulos Clauſtri accenduntur, jugiter vſque ad diem arſuri, quintus in olla marmorea perlucida ponitur in medium lauatorij. Quamuis autem Miſſarum ſolemnia ter ſint celebranda, tamen Cantica quindecim graduum non prætermittimus ante Nocturnos; primæ tres Lectiones de Propheta * ; quarta de libro Sapientiæ, *Ego ſapientia* : nona & duæ ſequentes de Homilia Bedæ Preſbyteri ſuper Euang. *In principio* : duodecima Lectio eſt Homilia Beati Gregorij Papæ de eo, *Exiit edictum* : Euangelium quod legendum eſt, eſt de generatione Chriſti ſecundum Mathæum. Collecta, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem.* Proceditur cum Reſponſorio *Confirmatum eſt* ad Eccleſiam S. MARIÆ, vbi Matut. laudes quoque de Omnibus Sanctis ſolito more cantantur,& *Verba mea*. Ad nonam Lectionem Nocturnorum introducti ſunt famuli in coquinam regularem, vt nobis de Eccleſia S. MARIÆ exeuntibus ſit paratus ignis, & ibi eſt in promptu aqua calida, conchæ, manutergia, vt manus & faciem lauemus. Cùm auditum fuerit ſignum majus aliquantulùm pulſatum, ad Eccleſiam conuenimus. Sacerdos cæteríque miniſtri, poſtquam fuerint veſtiti (quia tunc oratio non fit in Choro) pulſantur ſigna vt Miſſa cantetur, *Dominus dixit ad me* : ad quam tres Cantores cappis induti, ſicut etiam ad alteram, tenent Chorum, vtrinque illorum candelabra ſunt poſita, & ſuper ea cerei ſplendentes : hi autem qui cantaturi ſunt Reſponſorium, vel Alleluia, poſtquàm cantauerint quod ſibi eſt deſtinatum, ad-

al. * prophetia.

Digitized by Google

junguntur tribus supradictis Cantoribus vnà recturi Chorum; quod & in sequenti Missa similiter fieri solet. Post Alleluia *Sequentia* jubilatur, *Credo* cantatur, vna offertur hostia, & pax ab vno recipitur. Cantantur Matut. laudes; Collecta, *Concede quæsumus omnipotens Deus*: de suffragijs Sanctorum nihil omittitur, nec illi duo familiares psalmi, qui in omnibus duodecim Lectionibus Horas sequuntur. Imus in dormitorium aliquantulùm pausaturi. Cùm visum fuerit Custodi Ecclesiæ, iterum majus signum pulsatur, vt veniamus ad Ecclesiam. Missa, quæ est celebranda ea vice, pueris intrantibus, præuenitur oratione. Quæcunque pro solemni Officio cantata sunt ad priorem, cantantur & ad istam, tres hostiæ offeruntur & consecrantur, vt si quis Fratrum voluerit, possit communicare. Pax à cunctis est accipienda. Eo die non cantatur alia Missa matutinalis. Primo signo ad Tertiam sonato, & oratione facta, albis generaliter vestimur; &, sicut longè superiùs memini dixisse, si est dies Dominica, statim agimus processionem, & si est alia post Tertiam primò ad Ecclesiam S. MARIÆ cum Antiphona, *O beata infantia*: Per Claustrum Antiph. *O* MARIA *Iesse*: alia, *O quàm casta mater*: Ad introitum Ecclesiæ Responsorium, *Descendit de cœlis*. Ad Tertiam cantatur Antiph. *Hodie intacta Virgo*. Cùm ventum fuerit ad eum locum, *Omnes Christum adoremus*, solet ab omnibus generaliter venia peti: Hymnis Horarum adjungitur, *Memento salutis*: &, *Gloria tibi Domine*.

CAPVT XLVII.

De Octauis Natalis Domini, & Epiphania.

OCTAVÆ Natalis Domini non possunt ita continuatim celebrari sicut Octauæ Dominicæ Resurrectionis, propter consequentes solemnitates, id est, S. Stephani, S. Ioannis, Sanctorum Innocentium; de quibus, sicut dignum est, cùm Nocturni fiant simul cum alijs Horis, & Officia Missarum, de Natali Domini sola erit Missa matutinalis cantanda ad Ecclesiam S. MARIÆ, id est, *Puer natus est*:

Digitized by Google

eſt: ad quam per tres dies duæ tantùm Collectæ ſunt dicendæ, de Natiuitate Domini, & de inſtanti ſolemnitate; non tamen ad vnum *Per Dominum noſtrum &c.* ſicut etiam in feſtiuitate SS. Sebaſtiani & Fabiani; quanquam ad alias vices, præter ad vtramque Miſſàm, nonniſi vna Collecta dicatur, ſed pluraliter de ambobus, ſcilicet, *Infirmitatem noſtram, &c.* Epiſtolæ & Euangelia alternantur eodem ordine, quo legebantur ad tres Miſſas in prima nocte ſeu die celebratas. In Natali Innocentium quòd aliæ Eccleſiæ non cantant *Gloria in excelſis*, nec Alleluia, de hoc minimè curatur à nobis. Super Pſalmos Veſpertinales Antiphonæ, *Sinite paruulos. Angeli eorum. Sub throno Dei. Cantabant ſancti.* Duo ſequentes dies, ſi tamen neuter eſt Dominicus dies, aſſimilantur illi quintæ feriæ vel ſextæ, quæ eſt in majore Paſchæ ſeptimana. In priore nocte pronuntiatur Euangelium *Exiit edictum*: ſed alia ſequitur Homilia quàm illa, ſcilicet ſancti Gregorij: Miſſæ majoris eſt Officium, *Dominus dixit.* In nocte ſecunda Euangelium *Paſtores loquebantur*; Offertorium, *Lux fulgebit.* Excepto quòd ipſe Introitus mutatur cum Introitu, *Puer natus eſt.* In die tertia eſt Depoſitio S. Silueſtri Papæ duodecim Lectionibus agenda.

Inter. Quid eſt, chariſſime, quòd, quantùm video, nihil omninò vis de Antiphonis referre? Quinimmò, ſi tanti nos æſtimaueris, vt fateris, rogamus vt eas ordinaueris * non ſolùm ad iſtos duos dies, ſed etiam ad quoſcumque videris opus eſſe, vſque ad extremum diem Theophaniæ.

* al. ordiaris.

Reſp. Iſtud ſanè dilectio veſtra non difficilè meretur, quia nec maximi eſt laboris. Et primò quidem ſi nunquam à me dicatur, tamen id ſcire poteſtis, * quia ſi qua reperitur de eo textu Noctur. hæc quoque magis competenter quàm alia cantatur ſuper Nocturnos: At ſi talis defuerit, cantari poteſt Antiphona, *Verbum caro factum*: alia, *Beatus venter.* Ad Matut. laud. *Genuit puerpera*: alia, *Angelus ad paſtores*: ad Primam, *Illuxit nobis*; alia, *In principio.* ad Tertiam, *Verbum caro*; alia, *Propter nimiam*; ad Sextam, *Chriſtus Deus noſter*; alia, *Ecce de quo*; ad Nonam, *Ecce aduenit*; alia, *Exultemus*: ad Veſperos ijdem cum ſuis Antiphonis

* al. id ſciatur.

Digitized by Google

Psalmi, qui in ipso die, quorum est nouissimus, nunc *De profundis*, nunc *Memento Domine*: &, vt semel dicam, ad quantas cantantur adhuc vices in Circuncisione Domini, in Epiphania, & in ejus octauo die, & in Hypapanti Domini: tantùm ad secundos Vesperos; & præterea in illis Dominicis, quæ eueniunt ab octauo die Natalis sancti Ioannis Euangelistæ vsque ad octauum diem Epiphaniæ, iterum ad secundos Vesp. ad quos & non alius Psalmus est nouissimus, quàm *De profundis*.

In Circuncisione Domini eædem Antiphonæ ad Matut. laud. & ad Horas diurnas, quarum prima est, *O admirabile* cum Collecta, *Deus qui salutis*. ad Vesperos, ad Euangel. ad Mat. laud. ad majorē Missam, *Concede quæsumus omnipotens Deus*. Missa matutinalis, *Vultum tuum*: Major, *Puer natus est*: ad vtramque Epistola, *Apparuit gratia*; Euangel. *Pastores, loquebantur*: cui & illud annectitur, sicut est in ipso textu Euangelij, *Et postquam consummati sunt dies octo*.

Depositio S. Odilonis tam chari Sancti & tam familiaris facit quòd de sancto Stephano in octauo die Natalis ejus alia commemoratio esse non potest, quàm cum vna tantùm Antiphona & Collecta. In Octauo die S. Ioannis & Innocentium eodem modo agitur, quo in quolibet priuato die, qui tamen sit in aliquibus Octauis. Post nocturnum Officium cum Matut. laudibus dicimus in suo loco, *Deus auribus nostris*; & post Primam septem Psalmos cum Letania. Si cujus Sancti commemoratio, tribus tantùm Lectionibus est agenda. Igitur ad Nocturnos Hymnus & super Psalmos Antiphonæ de Natali Domini; cætera de præfatis Sanctis vsque dum major Missa sit consummata. Super vespertinales Psalmos vna tantùm Antiphona, & hæc de Natali Domini.

In Vigilia Epiphaniæ ad Vesperos Collecta, *Deus illuminator*. ad Matut. laud. Antiph. super Psalmos, *O admirabile*: Sequentes Antiphonæ ad sequentes etiam Horas. Ad Missam, *Dominus dixit ad me*; Collecta, *Corda nostra*; Epistola, *Apparuit benignitas*; Respons. *Benedictus*, Alleluia, *Dominus dixit*: Euangelium, *Defuncto Herode*; Offert. *Lætentur cœli*; Communio, *Exulta filia*. Eo die non jejunamus.

Digitized by Google

Quantum ad ſolemnitatem & Octauas pertinet, Epiphania & ejus Octauæ ſimiles ſunt Dominicæ Aſcenſioni excepta illa, quæ in die Aſcenſionis poſt Tertiam agitur, proceſſione; de cætero recole quæ ibi dixerim, vt hîc etiam eadem obſerues. In ipſo autem die primo Epiphaniæ eædem Antiphonæ cantantur, & ad Matut. laudes, & ad Horas diurnas. Per ferias ad Nocturnos, ſi deſunt Antiphonæ de textu Nocturnorum, cantari poteſt Antiphona, *Vidimus Stellam*; alia, *Tria ſunt numera*; alia, *Admoniti Magi*: ad Matut. laudes ſuper Pſalmos, quælibet vna de illis quinque Matut. laud. Antiphonis: ad Primam, *Lux de luce*: Si eſt Sabbatum, *In ſole poſuit*; ſicut etiam in Vigilia Epiphaniæ: ad Tertiam, *Interrogabat magos*: ad Sextam, *Videntes ſtellam*: ad Nonam, *Deſcendit Spiritus*: ad Veſperos, *Vox de cœlo*. Sunt aliæ Antiphonæ non ſolùm de Epiphania, ſed etiam de Natali Domini, cum quibus quotiens iſtas mutare volueris, nihil video intereſſe.

CAPVT XLVIII.

De Purificatione S. MARIÆ.

DE diebus vel ſeptimanis, quæ poſt Octauas Epiphaniæ veniunt, quantum puto, nihil referre noui quod neſciatis; excepto quòd ad proceſſionem diei Dominicæ illæ de Natali Domini non mutantur Antiphonæ vſque ad Purificationem S. MARIÆ, niſi fortè priùs veniat Septuageſima. Ergo vt de prælibata ſolemnitate aliquid dicatur, in Vigilia ad Veſperos Collecta, *Perfice in nobis*, quæ & ad majorem Miſſam præmiſsâ aliâ Collectâ ad complendum iteratur. Ad Veſpertinalem proceſſionem Reſponſ. *Cùm inducerent puerum.* ad Matut. laudes, *Gaude* MARIA. In die poſt Tertiam, vel ſi eſt dies Dominicus, ante Tertiam, cum Antiphona, *Cùm inducerent*: alia, *O beata infantia*, proceditur ad Eccleſiam S. MARIÆ, de qua ſequitur & Collecta, *Exaudi quæſumus Domine*: poſtea fit oratio ad quamlibet horam regularem, & omnes antè faciunt & retrò. Candelæ quæ conſecrandæ ſunt, ibi conſecrantur

cum hac benedictione, *Adesto supplicationibus nostris*: alia, *Domine Deus creator*; consecratæ aquâ benedictâ aspergũtur, incensantur, & distribuuntur. Inter accendendum, Antiphona, *Lumen ad revelationem*; Cant. *Nunc dimittis*. Post diuisionem cereorum, Oratio, *Domine Deus Pater omnipotens, lumen, &c.* Per claustrum, Antiph. *Ave Maria*; alia, *Adorna thalamum*: in vestibulo Ecclesiæ ad stationem, *Responsum accepit Simeon*: ad introitum Ecclesiæ, *Hodie Beata Virgo*: item Responsorium, *Cùm inducerent*. Ad Offerendam oblatis primò hostia & vino, offeruntur quoque Diacono inchoante candelæ. Ab illo die in duodecim lectionibus differtur Nona, vsque dum seruitores surrexerint à mensa, & posteà itur in Refectorium ad bibendũ.

CAPVT XLIX.

De Septuagesima, & Quadragesima.

IN Septuagesima adeps simul cum Alleluia sepelitur, vt postea vsque ad Pascha de illa non gustetur. Ad processionem diei Dominicæ per Claustrum Antiph. *Cùm sederit filius*. Ad cujus etiam Vesperos, & in cunctis priuatis diebus vsque ad Quadragesimam Responsorium, *Spes mea Domine*: in Mat. laudibus, *Adjutor meus esto*. De Officio quoque pro Defunctis id mutatur, vt ampliùs non dicatur post Nocturnos, sed post Vesperos, post singulas Horas in duodecim Lectionibus, *Ad Dominum cùm tribularer*. Matut. laud. pro Defunctis post Matut. laudes de omnibus Sanctis. In Quinquagesima, quia de cætero nec caseum nec oua comedimus, post Vesperos ad cœnam de ipsis ouis coctis in pipere habemus generale, quod toto anno ampliùs non contingit vt aliud quid ea vice habeamus præter solum panem, &, si fortè sunt in promptu, cruda poma, vel ea quæ in ferramento characterato de consperſione farinæ tenuissimæ fiunt, & ab hominibus Romanæ linguæ *nebulæ*, à nostratibus appellantur *oblatæ*.

Digitized by Google

CAPVT L.

De capite Jejunij, & de Quadrageſima.

IN capite Iejunij inchoatur vt nec ad Nocturnos nec ad alias Horas Capitulum, quàm quod de jejunio ſit, dicatur. Ad Tertiam & alias Horas ſequentes Collecta pro peccatis, quarum prima eſt *Exaudi quæſumus Domine*: ad Matut. laud. & Veſperos de ipſa die; ad Nocturnos eædem quæ per totum annum in priuatis noctibus dicebantur: ad proceſſionem pſalmum, *Deus miſereatur*, ſequitur Collecta, *Concede nobis quæſumus Domine præſidia*. * Sacerdos tantùm ſtola amictus, cineres ita benedicit: *Deus qui non mortem*: quos cùm orſus fuerit ſingulis imponere, imponit quoque Cantor Antiphonam, *Immutemur habitu*.

al. * *Omnipotens ſempiterne Deus, qui primo.*

CAPVT LI.

De Dominicis diebus Quadrageſimæ.

PER omnes Dominicas vſque ad Paſſionem Domini eſt vnum & idem Capitulum ad Veſperos, ad Matut. laudes, ad Tertiam, & iterum ad Veſp. *Hortamur vos*; nullus Hymnus de jejunio cantatur, ſed ijdem qui extra Quadrageſimam in Dominicis diebus. Item ad Sextam & Nonam eædem Collectæ, ſed Capitula de jejunio. Ad proceſſionem viciſſim vſque ad Paſcha hæ duæ cantantur Antiphonæ, *Chriſte pater miſericordiarum*; &, *Cùm ſederit*. In prima Dominica ad octo Lectiones Nocturnorum ſermo Maximi, id eſt, *Licet nobis dilectiſſimi*. Secunda Dominica cùm non aliam habeat Collectam quàm illam, *Deus qui conſpicis*; ideóque dicatur ad Tertiam; ſequentes de quotidianis dicuntur ad Sextam & Nonam.

CAPVT LII.

De secunda Feria Quadragesimæ.

IN secunda Feria Quadragesimæ inchoantur Hymni de jejunio ad Matut. laudes, ad Tertiam & sequentes Horas. Soli Nocturni nescio quid hîc commiserint, qui cùm in Aduentu Domini, & totiens in solemnitatibus, specialem Hymnum habeant, in Quadrages. hoc amiserunt; in qua etiam tam parua Hora, sicut est Tertia, non caret Hymno alio quàm consueto, id est, *Ternis ter horis numerus*: & si hoc apud nos est, tamen est ita apud Monachos & Italiæ, & ipsius sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Romanæ; apud quos nimirum quod ea vice habent aliæ Horæ, habent etiam Nocturni. Sunt autem adhuc & alia quæ in præfata feria solent inchoari, duo Psalmi qui per singulas Horas dicuntur à prostratis, & majores preces ad Matut. laudes, & ad Vesperos, scilicet, *Oremus pro omni gradu Ecclesiæ*. In Capitulo nequaquam alia Regulæ sententia legitur, quàm quæ est de Quadragesima. Recitatur quoque *Breuis* librorum qui anno præterito sunt ad legendum Fratribus erogati; cùm quilibet Frater nominatur, surgit, & librum sibi datum reddit: & si eum fortè non perlegerit, pro indulgentia veniam petit. Est autem vnus tapes ibi constratus, super quem illi libri ponuntur, de quibus iterum quanti dantur, dantur cum *breui*; & ad hoc est vna tabula aliquantulùm major facta. Si qua festiuitas in eodem die duodecim Lectionum agenda euenerit, tunc in Capitulo duæ Lectiones leguntur, duóque fiunt sermones; anterior de festiuitate, sequens de Quadragesima. Post librorum erogationem datur licentia jejunandi, ita tamen vt jejunent cum discretione & moderatè, ne corporis valetudinem maximè ad exercitium talis vitæ, scilicet actiuæ, non amittant. Vide quoque quali humanitate Patres nostri ipsam Quadragesimam voluerunt initiari: eo námque die, prout ipsis placuit, habemus ad refectionem & panem solito meliorem & calidum, & generale piscium si quo modo inue-

niri poterit, & pigmentum, ad cujus tamen propinationem ſcilla non ſonatur. In quarta Feria & ſexta poſt Nonam exeunt Fratres de Eccleſia, & ſe diſcalceant, & ita redeunt ad proceſſionem. Tunc autem oratio non præmittitur, ſed pueri intrantes ſtatim imponunt Antiphonam, *Exurge Domine.*

CAPVT LIII.

De Iejunio Quatuor-Temporum in menſe Martio.

IN menſe Martio, quicquid ſit de termino jejunij Quatuor-Temporum, nunquam tamen ante primam Quadrageſimæ ſeptimanam agitur; in qua ſi nondum fuerit terminus, ſed poſteà futurus, tamen in quarta Feria ejuſdem primæ ſeptimanæ ad Officium majoris Miſſæ leguntur duæ Lectiones, duóque Reſponſoria cantantur; & illa quarta Feria, qua jejunium agitur, non niſi vna. Qui mos vnde primò inoleuerit, de induſtria & ſtudio, an ex negligentia, neſcio, niſi hoc ſcio contra vſum eſſe multarum Eccleſiarum tam in Romana lingua, quàm in Teutonica. Ea quoque Officia quæ ad idem jejunium pertinent, cùm ſcripta ſint ad primam Quadrageſimæ ſeptimanam, ſi * in eadem ſeptimana jejunium non agitur, propter hoc tamen nullum differtur officium, niſi quod pertinet ad Sabbatum; hoc ſolum quoque ad Sabbatum jejunij reſeruatur; hac etiam ſola vice pro Hymno trium puerorum, non *Benedictus*, ſed *Benedicite* cantatur.

* f. etſi.

CAPVT LIV.

De Paſſione Domini, & Ramis Palmarum.

IN Paſſione Domini *Gloria Patri*, ſi * ad nullum cantatur Reſponſorium, cantatur tamen ad Introitus *, quamuis iterum contra vſum faciamus aliarum Eccleſiarum. In Ramis Palmarum ad matutinalem Miſſam nonniſi vna Collecta eſt dicenda, nec Paſſio legitur, ſed illa

* f. etſi.

* *ſcilicet*, Miſſarum.

Digitized by Google

tantùm Lectio sancti Euangelij, *Cùm appropinquaret* IESVS: quod etiam cunctis Sacerdotibus, qui priuatas Missas cantauerunt, præcipitur, vt sint parati ad duas processiones, quæ illo die sunt agendæ; Prior post matutinalem Missam sale & aqua consecratis, sicut est mos cunctis Dominicis diebus per Claustrum; Citerior post Tertiam cum frondibus & Ramis Palmarum ante majus altare consecratis, vsque ad Ecclesiam S. Majoli, omnibus Albis indutis: ipsæ autem frondes seu rami cum istis Collectis benedicuntur: quando distribuuntur cantatur Antiphona, *Pueri Hebræorum ramos.* alia, *Pueri Hebræorum vestimenta.* Exeundo pulsantur omnia signa, cantatur Antiphona, *Cùm appropinquaret Dominus*: &, *Cùm audisset populus*: Responsorium: *Contumelias & terrores*, & alia Respons. Ad introitum Ecclesiæ de Sanctis, quorum ibidem est memoria, Antiphona, vel Respons. ad stationem Antiphona, *Aue Rex noster*: Coll. de ipsis Sanctis, Oratio Dominica cum solita inclinatione, fit sermo ad populum. Redeundo autem, *Collegerunt*: Præcesserunt aliqui Cantores, qui cappis induti recipiunt Conuentum in vestibulo Ecclesiæ cum his versibus: *Gloria, laus*: ad introitum Ecclesiæ, Respons. *Ingrediente Domino*: Tractus cantatur à solis quatuor Cantoribus, hinc & inde Conuentu interim considente & ex toto tacente, sicut etiam tacet ad cæteros Tractus. Ad Passionem & offerendam, qua frondes seu Rami Palmarum offeruntur, debent omnes adesse, nec quisquam vllius obedientiæ occasione deesse. Antiquitùs in illa Dominica non dicebatur Officium Defunctorum, nec modo quoque Psalmus ille, *Ad Dominum cum tribularer*, Officij vicarius.

CAPVT LV.

De Festiuitatibus quæ in Quadragesima eueniunt.

DE Festiuitatibus quæ in Quadragesima eueniunt, quantum dicendum æstimaui, in alio loco non tacui; quod tamen vt iterum breuiter tangam, in qualibet festiuitate additur ad psalmodiam, quod non adderetur nec diceretur

Digitized by Google

diceretur ſi ipſa feſtiuitas extra Quadrageſimam eueniret, & hoc eſt, primò poſt Veſperos de omnibus Sanctis Veſperi quoque pro Defunctis, & pro ipſis in nocte poſt Mat. laudes pſalmodia *Deus auribus*; poſt Primam pſalm. *Miſerere*, pro Defunctis noſtris Abbatibus ſeptem Pſalmi & Letania: poſt Capitulum triginta Pſalmi: poſt tertiam Miſſa de ipſa feſtiuitate feſtiuè quoque cantatur. Ad Sextam & reliquas Horas petimus veniam, totámque Pſalmodiam repetimus, ſicut in quolibet alio die priuato & Quadrageſimali repetimus; quanquam ad Horas non alias Antiphonas, Capitula, Verſus & Collectas, quàm de ipſa feſtiuitate dicamus. Cæterùm ſolum rurſus remanet Officium, in cujus vice ſæpe dictus pſalmus poſt ſingulas Horas cantatur. Quòd ſi in die Dominica fuerit aliqua feſtiuitas, differtur in ſecundam feriam celebranda; & poſt ſecundã feriam, quæ ſequitur Ramos palmarũ, ſi qua occurrerit, eſt differenda etiam vſque ad quintam feriam ſequentis ſeptimanæ. De alijs diebus eſt manifeſta, vt ipſe noueris, cauſa in quibus ſingulis ſunt quædam quaſi præcipuæ ſolemnitates, & quibus nulla debeat alia præponi, niſi in tertia feria, in qua quia nos ſumus radendi, neceſſe habemus vt loquamur in Clauſtro, quod nunquam in duodecim Lectionibus licet. In quarta feria eſt Quadrageſima quaſi claudenda, in qua & Officium Miſſæ aliquantulùm eſt prolixiùs propter duas Lectiones, Tractum, & Paſſionem Domini: ideóque majores noſtri decreuerunt, vt in illo die non ſolùm nulla Feſtiuitas alia celebraretur, ſed nec proceſſio, nec Officium Defunctorum ageretur.

Benedictus Deus in cujus modò gratia vtcumque peractum eſt quod volui, Dilectiſſime Pater; nam à Cœna Domini progreſſus, rurſus ad Cœnam Domini ſum reuerſus: ad quod hoſpes humilitatis meæ tam benignus & liberalis: oportet, inquit, & te, Cariſſime, ad cœnam noſtræ paupertatis inuitari, & ſi qua ſunt requirenda in diem craſtinum reſeruari.

LIBER SECVNDVS CONSVETVDINVM CLVNIACENSIVM.

De Disciplina Regulari.

PRÆFATIO.

IAM dies erat secundus ex quo veni ad Monasterium, cujus in primis memini, adorsus ea quæ sunt præmissa: fortè sciscitatus habitudinẽ loci comperi vindemiis instantis anni peractis, non nisi octo vini carradas ad commeatum fratrum esse collectas; propter quod tamen Pater Monasterij solitam vini mensuram nullo die subtraxit, non modò Monachis, sed etiam illis qui extra Claustrum positi ex liberis & ingenuis vltrò se deuouerunt, vt essent serui seruorum Dei. Inter quos vtrosque, quantum puto, ferè quotidie triginta viri non defuerunt. Videres piam sanctámque contentionem Domni Abbatis & illorum; Domni Abbatis, de charitate; illorum, de parcitate; ita vt cùm instaret eadem vice Hypapante Domini, adhuc ipse viderem in cellario Fratrum sex carradas supereſſe: miratus tantæ sobrietatis exemplum, vt primùm vidi Patrem Monasterij, prior ita compellabam: Si Deus dederit istis filijs & alumnis sanctitatis tuæ, Domine Pater, tam esse temperantes à cibo delicioso quàm à vino, tunc quidem admodum est verisimile, vt Deo auxiliante per illum culinarum principem Nabuzardam domicilium pacis * non amittant. Ad quod ille: In Christi, inquit, nomine quantum repugnare potuerint contra eundem acerrimum hostem quotidie insilientem, quotidie prouocantem, non omittunt experiri. Sed cùm scriptura dicat, *In desideriis est omnis otiosus*, dilectionis tuæ subsidium non erit inutile, si adhuc ampliùs nos occupaueris

al. * panis.

Digitized by Go

illis religionis inſtitutionibus, quarum heſterna die aliquam partem inſinuaſti; quibus occupati fortaſſis minùs cogitamus, vt ad ollas Ægyptiorum redeamus, vel tale quid deſideremus, vt ſi antiquus Patrum populus tabernaculum fœderis fabricauit, tu noſter Bezelehel cum varia ſuppellectile diſciplinæ regularis componas ſanctuarium mentis: hac de cauſa hodierno flagitamus audire, maximè de Nouitiis, & præceptis quibus inſtruendi ſunt & imbuendi, vt inter vos poſſint regulariter conuerſari. Nunc me, inquam, rogas cujus nunquam magiſter eſſe merui. Nunquam habitus ſum hujus æſtimationis, vt ſederem ſuper cathedram hujus ſcholæ, vt præceptor eſſem Nouitiorum. Propter quod tamen non omitto, vt non incipiam referre ſi quid mihi contigit de hoc genere noſſe.

CAPVT I.

De diuerſitate Nouitiorum.

ERGO aliqua diuerſitas eſt eorundem Nouitiorum; nam non ſolùm abſque habitu veniunt vt laïci & Clerici, ſed etiam cum habitu & Monachi jam facti; & tales trifariàm ſunt differentes: quidam ſunt de longinquis & alienis Monaſterijs, & ad hoc veniunt vt rurſus profiteantur, & de cætero maneant nobiſcum: quidam de Cellis noſtris, & vel pro infirmitate, vel loci loginquitate benedictionem jam à Domno Abbate acceperunt profeſſione interim dilata, & ad noſtrum locum vſque reſeruata: quidam ſunt de tali Monaſterio noſtro, quòd abſque Domno Abbate proprium habent Abbatem, vbi & ſi benedictionem accipiant, & profeſſionem faciant, tamen habentur à nobis per omnia in vita & poſt vitam ac ſi apudnos fuiſſent; & iſti cum primùm venerint, fiducialiter & abſque mora intrant, & ſecundum tempus, quo in Monaſterio præfato ſunt recepti, hîc etiam ordine ſuo non carebunt: reliqui omnes non permittuntur intrare, niſi priùs juxta verbum ſancti Benedicti, vel vnam noctem in hoſpitio morentur: priùs quoque quàm intrauerint, inſtruendi ſunt quem-

admodum faciant petitionem suam ; primùm vt sciant veniam petere more nostro ; vt prostrati & interrogati à Domno Abbate quid velint, singuli dicant: *Dei misericordiam & gratiam , vestrámque societatem habere volo :* & postquam ille responderit: *Deus det vobis societatem fidelium suorum :* surgentes veniant ad pedes. Si quis est, vt præfatus sum, de aliqua Cella nostra, Fratribus in Capitulo sedentibus inuitatur , & petitâ veniâ jubetur vt vltimus sedeat inter Fratres , quia nondum fecit professionem. Qui de alieno Monasterio , similiter petitâ veniâ sedet vbi jubetur secundum quod Domnus Abbas voluerit , & viderit personam ; sed ab eo die quo professionem fecerit , sedebit & ipse vltimus, nisi fortè Domno Abbati visum fuerit vt promoueatur ; qui si non affuerit , Prior potest huiusmodi recipere , solum Capitulum non habebit absque præcepto Domni Abbatis.

Clerico & laïco , qui nondum ita sunt experti vitam nostram , diligentiùs est insinuandum , vt habetur in Regula, quàm dura & aspera necessariò patiantur si ad subjectionem nostram peruenerint ; quæ nimirum compellit eos nullam potestatem propriæ voluntatis habere , sed ad nutum alterius per omnia pendere. Ducuntur in Ecclesiam vt ibi sedeant vsque dum vestiantur. Ad majorem Missam finitâ Letaniâ ducendus est laïcus in Chorum , & sellâ contra altare majus positâ sedere jussus , & abscisâ comâ coronatur, barbáque detonsa tyrocinio Christi insignitur. Inde consurgens magistrum suum , cui Nouitij sunt commendati, sequitur ad vestiarium præcedentem : ibi námque sunt omnes vestiendi , & vestis eorum nostræ debet omnino similis esse , præterquam quod , quandiu erunt absque benedictione, sola cuculla carebunt.

CAPVT II.

Quomodò se habeant in cella Nouitiorum.

POSTEA capellum froco eorum assuitur , ne qua notabiles dissimilitudine nobiscum conuersantes videan-

tur : nam quando ſunt pauciores, non ſeparatim dormiunt, quia nunquam veniunt in dormitorium noſtrum niſi benedicti ; tamen in Refectorio, & in alijs locis minimè ſeparantur à nobis : quòd ſi tanti ſunt vt dignum videatur, tunc ablato capello pro * ſe habebunt cellam ſuam, vbi non ſolùm dormiant, ſed & etiam comedant, & jugiter maneant à Conuentu ſeparati ; tantùm operi diuino nobiſcum interſunt, & in Capitulum veniunt vſque dum ſententia Regulæ ſit lecta & expoſita, ſtatim exituri ad Collationem. Ad ſingulas Horas, præter ad Nocturnos, pueros præcedentes ſequuntur ad Eccleſiam, & ſtant in minore Choro, nemine vt ſe intermiſceant audente. Quando Conuentus eſt poſt Matut. laudes & Veſp. in Eccleſia S. MARIÆ, ipſi non intrant, ſed exeuntes foris expectant, & tunc propiùs accedentes ſtant per ordinem altiùs inclinati vſque dum omnes tranſierint: idipſum faciunt poſt ſingulas refectiones idoneo loco ad hoc prouiſo, vbi rurſus ſtent inclinati Conuentu de Refectorio exeunte, & ſimili contra ſe inclinatione tranſeunte. Quando ſunt pranſuri, ante Conuentum exeunt de Eccleſia, & lotis manibus incedunt ad coquinam regularem, vt ſinguli fabas ſuas apportent ; ad generale quoque apportandum, vel ad pulmentum, tanti ſurgunt de menſa quanti opus fuerit, & ille voluerit qui in loco Cellerarij eis ſeruit : Nam & Lectiones habent & ſcillam, & alijs modis ſimulant eandem diſciplinam quam nos in Refectorio habemus. Quòd ſi quis eorum de Eccleſia ad cellam ſuam habet venire, non præſumit niſi vel vno ſocio aſſumpto. Ego autem non hoc arrogauerim mihi vt vel meminiſſe poſſim quàm multa ſunt, & quàm diuerſa, quæ tunc ſunt docendi ; & tamen quæ poſſum breuiter perſtringere non omitto ; quia quod à me incipitur fortaſſe ab alio quandóque perficietur, vel vtcumque augebitur.

al. * per.

Sanè in primis & ſi id paruum nec mentione dignum cenſeri poſſit, ab aliquo tamen cum non paruo ſtudio quilibet Nouitius eſt inſtruendus, vt regulariter ſciat caput inclinare, ſcilicet non dorſo arcuato, vt quibuſdam negligentibus eſt familiare, ſed ita vt dorſum ſit ſubmiſſius quam lumbi, & caput ſubmiſſius quàm dorſum : quam inclina-

Digitized by Google

tionem nos per vsum antè & retrò appellamus, quia incipit contra Orientem, & finit contra Occidentem; quam etiam agimus primò ante Nocturnos, & post Completorium, scilicet post tres orationes finitas, & de reliquo, quotiens conuenimus in Ecclesia, vel in Capitulo, vel in Refectorio, agimus eam ad introitum, vel ad exitum; sed in Ecclesia Dominicâ priùs oratione præmissa. Et si quando à prandio, vel cœna, vel collatione imus in Ecclesiam, tunc nisi cùm Hora regularis, si qua eodem momento sequitur, fuerit finita. Item ad Officium, si in die cantatur, non inclinamus nisi ad finem, & quotiens venimus ad Ecclesiam S. MARIÆ, de qua post Psalmos anniuersales, cùm reuertimur in Capitulum, ea vice non nisi semel inclinamus ante percussionem tabulæ. In Choro quoque stationem quotiens mutamus ad alterutram Missam inclinamus: ad Missam enim qui sunt seniores stant primi & proximi Altari principali, ad regulares Horas nouissimi in extremitate Chori, præter ad Tertiam in duodecim Lectionibus; in quibus quia solet eandem Horam matutinalis Missa præcedere, & major statim succedere, propter hoc puto quòd statio non mutatur. De hoc autem præfatus scholaris Christi non auditu quantum visu instruitur.

CAPVT III.

De silentio, & in quibus officinis.

OPVS quoque habet vt signa diligenter addiscat, quibus tacens quomodò loquatur, quia postquam adunatus fuerit ad Conuentum, licet ei rarissimè loqui; & tales in Claustro officinæ sunt, in quibus traditum est à Patribus nostris & præfixum vt perpetuum silentium teneatur, in Ecclesia, dormitorio, refectorio, & coquina regulari: in his singulis tam in die quàm in nocte si vel vnum verbum quoque audiente loquitur, non facilè veniam absque judicio meretur, & si vel vna Antiphona, vel Responsorium, vel aliquid aliud tale absque libro nominauerit, & in libro simul cum emissione verbi non viderit, de hoc non aliud quàm planè silentium censetur infregisse.

Digitized by Google

CAPVT IV.

De ſignis loquendi.

DE ipſis autem ſignis vt aliqua ponam, verbi gratia, & primùm quæ ad victum pertinent. Pro ſigno panis fac vnum circulum cum vtroque pollice, & his duobus digitis, qui ſequuntur, pro eo quod & panis ſolet eſſe rotundus. Pro ſigno panis qui coquitur in aqua, & melior eſſe ſolet quam quotidianus, generali ſigno panis præmiſſo, hoc adde vt interiora manus ſuper alterius manus exteriora ponas, & ita ſuperiorem manum quaſi vngendo vel imbuendo circunferas. Pro ſigno panis ſigali, qui turta vulgariter appellatur, iterum generaliter ſigno præmiſſo hoc adde, vt crucem per medium palmæ facias, pro eo quod id genus panis diuidi ſolet per quadrum. Pro ſigno tortulæ, quæ præter ſolitam libram datur in quinque principalibus feſtis, duos digitos qui pollicem ſequuntur paululùm diuiſos pone obliquè ſuper alteros duos digitos eorum ſimiles de altera manu ſimiliter diuiſos. Pro ſigno fabarum primo pollicis articulo ſequentis digiti ſummitatem ſuppone & ita fac ipſum pollicem imminere. Pro ſigno ouorum cum digito in altero digito ſimula teſtam diu vellicantem. Pro ſigno pulmenti oleribus confecti, trahe digitum ſuper alium quaſi qui coquendas inciderit herbas. Pro ſig. generali piſcium, cum manu ſimula caudæ piſcis in aqua commotionem. Pro ſig. ſepiarum, digitos omnes diuide ab inuicem, & ita commoue; quia & ſepiæ ita multiplices eſſe videntur. Pro ſig. anguillæ conclude vtramque manum, quaſi qui ita tenet & premit anguillam: Pro ſigno lampredæ, in maxilla cum digito ſimula punctos quos lampreda ſubtus oculos habet: Pro ſig. ſalmonis vel ſtruthionis, ſigno piſcium hoc adde, vt pugnum erecto pollice ſupponas mento, quo ſuperbia ſignificatur; quia ſuperbi maximè & diuites tales piſces ſolent habere: Pro ſigno lucij iterum generali piſcium præmiſſo hoc adde, vt cum manu ſignum facias celeritatis, quia lucius celeriùs quàm alius piſcis na-

tat: Pro sig. truitæ hoc adde, vt digitum de supercilio ad supercilium trahas, propter ligaturas quæ hoc in loco habentur à fœminis, & quia truita semper fœmineo genere pronuntiatur. Pro signo milij fac gyrum cum digito, pro eo quod & ipsum milium ita vertitur in olla cum cochleario: Pro signo crispellarum, vel vt alij dicunt Frigdolarum, cum pugno accipe crines, quasi cupias eos facere crispos: Pro sig. casei vtramque manum conjunge per obliquum, quasi qui caseum premit: Pro sig. fladonum, præmisso generali panis & casei, de vna manu omnes digitos inflecte, & ita manum caua & in superficiem alterius manus pone: Pro sig. rufeolarum, vel vt Teutonici loquuntur, cratonum * præmisso signo generali panis, simula cum duobus digitis illas minutas inuolutiones, quæ in eis sunt factæ, ex ea parte qua sunt complicatæ & quasi rotundæ: Pro sig. lactis minimum digitum labijs impinge, pro eo quòd ita fugit infans: Pro signo mellis paulisper linguam fac apparere, & digitos applica quasi lambere velis: Pro signo pomorum maximè piri vel mali, pollicem cum alijs digitis conclude: Pro sig. ceraforum hoc adde, vt digitum subtus oculum ponas: Pro sig porri crudi, pollicem & digitum ei proximum conjunctos extende: Pro sig. allij vel rafæ, extende digitum contra buccam paululùm apertam, propter id genus odoris quod sentitur ex illis: Pro sig. aquæ omnes digitos conjunge, & per obliquum moue: Pro sig. vini, digitum inflecte, & ita labijs adjunge: Pro sig potionis pigmentatæ conclude manum, & ita simula molentem: Pro sig. potionis quæ est melle & absynthio temperata, duos digitos indicem & medium à cæteris, disiunge, & ipsos quoque ab inuicem disiunctos ita moue, quia absynthium in suis foliis est diuisum: Pro sig. sinapis, articulo anteriori minimi digitis pollicem suppone: Pro sig. aceti frica cum digito guttur, quia in gutture acrimonia sentitur: Pro signo scutel'æ, manum latiùs extende: Pro sig. scyphi qui capit quotidianam vini mensuram, inclina manum deorsum, & ita cauam tene, digitis aliquantulùm inflexis: Pro sig. phialæ vitreæ, præmisso signo hoc adde, vt duos digitos circa oculum ponas, vt spendore oculi splendor vitri significetur: Pro signo staminеæ,

* al. crafonum.

Digitized by Google

ſtamineæ, manicam ejus tene cum tribus digitis minimo & duobus ſequentibus: Pro ſigno femoralium hoc adde, vt manum in femore de deorſum trahas quaſi qui ſe femoralibus veſtit: Pro ſig. frocci, manicam eius tene eodem modo quo manica ſtamineæ eſt tenenda: Pro ſig. cucullæ hoc adde, vt cum duobus digitis retro tangas capellum: Pro ſig. manicarum tene manicam frocci, & ſignum quod eſt pro femoralibus adde.

Plura ſunt quæ adhuc dicere poſſem, ſed cùm modò meminerim quibus ſum locutus, video quòd nec opus fuerit tantum dixiſſe de huiuſmodi re, & vt ait ille, in ſyluam ligna contuliſſe: Vnde vt de his tandem taceam, quæ, quantum puto, meliùs noſtis quàm ego, videndum eſt de ſecuturis, vt ea loquar quæ cùm nec viſa priùs nec audita ſcire valeatis, tunc pro ſola nouitate plus aliquantulùm veniant ad gratiam. Et quia ſermo eſt de inſtituendis Nouitiis, quantum fieri poteſt, per ordinem dicatur de ea diſciplina, quâ jugiter ille tenetur qui nobiſcũ voluerit conuerſari.

CAPVT V.

Quomodò ſe Frater leuet ad Nocturnos.

PRIMÒ igitur ad Nocturnos audito ſigno illicò ſe leuare feſtinat, & priuſquàm coopertorium deijciat, induit ſe cuculla, cruráque tegit cum illa, antequã leuet, ante lectum: ipſúmque lectum non ita negligenter dimittit, ſed honeſtè coopertorium deſuper extendendo componit. Neceſſarias non intrat, niſi capite capello cooperto. Ante pueros ſolet venire in Eccleſiam, & ſollicitus eſt illis tribus orationibus intereſſe, quæ ſigno finito fiunt.

CAPVT VI.

De exceſſibus pro quibus veniam petit.

NAM ſi non interfuerit, in Capitulo veniam petet; ſicut etiam pro eo, ſi quam regularem Horam dimi-

serit, nisi fortè sit Sacerdos, vt interim Missam cantet; vel si dimiserit Collationem, vel Capitulum sine licentia, vel generalem refectionem: procumbens ad orationem super cubitos & genua froccum retrorsum attrahit ne ita pendeat super pedes ad terram. Quòd si aliquomodo contigerit vt non occurrat ante *Gloria* psalmi nonagesimi quarti, vel ad quamlibet Horam ante *Gloria* primi psalmi, intrans Chorum & veniens ad gradum Altaris, honestè tractímque petit veniam super manus & genua, paululúmque protendit summitatem frocci vt super eam teneat manus; & surgens contra Altare altiùs inclinat: inde non se mouebit vsque dum Hora sit finita; alijs inclinantibus, ipse non nisi contra Altare inclinat. Sed si visum fuerit Domno Abbati Fratrem aliquem ad eum dirigit vt recedat; cui cum manu innuenti paululùm inclinat, & facto antè & retrò recedit ad stationem suam; vbi rursus petens veniam vt priùs, inclinat contra Conuentum & Conuentus contra eum.

CAPVT VII.

Quomodò se habeat ad Horas Regulares.

AD *Gloria* singulorum psalmorum qui sunt in regularibus Horis, manus non tenet in sinu, sed in manicas mittit, eásque constringit ne inter inclinandum ad terram pertingant, quia inclinatio illa multùm debet esse submissa, nec adeò ad aliam psalmodiam. Quòd si sedere voluerit inter psalmodiam, obseruat ne sedeat iuxta alium sedentem, sed ita vt vnus stet, & sedeat alter, & inuicem exhibere debent occasionem sedendi. Vbicumque sedet, nunquam dimittit manicas ita negligenter ad terram pendere, sed si manus sunt intra sinum, manicæ in transuersum extra sinum sunt collectæ. Si propter aliquid de Choro exiit, vel si posteà venit quando Hora est inchoata, in faciem suam inclinat, omnibus similiter inclinaturis. Contra majus Altare nunquam inclinat, nisi manibus de manica extractis, & capite penè vsque ad terram dimisso; contra alia Altaria, & contra Crucifixum in Capitulo moderatiùs. Si

Digitized by Google

Pſalmos nouerit, & ſi in aliquo verſu errauerit, eodem modo veniam petit ante ſe quo ſuperiùs dixi ad gradum Altaris eſſe petendam pro occurſione tardiore. Lectori ad gradum vbi facit antè & retrò, & eunti ad Lectionem & redeunti, reuerenter inclinat.

CAPVT VIII.

Quomodò laternam ligneam portare debeat ad Nocturnos.

QVOD ſi inter Lectiones ille, qui laternam ligneam circunfert, ad eum venerit, & putans eum dormire, lumen contra faciem eius intenderit, ſi vigilat, iterum reuerenter inclinat; at ſi obdormiuit & laterna poſita fuerit ante eum, excitatus perluſtrat primùm cum ea dextrum Chorum, & per medium rediens, Chorum exteriorem, nouiſſimè ſiniſtrum. Si quem offenderit obdormiſſe, tunc contra eius oculos lumen ter intendit; ſi tertia vice non euigilauerit, ponit ante eum laternam, vt ab ipſo quoque excitato ſimiliter portetur.

CAPVT IX.

Quâ diſciplinâ recolocatus jaceat in lecto.

AD lectum rediens iterum ſe collocat cum diſciplina, nec cucullam priùs exuit quàm coopertorium vſque ſuper cubitos trahat: tunc quidem eam exutam diligenter complicat & ponit ad caput. Quantumlibet calorem ſentiat, tamen nunquam plus corporis ſui detegit, quàm pedes, brachia & caput.

CAPVT X.

Quomodò ſurgat mane, vel quid ſtatim faciat.

AD ſonitum, qui diluculo fieri ſolet in dormitorio ad excitandos Fratres, facit idipſum quod ad ſignum

Nocturnorum; quantociùs surgit, & ea vice non alios calceos quàm qui ad diem facti sunt induit, nisi fortè sit sanguine minutus; cultelli sui secum portandi cauet obliuiſci. Lotis manibus & facie, cùm tria manutergia pendeant simul in Clauſtro, non tergit ad aliud quàm quod ſuis ſimilibus eſt deputatum, quia vnum eſt pueris, alterum Cantoribus, tertium idiotis. Pectit caput, facit tres orationes in Choro, anterior & propior Altari quàm ſeniores, ſicut etiam ad Nocturnos, in quibus, poſteaquàm pueri legere incipiunt, non multùm moratur.

CAPVT XI.

Quomodò ſedeat, vel incedat.

SEDENS ad Lectionē ita ſedet vt vlna ſit inter ſe & alium juxtà ſedentem, anteriora frocci ſui ſemper in gremium ita attrahit, vt pedes poſſint benè videri. Girones quoque, vel quos quidam ſagittas vocant, colligit vtrinque, vt non ſparſim jaceant in terra. Quocumque incedit, ſemper demiſſo capite incedit, & ſi aliquando viſus fuerit erecta ceruice, non negligitur innotatus.

CAPVT XII.

Quomodò veniat ad Confeſſionem.

SI opus habet ad Confeſſionem pro aliquo exceſſu venire, accedit ad Sacerdotem ad quem potiſſimùm voluerit; & ſtans ante eum dexteram de manica extractam ponit ſuper pectus, quod eſt ſignum Confeſſionis. Surgit Sacerdos, quem præcedentem ſequitur in Capitulum, & primùm ante eum petit veniam toto corpore proſtratus: à quo juſſus ſe leuare, poſtquam conſederit, loquitur quod habet. Si tale quid ei contigit in nocte quod nos verecundè fragilitatem appellamus, ante Confeſſionem ſeptem pœnitentiales Pſalmos dixerit, vel, ſi Palmos neſcit, Dominicam orationem ſepties: & poſtquam fuerit confeſſus, quod

Digitized by Google

ſibi juſſerit Sacerdos. Eo die non textum Euangelij oſculatur, nec ad pacem vadit, nec ad offerendam.

CAPVT XIII.

Quomodò, vel quando pannos ſuos induat.

EST autem apud nos lauatorium ſecretum cum aquæ ductu, ibíque lauat femoralia ſua quantum illa euentione ſunt contacta: aut ſi habet in promptu mutatorium ſuum, mutat quod eſt indutus, nec priùs ad ea quæ præfatus ſum accedere præſumit. Nunquam mutat in ſola cuculla, niſi & pelliceum vel froccum habeat indutum, ne quid nuditatis ſuæ poſſit ab aliquo videri. Pannos, quos exuit, confeſtim complicat, femoralia inuoluit ſtamineo, & cum eius manicis colligat vtraque: horam quoque mutandi diſcernit, quæ non eſt niſi ante Primam, vel ſi ipſa ſimul cum Matutinis laud. cantatur, ante Tertiam. Tunc etiam nouerit horam eſſe Confeſſionis, & poſt Capitulum quandiu pſalmi pro Fratrum anniuerſario dicuntur. In diebus ſolemnibus vſque ad Miſſam matutinalem: In Quadrageſima per tres dies, per quos ſilentium tenetur in Clauſtro vſque ad Sextam.

CAPVT XIV.

Si Coctus eſt quâ horâ coctionem ſuam videat.

QVOD ſi Coctus eſt, vt vulgariter aiunt, coctionem ex more non videt, neque ligat, niſi ante Primam, vel ſi ipſa, vt ſupra memini, Matutinis laud. eſt adjuncta, ante Tertiam, & poſt Veſperos, ita tamen vt propter hoc ſilentium non infringat. Panniculi autem recèns lauati ſic eſſe debent in promptu, vt non opus habeat quid loqui. Ad catalogum fidei ſancti Athanaſij nunquam ſedet; ad offerendam nec anterior nec poſterior accedit quàm ſuus eſt ordo.

CAPVT XV.

Quomodò pannos suos lauat.

QVA factâ si quid ei placuerit de pannis suis lauare, in coquina regulari ad hoc solum æneum offendit, in quo aqua calefiat, lexiuiáque temperetur. In Claustro autem truncum amplissimum cum plerísque interuallis cauatum; vt hîc stamineum, illic femoralia lauari possint separatim. Quæ ante Capitulum mittit in aquam calidam vt mollescant, post tabulæ percussionem lauat, & non diutiùs nisi quandiu licentia loquendi durat, excepto si est dies jejunij lauare non prohibetur post Tertiam; vel si est Quadrageſima vel dies priuata, non solùm post Tertiam sed etiam post Sextam lauat, tametsi non loquamur in Claustro. Quidquid autem lauat quoquomodo sit lauatum, post horam lauandi aufert & siccat: ne jaceat ita sordidum & horridum, maximè vbi totus Conuentus videbit de Refectorio exiturus.

CAPVT XVI.

Quomodò de regulari hora non exeat, nisi pro ineuitabili necessitate.

AVDITO signo quod ad Primam pulsatur, Ecclesiam cum alijs intrat; & quia pulsatio signi ritè protelatur quousque septem Psalmi possint esse cantati, aliquando si voluerit, postquam pueri transeũt, exit pro corporis necessitate, sed rediens lauat manus ne cùm ventum fuerit ad offerendam, rursus habeat exire; quia si tam frequenter exierit, hoc quoque in Capitulo reseruatum experietur. Sed nec videt exire quenquam quandiu de regularibus horis vlla in die cantatur, nisi pro ineuitabili necessitate, vt v. g. si de naso cruor emanat.

Digitized by Google

CAPVT XVII.

Quomodò ſe præparat ad Capitulum, vel quid faciat ſi eſt ſibi conſcius vllius.

QVANDO ſcilla pulſatur ad Capitulum, ſtamineum ſuum vndique detrahit & honeſtè componit, vt paratus ſit ſi aliquo modo accuſatus judicium quærere jubetur. Cùm Domnus Abbas dixerit *Benedicite*, inclinat: poſtquam ventum fuerit ad actionem Capituli, ſi quid ei exceſſus aliquo modo contingit, quod alius vidit, & dignè potuerit reclamare, ipſe præueniens petit veniam, & illam veniã toto corpore proſtrato, culpámque ſuam fatetur: ſed quantacumque fateatur, tamen non ampliùs petit veniam præter illam quam petiit. Quòd ſi alius de illo reclamauerit, tunc quidem quoties de ſe reclamare audierit, toties quoque veniam petit. Quòd ſi ſedens & reclamationem de ſe audiens priùs quicquid reſponderit, quàm veniam petierit, juſſus vt ſe proſternat, in ipſo frocco, ſuo vnam accipit percuſſionem. Poſtea pro eo pro quo eſt reclamatus, ſuſtinet quod Prælato videtur, vel vapulare, vel eſſe in culpa leuiori: nam quæ ad grauiorem culpam pertinent, de his non loquor hac vice.

CAPVT XVIII.

De culpa leuiore.

MISSVS autem in culpam leuiorem ita ſe habet, vt ipſa quoque ſibi Regula præſcribit. Inter preces Nocturnorum, & Horarum omnium regularium, proſtratus jacet ad gradum; non offert, non oſculatur textum Euangelij, non accedit ad pacem, nec ad menſam cum alijs: ſed ſi qua dies feſta duodecim Lectionum agenda ſuperuenerit, ſolutus eſt ab eo quod ſe proſtrauit, vel quod cum alijs non refecit. In Eccleſia non abſtinet ſe à Lectione, à cantûs impoſitione, nec à cæteris quæ prælibaui. Pri-

uata die veniente rursus intrat in quo priùs erat vsque dum fiat absolutus. Absoluitur autem maximè quando prostratus jacet ad gradum, & vnus Frater ad eum dirigitur, à quo sibi quòd sit absolutus innuatur. Hoc quoque modo fieri solet absolutio, si eidem noxæ adjudicatus postea contigerit, vt pro aliquo delicto denuò reclamatus verberetur: & si hoc non erit, non absoluitur, nisi priùs eius satisfactio jacentis ad gradũ, vel ad vnam horam videatur à Conuentu.

CAPVT XIX.

Vbicumque steterit quomodò stare debeat.

STANS autem ante Domnum Abbatem vel vbicumque steterit, id etiam non negligit vt habeat pedes æqualiter compositos, & nunquam ab inuicem inter standum diuaricatos.

CAPVT XX.

De his quæ non licet facere nisi ad horam loquendi.

EXIENS à Capitulo, si est ea dies in qua loqui non prohibetur, priusquàm vllum verbum dicat, librum accipit & sedet. Stando nihil omnino loquitur; quod loquitur, loquitur submissa voce: Loquela sua & audientia non est nisi de spiritalibus, vel de his quibus hæc temporalis vita carere non potest. Si quid opus habet à Camerario quærere, tunc maximè quærit; si opus habet vngues secare, tunc secat; si opus habet justitiam suam, & pateram lauare, tunc lauat; si opus habet cultellum suum acuere, tunc acuit ad cotem qui ob hoc pendet in Clausstro; si opus habet quid de vestimento suo ad solem extendere, tunc extendit, & bene meminerit vt auferat ante Collationem; vel si duodecim Lectiones in sequenti nocte fuerint, ante Vesperos; si quem Fratrum infirmantem visitare voluerit, tunc maximè visitat. Si autem est absque obedientia quantùm ad hospites, tantùm loquitur ad quenquam famulorum

lorum niſi cum licentia. Nihil appellat ſingulariter ſuum, ſed ad omnia dicit noſtrum, niſi de patre & matre; de his ſolet licenter dici meus & mea. Si quem Fratrem appellat, nunquam puro nomine appellat, niſi Domnus adjungat, & pueros Fratres nominat: item proprium nomen dicturus, ſemper Frater præmittit.

CAPVT XXI.

De minutione ſanguinis.

SI voluerit ſanguinem minuere, ipsâ horâ, quâ de Capitulo exierit, licentiam quærit. Et vt hoc modò quo fiat ordine perſequar: Acceptâ licentiâ, vadit ad Cellerarium voluntatem ſuam indicare, vt prouideat famulum ad hujuſmodi deputatum in promptu eſſe poſt Euangelium Miſſæ majoris. Eo námque momento abſcedens de Eccleſia induit nocturnales, non alios quidem vſque in diem tertium induturus, nec Chorũ intraturus. Tollénſque faſciam de lecto ſuo ad hoc neceſſariam pergit in coquinam regularem, vbi brachium ſuum denudat & calefacit; Vocat famulum præfatum ſigno tantùm ex Cellerario, ducítque ſecum ad illam minuendi ſanguinis officinam. Priuſquàm quid aliud faciat, facit antè & retrò, & ter dicit hunc verſum; *Deus in adiutorium meum intende* (ſicut etiam ad opus manuum) & vt ibi eſt cætera ſubjungit. Sícque ſanguinis diminutio inchoatur; ſilentium tenet niſi modicum quid dicat de hoc quod inter manus habetur. Abhinc ſurgens ſtatim venit in Refectorium, aliquantũ de libra ſua comeſurus & de vino bibiturus; ſicut etiam per dies geminos ſequentes. Ad prandium ſi alij habent pitantiam, ille generale, & ad cœnam oua tria. Si eſt tempus hyemale, ſcilicet à Calendis Octobris vſque ad Quadrageſimam, etſi Fratres generaliter non niſi ſemel reficiunt, tunc ille poſt Veſperos cœnat. Secundo & tertio die poſt Capitulum veniens in Refectorium, dicit verſum refectionalem ſimul cum pueris, & habet tria cocta pulmenta; die quarta, caſei quadrantem, vel quod tantum valet. Quo die indutis quoque diur-

nalibus ad Primam redit in Chorum. Ad Nocturnos his tribus noctibus si obdormiuit, nemo eum cum absconsa inquietabit, sed etiam ad interuallum in lecto suo pausauit, nec permissus est veniam petere in Capitulo si quid ei reclamatum est de illo, & stare jussus pro venia inclinauit. Cauet autem eo die minuere in cujus sequenti nocte duodecim fiunt lectiones, nisi in Quadragesima; tunc semper & in sabbato post Vesperos minuit, pro eo quod in die Dominica non jejunabit; In qua quia facturus est foris Claustrum processionem, induit quoque diurnales; post Completorium de tribus orationibus non nisi vnam facit, & exit.

CAPVT XXII.

Quâ disciplinâ in Ecclesia maneat ad solemnia Missarum.

SED vt redeam ad locum vnde paululùm diuerti inter loquendum, si ad Horam signum audierit regularem, & si est in Claustro, ipsum verbum quod habet in ore non perficit, sed continuò tacet & occurrit ad orationem intereſſe: sedet in Choro, & quousque Sacerdos Missam cantaturus sit vestitus intendit Lectioni. A quo tamen primum ictum secundi signi audierit, illicò cessat & surgit, etiam ad duo signa quæ pulsantur ad Vesperos, vel quotiescumque omnia signa pulsantur. Veniam, quam petit, diligenter obseruat ne vnquam tardiùs vel celeriùs quàm alij petat: Cùm alijs se submittentibus se submittit, cum alijs se leuantibus se leuat ad venias, ad preces, & ad orationes. Alijs non legentibus, nec aliud quàm solum officium diuinum attendentibus, ipse quoque nunquam librum aperit ad legendum, maximè in Choro, nisi aliquando Antiphonarium ad majorem Missam propter aliquem grauiorem cantum qui ad præsens cantatur, vel ad Vesperos librum Hymnorum propter aliquem hymnum ea vice canendum; & si Sacerdos est Hebdomadarius, in Collectaneo licet ei quod opus habuerit videre; aut si lector est in

Digitized by Google

Refectorio, & juuenis adhuc poſitus in cuſtodia, ad vtramque Miſſam, ſi voluerit, in Choro præuidet Lectionem. Signa, quæ cum manu fiunt pro locutione, non amat frequenter facere, Conuentu maximè cernente, & quoties facit, facit reuerenter & pro neceſſitate, & nunquam abſque alicuius vtilitatis ratione. Vt cætera membra, ita ipſum quoque viſum cohibet à vagacitate. Finitâ Miſsâ cum ſummo ſilentio ſedet ad lectionē quouſque pueri redeant de mixto.

CAPVT XXIII.

Quâ diſciplinâ maneat in Refectorio.

AD horam prandij vel cœnæ, ſi in dormitorium non aſcendit, lauatis manibus ſtatim intrat in Refectorium. Ad ſedem ſuam facto antè & retrò ſtando reuerenter expectat Domnum Abbatem; niſi adeò ſit infirmus vt ſtare non poſſit, tunc ſedet: nihil omnino comedit antequam lectio ſit incœpta, & antequam de manu Sacerdotis oblatam accipiat; ſi tamen eſt priuata dies, & ſi ipſa die non communicauit. De nullo guſtat generali priuſquàm benedicatur; ſibimetipſi nihil vnquam apportat præter ſal & aquam, niſi fortè generaliter ſeruiendo veniat ad ſedem ſuam; Si quid ei per alium apportatur, reuerenter contrà porrigit manum, & aliquantulùm inclinat: ſi quid ei vel ab ipſo Domno Abbate, vel à Priore ad ſcillam ſedente dirigitur, ex toto ſurgens altiùs inclinat, & quantumlibet fortè cupiat abſtinere, de hoc tamen prælibare non dimittit. Scutellam quoque applicat ad illum potiſſimùm Fratrem qui juxta ſe ſuperiùs ſedet vt comedat, ſi is renuerit, applicat ad inferiorem; quòd ſi & ille, quantumuis remaneat quod noluit, vel non potuit comedere, non mittit quoque longiùs ad quenquam alium Fratrem pro vlla gratia priuata, ſed à ſe tantùm amouet ſcutellam, vt tollatur à ſeruitore. De micis, diligentiſſimè cauet ne quid vel minutiſſimum cadat ad terram & pereat; cum cultello corrodit eas de menſali, vt ad vltimum cum flabello gramineo in ſcutellam colligantur, & ad eleëmoſynam deferantur.

Digitized by Google

Quandiu autem non est à Conuentu separatus vt sit cum infirmis, nec vnum granum gustat piperis, nec vllo modo quicquam potionis pro aliqua infirmitate, nisi in Refectorio, Eucharistiâ exceptâ Minimè quoque bibit aliquando, nisi pateram cum ambabus manibus tenendo, & nunquam nisi sedendo. Quòd si per vices contigerit vt alijs considentibus ipse imprimis non adsit, postea veniens ad gradum cum signo petit à Domno Abbate licentiam comedendi; quo annuente, quæ cum alijs feciſſet & dixiſſet, eadem per se facit & dicit, id est, antè & retrò, & versum, si est prandium, *Oculi omnium, &c.* Si cœna, *Edent pauperes &c.* inclinis, *Gloria Patri*, & orationem Dominicam: erectus manu & ore ita benedicit, *Oremus, Benedic Domine &c.* Inclinat Domno Abbati, & recedit vt sedeat. Quòd si opus habuerit aliquando vt, priusquàm cæteri, surgat à mensa, rursum veniens ad gradum, & manum expansam tractim à pectore trahens, cum huiusmodi signo licentiam quærit abeundi; quâ acceptâ inclinat quasi gyrando, & versum dicit, si est prandium, *Confiteantur, &c.* inclinis, *Gloria Patri*; erectus, *Agimus tibi, &c.* si cœna, *Memoriam fecit, &c.* &, *Benedictus Deus, &c.* facto antè & retrò incedit pedetentim cantando Psalmum, *Miserere*, vsque ad ostium Refectorij, ibíque se inclinans contra mensam principalem dicit omnia quæ in Ecclesia dicuntur à Sacerdote, vel à Conuentu, id est, *Dispersit dedit pauperibus, &c.* Nouissimè facto antè & retrò exit. Quòd si non ampliùs quàm semel eo die Fratres comedunt, tunc non alios versus dicit quàm illos ad cœnam pertinentes, & *Agimus tibi gratias*: verùm nunquam ad vnam vicem facit vtrumque, vt & tardiùs quàm alij veniat, & citiùs surgat.

CAPVT XXIV.

De habitatione sua & post prandium, & post cœnam.

POST refectionem, ad hanc horam majori studio quàm ad aliam silentium est sibi indictum, & secundùm quod tempori vel ordini est consentaneum, aut in

Digitized by Google

Clauſtro ſedet legendo vel cantando, aut ſi pergit dormitum & legere voluerit, jacendo legit, & ita compoſitus ac ſi ſtatim cupiat obdormire: non modò ea ſigna quæ cum manu fiunt deuitat, ſed etiam nutum oculorum nequaquam dirigit ad lectum vllius Fratris, vt illùc vel ad momentum intueatur. Poſt nonam ſiue ſitim habeat, ſiue non, tamen non dimittit cum alijs ire bibituris. Quoties poſt Veſperos cœnatur, cœnâ factâ dormitorium aſcendit, cultellum deponit, diurnalibus calceis detractis, nocturnales induit, venit in Clauſtrum ſedere: Vbi ad illam horam quamdiu ſedet tantopere ſilentium ſtudet, vt ſi ſcribendi ſciolus fortè quid ſcripſerit, nec pergameneo, nec ipſa penna quicquam ſonitus vllo modo committat. Aut ſi tardiùs quàm cæteri de dormitorio deſcenderit, tam lentè pedem ponit, vt eius inceſſus, ſi videtur ab alijs, minimè tamen ab vllo poſſit audiri.

CAPVT XXV.

Quâ diſciplinâ ſe poſt Completorium eſt collocaturus.

POST Completorium cùm iterum fiant tres orationes, ad has locum tenet extremum, & Priores anteriorem. Aſperſus à Sacerdote aqua benedicta, & veniens ad oſtium Eccleſiæ caput cooperit cum capella, nec ampliùs denudat vſque dum collocauerit ſe in lecto. Hæc pauca, vt memoriæ occurrerunt, de multis dicta ſint, quibus omnes Nouitij, ſi fieri poteſt, priùs ſunt inſtruendi, quàm Collegio noſtro ſocientur.

CAPVT XXVI.

De Confeſſione, & petitione Nouitiorum.

IN vita quoque ſeculari quæcumque contra ſalutem animæ ſuæ commiſerunt, omnia Domno Abbati ad confeſſionem manifeſtant. Poſtea quum ei viſum fuerit, jubet eos iterum ante ſe in Capitulum venire. Quibus venien-

tibus & veniam petentibus, postquam surrexerint, iterum quoque vt priùs aliquanta insinuat de austeritate disciplinæ regularis, & inter alia non tacet melius esse, vt sine benedictione ad seculum redeant, quàm acceptâ benedictione de cætero non perdurent. At si ipsi è contrà omnem obedientiam & stabilitatem pollicentur, annuit tandem eos benedictione confirmare. Commendat Fratribus vt in orationibus suis recordentur eorum, & aliquando, si videtur, vnum psalmum post singulas Horas in illo die pro eis cantari.

CAPVT XXVII.

De benedictione Nouitiorum.

VENIVNT ad pedes bini vel terni, post Euangelium majoris Missæ ritè benedictio est agenda, & hoc modo inchoanda. Singulis est scriptum quomodò profiteantur, quod est huiusmodi: *Ego frater promitto stabilitatem Monachi, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundum regulam S. Benedicti, coram Deo & sanctis eius in hoc Monasterio quod est constructum in honore BB. Apost. Petri & Pauli; in præsentia Domni N. Abbatis.* Hoc modo legit vnusquisque in breui sua, & ipsam breuem mittit super Altare jugiter ibi seruandam. Si litteras nescit, legit pro eo alius, signum tamen aliquod manu facit in breui. Petunt ter veniam super manus & genua; ter etiam hunc versum dicendo: *Suscipe me Domine secundum eloquium, &c.* & toties à Conuentu similiter eis respondetur: Tertia vicè *Gloria Patri* adjuncto, gyrum faciunt, ita poplitibus flexis, & posteà prosternunt se ad orationem. Dominus Abbas stans imponit *Kyrie eleison*, *Pater noster*, Psalmum *Miserere*; præmissis his versiculis, *Saluos fac, &c. Mitte eis, &c. Nihil proficiat, &c. Esto eis, &c:* Sequuntur hæ benedictionis Collectæ: *Deus indulgentiarum, &c. Deus qui per coæternum, &c. Domine* IESV CHRISTE *qui es via, &c. Sancte Spiritus qui te Deum, &c.* Cucullas ita benedicit: *Domine* IESV CHRISTE *qui, &c.* aqua benedicta conspergit.

Digitized by Google

Sed Nouitij ſua benedictione finita conſurgunt ab oratione, exuunt froccos, & induunt cucullas. Inter exuendum rurſus dicturus eſt ad ſingulos Domnus Abbas : *Exuat te Dominus, &c.* Inter induendum. *Induat te, &c.* Circumeunt per totum Chorum, vt omnes Fratres, ab ipſo Domno Abbate incipientes, oſculentur.

CAPVT XXVIII.

De habitatione illorum in illo triduo poſt benedictionem.

IN his tribus diebus non denudant caput capello coopertum, in cucullis dormiunt, nihil omninò loquuntur, offerunt ad pacem, ad communionem veniunt, quod non aliquando dimittunt, etiam ſi eis aliquid contigit dormiendo. Tertio tandem die, cùm Sacerdos fuerit eos oſculatus, de capitibus eorum abſtrahit capellum, & de cætero licet eis, ſicut alijs Fratribus, loqui & exuere cucullas. Si quis infirmus, &, vt aiunt, ad ſuccurrendum benedictionem acceperit, & pro infirmitate ſilentium tenere non potuit, cum alijs qui benedicuntur capita contegentibus ipſe quoque contegit, & omnia quæ illi faciunt eo triduo ſimiliter facit, vt quod priùs omiſſum erat ſuppleatur. Ergo ab illo die nequaquam vlteriùs à Capitulo ſeparantur ; & Domnus Abbas ſecundum gratiam, quæ ſingulis eſt data, jubet eos de cætero in Eccleſia ſeruire, ſcilicet, vt legant, & cantent, qui hoc ſciunt ; & qui aliud non valent, candelabra & thuribula portent. De his tamen, qui Sacerdotes ſunt vel Leuitæ, diligenter examinat quomodò ſint ordinati, qualis ſit eorum ſcientia, qualis conſcientia, & per aliquod tempus probat eorum conuerſationem, antequam eis huius miniſterij licentiam permittat. Præcipuè qui Sacerdos erat antequam veniret, omnino ab officio prohibetur, vſque dum ſæpiùs proſpiciens addiſcat quàm multiplici ſtudio tale Sacramentum tractetur à nobis. Sed vt hîc meminerim, tam qui examinatur, quàm qui jam examinati aliquo modo ſeruire jubentur, vnuſquiſque illorum

Monachi ad ſuccurrendum

Digitized by Google

in Capitulo breuem diligenter attendit, vt animaduertat si est ad vllum scriptus obsequium, quod vel in Ecclesia vel extra sit agendum.

CAPVT XXIX.

De Hebdomadario Cantore: & de eo qui notatus est ad Inuitatorium imponendum, vel ad aliquam Lectionem, vel aliquod Responsorium.

SI est notatus ad Inuitatorium, quando ipsum inchoat stans ad gradum cum suo Collega; vel quando finit, vtraque vice facit antè & retrò. Si ex duobus cantaturis Inuitatorium, est Prior notatus, tunc etiam Hebdomadarius erit, per totam Hebdomadam Officium Missæ majoris imponit, ad quàm cùm in die Dominica, vel in qualibet ei simili, omnia signa sint pulsanda, ad eum pertinet vt ipse primas scillas incipiat pulsare, & postea cappa se vestire, vt Chorus teneatur ab illo; qui & incensum sibi allatum, quo Corpus Domini ante consecrationem est incensandum, in thuribulum ponit. Quando sunt Fratres ad pacem & communionem, licet ei sedere. Quoties in septimana fuerint duodecim Lectiones, ad omnes Horas imponit Anphonam, præter ad Vesperos, ad quos non imponit nisi in tali festiuitate de S. Trinitate, vel etiam solemniore quàm est. Quando omnes ad majorem Missam sumus indutialbis, non ad eum, sed ad Armarium pertinet Officium majoris Missæ. Quòd si non Hebdomadarius, tamen ad aliquam Antiphonam Nocturnorum notatus est, cùm imposuerit eam, finito primo versu Psalmi, facit antè & retrò: ad legendum multùm inclinis & accedit & recedit, nisi ea vice, quâ Conuentus nondum consedit, non est adeò inclinis; & postquam legerit, rursus ad gradum non solùm antè & retrò facit, sed etiam illam veniam super manus & genua præmittit. A quo etiam notandum hoc moris esse nostri, vt si quam prophetiam, maximè vbi nihil habetur historicum, legerit in Dominicis noctibus, ad finem Lectionis non dicat, *Hæc dicit Dominus*, sed, *Tu autem Domine*; sicut etiam

etiam ad finem cuiuſque codicis Prophetarum prælecti. Quòd ſi ad Reſponſorium notatur, hic quidem moderatè inclinat, & antequam imponat, & poſtea finito verſu, vel *Gloria Patri*, ſi hoc eſt adjungendum, facit antè & retrò, & poſt verſum ad aliquod momentum inclinem ſe ſubmittit; & ſi cum altero eſt cantaturus, cantabit ad gradum.

CAPVT XXX.

De Sacerdote Hebdomadario.

QVOD ſi ſcriptus eſt vt Sacerdotio fungatur, & in præſenti ſeptimana majorem Miſſam cantauerit, in ſequenti cantabit matutinalem. De his autem, quæ dicturus eſt, non pauca ſcire debet corde tenus: primùm tres Collectas ad Cantica quindecim graduum ante Nocturnos, vel ſi pſalmodia protenditur vſque ad finem Pſalterij, Collectas ad ſuffragia Sanctorum, Collectas ad Officia Defunctorum, ad Pſalmos pro familiaribus, ad pſalmodiam *Deus auribus*. Vſus quoque noſtros multifariam ſcire debet, maximè in Collectis dicendis & ordinandis, vt in Conuentu nihil vnquam dicat quod ab illis vllo modo diſſideat; Sed quantumlibet ſciolus ſibi de omnibus videatur, tamen non debet dedignari frequenter & de ſingulis Cantorem & Armarium interrogare. Quotiens autem fiunt duodecim Lectiones, poſt Nocturnos lecturus Euangelium non priùs exit de Choro quàm ex alternatione modulantium ventum fuerit ad illum verſiculum, *Pleni ſunt cœli & terra*; & tunc feſtinanter lauatis manibus ſacrarium intrat, veſtitus alba, ſtola, & caſula: rurſus verſiculo illo impoſito, *Per ſingulos dies*, procedit tenens ambabus manibus Euangelij textum reuerenter contra pectus reclinatum, quem etiam accedens ponit in medio Altaris & cum incenſo facit ſuper eum Crucis ſignum ſemel tantùm; inclinat ſe ad orationem maximè Dominicam, ad vltimum verſum Hymni præſignati erigens ſe tollit textum de altari deoſculato, & pergit ad analogium, contra quem etiam Conuentus totus conuerſus inclinat. Matutinis laud.

incœptis non se mouet à loco vsque dum dixerit cum alijs *Gloria Patri*, & aliquantulùm inclinans, quibus se erigentibus ipse quoque recedit: Verùm semper accelerat vt priùs sit reuersus in Chorum quàm primus Psalmus finiatur. De incenso ita gerit, vt primùm incenset faciem Altaris, tunc superficiem manu ter cum incenso porrecta per diuersa loca latitudinis Altaris, & semel in transuersum, tum retro dextrum cornu Altaris, tum cornu Altaris sinistrum. Incensat etiam Altaria quæque minora Choro proxima, & sanctæ Crucis Altare, faciens per singula cum incenso Crucis tantummodò signum.

In priuatis diebus quotiens bis comeditur, priusquàm signum pulsetur ad Tertiam, manus lauat ex more, vt oratione facta mox Sacerdotalibus induat se, & Tertiam imponat. Quâ finitâ, litania, quâ Missa præuenitur, cùm decantata fuerit vsque ad illum versiculum, *Omnes sancti*, exit de Choro, vt casula quoque vestiatur, & cum processione veniat ante Altare. Si dies est talis vt non nisi semel comedatur, vestit se inter cantandum litaniam: & si processio est agenda, vt in quarta & sexta feria in Quadragesima, non se vestit donec & ipsa jam facta fuerit. Accedens autem portat & ipse Codicem missalem in brachio sinistro; quo deposito in dextrum cornu Altaris, inclinat ad orationem, maximè Dominicam, vel si magis voluerit, *Domine sancte, &c.* Osculatur Altare & textum Euangelij, dat locum Diacono vt stare possit prope dextrum cornu Altaris; ipse quoque stat prope sinistrum, & inclinis contra Diaconum similiter inclinem, dicit confessionem: cujus etiam forma ita est præscripta, vt nec ad Missam, nec ad Horas quibus est dicenda, verbis amplioribus dicatur quàm huiusmodi: *Confiteor Deo & omnibus Sanctis eius, & vobis Pater, quia peccaui in cogitatione, locutione, & opere, meà culpà; precor vos orate pro me.* Resp. *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata vestra; liberet vos ab omni malo; conseruet & confi met vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam, Amen.* Ad Epistolam sedet vsque dum ad Euangelium venitur. Diacono lecturo dat benedictionem huiusmodi, *Deus misereatur vestri &*

Digitized by Google

benedicat: ea vice ſtat prope dextrum cornu Altaris, & Diaconus prope ſiniſtrum.

Maxima diligentia ac reuerentia erga corpus Dominicum.

Hîc autem non eſt indignum meminiſſe quâ diligentiâ, quóque ſtudio ad Dominici Corporis & Sanguinis conſecrationem & communionem ſeruiatur : Primùm propter hoc ipſum factum eſt vnum armariolum ante faciem majoris Altaris optimè compaginatum, & intrinſecus pannis veſtitum, in quo nihil aliud reconditur præter illa vtenſilia, quæ neceſſaria ſunt ad Miſſarum ſolemnia duntaxat in Conuentu generaliter agendarum ; præcipuè duo calices aurei cum patenis diuerſæ quantitatis ; & duo corporalia, vnum duplum, ſicut omnia corporalia ſolent eſſe ad priuatas Miſſas, alterum ſimplum. Minor calix cum duplo corporali ad matutinalem Miſſam ; major cum ſimplo ad majorem : nam & vnum ſimplum ſemper jacet ſiniſtro cornu Altaris, vt à prioribus noſtris accepi, propter hoc vt ad manum poſſit eſſe contra periculum ignis : contra quod ſi fortè contigerit, creditur à multis quia multùm valeat expanſum. Item ibi eſt patena mediocris & argentea, & aurea ſcutella habens operculum eiuſdem metalli, fabrili opere colligatum, ibi ampullæ ad ſubminiſtrationem vini & aquæ ; nam & in ampulla vinum ante conſecrationem ſolet offerri. Ibi vrceus argenteus, cum appendicio ſuo ad manuum ablutionem : ibi linteola plura, ſine quibus ſingula ſacrata vaſa nec leuantur, nec quoquam portantur. Ipſum autem armariolum habet in medio tabulatum, vt quæque ſacratiora ſint ſurſum, cætera deorſum. Ad initium Miſſarum referatur à majore Cuſtode Eccleſiæ, vel ab eius ſuffraganeo qui tunc eſt Hebdomadarius : panno totum deſuper operitur, qui & patenam ibi ponit ſimul cum corporali ; calicem verò cum linteolo in longum extento tenens, & deſuper operiens, portat ad amphoram aquæ quæ de ſtanno ſemper eſt in Eccleſia, & in loco competenti, vt omnes ibi calices lauentur quorum vſus eſt ad priuatas Miſſas. Ibi quoque tunc Hebdomadarius apportatum calicem diligenter lauat aquâ bis infusâ : & ſi non eſt Sacerdos vel Leuita, quærit ad hoc ſibi Vicarium alterutrius ordinis, vt in quarta feria & Sabbato manu interiùs miſſa bene

quoque in fundo ipse calix confricetur, ne fortè aliquantulùm fœtiscat propter vini crebram infusionem. Ergo lauatus reportatur & ponitur super armariolum.

Subdiaconus anticipat lauare manus vt ipse ad ministerium calicis sit paratus: quem interim, dum Euangelium legitur, accipiens simul cum corporali & patena experitur si quid aquæ in illo remansit inter lauandum, & effundit in caueam de lateritijs tegulis factam in proximo Altaris, sicut altera facta est paululùm remotiùs, vbi idem Subdiaconus, & alij subministri, manus super ea lauent. Stat juxta Sacerdotem vsque dum Euangelium finiatur. Ponit corporale super Altare, calicem retinens & patenam: comitatur Sacerdotem præcedentem aliquantulùm contra Fratres vt à singulis offeratur: à Diacono aqua & manutergium apportatur, & reuerenter exhibetur; qui lauatis manibus accedit ad altare, & vt hic propriè dicam de majori Missa, vtrumque corporale, vel quod in Altari semper jacet, vel quod Subdiaconus apportauit, accipiens expandit; pollicem tamen & indicem vtriusque manus combinatos diligenter constringit, ne vel ipsa corporalia cum eis tangat, cum quibus hostias habebit in proximo tangere & tractare. Consummata autem oblatione Sacerdos quoque lauat manus, cauens & ipse postea ne aliud quid tangat cum digitis quibus corpus Domini est tangendum. Subdiaconus portat hostias ad Diaconum secus Altare stantem & se operientem, vt de omnibus tres, quas voluerit, eligat ad consecrandum: propter quod dimissa patena cum hostiis super altare, vinum, quod oblatum est, funditur ab ipso quoque Subdiacono in alterum calicem, tantúmque relinquit quod sufficit ad consecrationem. Ad quod tamen ipse non miscet aquam, quia ei nec vinum nec aquam licet infundere, sed allatam ampullam aquæ simul cum calice dat Diacono, vt ille misceat: dat & linteolum vt calix deforis tergatur diligenter, ne fortè quid vini vel aquæ exteriùs remaneat, & consecratum pereat. Hac vice non cauet digitos Diaconus, quorum suprà memini, disiungere, qui has hostias jam posuit quas erat positurus: & sic tandem calice super altare posito, Subdiaconus cum patena & ampulla

reuertens, patenam hoſtijs refertam ponit ſuper armariolum, & ampullam in loco quo ſolet reſeruari: accipit aliam patenam argenteam intra ſcutellam auream reconditam, & tergit ſtudiosè cum panno candidiſſimo prope armariolum propter hoc ipſum jugiter pendente, & poſteà cum linteolo honeſtè & reuerenter inuoluit. Sacerdos interim calicem & hoſtiam incenſans facit cum incenſo ſuper ambo tres cruces, & vnum quaſi circulum; incenſat quoque contra vtraque Altaris cornua dextrum & ſiniſtrum, quantùm manum extendere poſſit, pedibus tamen immotis: deinde reddit thuribulum Diacono, qui priùs incenſat Sacerdotem, & caſulam inter brachia verſus pedes trahit; poſteà faciem dextri cornu Altaris & ſuperficiem, ad extremum ſiniſtri faciem & ſuperficiem. Si verò dies feſtus adeſt, quinque illa Altaria principalia proxima incenſat, & illud ad quod Conuentus ad Veſperos & Matut. laudes iuit, vbi & cereus tam in nocte quàm in die ardet.

Notandum autem quòd in omnibus diebus feſtis & Dominicis ad majorem Miſſam prædicta Altaria bis incenſantur; primò videlicet poſtquam confeſſionẽ ſuam Sacerdos & Diaconus fecerint, & poſt offerenda: Similiter ad minorem, ad quam omnia ſigna pulſantur: priuatis verò diebus ad majorem Miſſam ſemel incenſum offertur, ſcilicet, poſt offerendam, & ſolummodò ſacra oblatio, quæ eſt in Altari principali, incenſatur. Ad majorem Miſſam niſi ſigna pulſentur, nunquam incenſum offertur. Sciendum quoque quoniam ſiue tres ſiue quinque hoſtiæ conſecrentur, ſemper Sacerdos mediam accipit & cum ipſa cruces in calice facit, ipſámque diuidit, & vnam particulam in Sanguinem mittit, & ſe ſe mediâ, Diaconum reliquâ communicare non negligit.

Poſtquàm autem Diaconus Altare, vel ſi talis eſt dies, Altaria incenſauerit, & aliquem Epiſcopum, vel Abbatem ſi fortè affuerit, juxta columnam ciborij ſtans, thuribulum Conuerſo reddit, à quo & incenſatur, & ibidem manet acclinis, ſicut ad primas & vltimas Collectas, donec *Per omnia ſæcula ſæculorum* à Sacerdote dicatur. Conuerſus quoqueſi cappa eſt in Choro, priùs illum incenſat qui ea

indutus est; deinde incipiens à dextra eodem modo & ordine thuribulum portat, quo superiùs diximus, his qui sunt in Choro majori vel minori; hoc plus faciendo, quòd in minorem Chorum exit priùs ad dexteram, postea ad sinistram. Post hoc verò exiens incensat eos qui extra Chorum sunt, incipiens ab introitu Chori in superiori parte, deinde alios, sicut sunt in stationibus suis per circuitum, postremò ipsa minora Altaria quæ sunt propè Chorum, quæ à Diacono non incensantur, in anteriori parte, & in latere dextro, & in sinistro, non tamen præsumit super Altare manum extendere. Quòd si aliquem Sacerdotem Missam ibi cantantem offenderit, vel ipse vel Diaconus, si competenter fieri potest, ei thuribulum offert, & ipse Altare vel sacram oblationem incensans, ei thuribulum reddit, ipséque Conuersus vel Diaconus eum reuerenter incensare, & casulam inter brachia aptare non negligit. Cùm autem *Per omnia sæcula, &c.* ante Præfationem audierit, si jam de incensandis Altaribus rediit, vel si ibi præsens est, vt in priuatis diebus, vadit post Sacerdotem retrò: quòd si nondum redierit, mox vbi redierit, illud idem facit; & post Diaconum vadit Subdiaconus, manu sursum extenta tenens patenam ita, vt prædictum est, coopertam: & in duodecim Lectionibus hoc solet facere vnus ministrorum, manens post Subdiaconum. Qui quando illuc adueniunt, altiùs inclinant, erecti posteà stantes donec *Sanctus* incipiatur.

Ex hinc Sacerdos omnia eodem modo agit, sicut & in qualibet Missa priuata deberent agi, sicut alias dictum est. Vnus autem ministrorum, qui semper duo debent esse, stans cum flabello prope Sacerdotem, ex quo muscarum infestatio exurgere incipit, donec finiatur, eas arcere à sacrificio, & ab Altari, seu ab ipso Sacerdote non negligit. Diaconus verò, Subdiaconus, & vnus ministrorum, si dies festus est, acclines posteà manent orationi intenti. Notat tamen Diaconus quando Sacerdos ad *Supplices te rogamus* inclinatus se erexerit, & tunc quoque ipse se eleuans, vt quatuor digitos, quibus Dominicum corpus tangendum & diuidendum est, abluat, in partem ante supradictum

Digitized by Google

armariolum ſeceſſit. Et ſciendum quoniam non modò pro anima ipſius, qui ipſum vrceolum, quo aqua funditur, & concham, qua ſuſcipitur, dedit, ſed poſt offerendam tam ipſe quàm Sacerdos manus ibi abluentes hanc Collectam dicunt; *Oremus*, *Abſolue Domine animam famuli*, *&c.* tam altè, vt Conuerſi audientes, qui ſibi ſeruiunt, poſſint reſpondere, *Amen.* Digitis ablutis & terſis ad locum, vbi primitus acclinis manebat, redit, altiúſque inclinans continuò ſe erigit, poſtmodùm ſtans & diligenter obſeruans quando ad *Per ipſum & cum ipſo & in ipſo*, cruces ſuper ſacrificium facere incipiat Sacerdos: Quod mox vt viderit, moderatè ac pedetentim ad Altare accedens, priùs dextrum cornu Altaris, deinde dextrum humerum Sacerdotis oſculatur, & poſteà corporale cum duobus medijs digitis manus dextræ ex vna parte remouet, & Sacerdos ex altera, cum quibus & calicem per medium tenens, parum ſubleuare, dum Sacerdos dicit *Per omnia ſæcula*, *&c.* & poſtmodùm ipſum corporale ex eadem parte ſuperponere procurat, & tandem rediens poſt Sacerdotem in locum, vbi erat priùs, iterum acclinis manet, donec ei à Subdiacono patena argentea offeratur; qui Subdiaconus non priùs ſe erigit, neque de loco, in quo poſt Diaconum acclinis ex quo *Sanctus* incœptum fuerat, manſerat, recedit, donec à Sacerdote *Panem noſtrum* in oratione Dominica dicatur. Sed tunc inde ſecedens atque reuerenter incedens, & linteamen de patena deuoluens, manúque linteaminis parte inuoluta ipſam tenens, partem eiuſdem linteaminis pendere ex induſtria facit, vt Diaconus quoque cum digitis mediis linteamine inuolutis eandem patenam ab ipſo oſculante ei manum accipiens, finita oratione Dominica offerat Sacerdoti: propter quod tamen pollicem & indicem minimè diſiungit, ſicut tunc non diſiunxit quando calicem cum Sacerdote leuauit. Et ſciendum quoniam quidquid de prædicta patena priuatis diebus Subdiaconus facit, hoc idem in duodecim Lectionibus ille miniſtrorum, qui poſt illum manere ſolet, agere conſueuit. Poſtquàm verò Diaconus Sacerdoti patenam obtulit, ibi prope dextrum cornu Altaris orationi, ſi ſapit, intentus manet acclinis, donec *Per*

omnia sæcula sæculorum dicatur. Sacerdos verò accipiens eam cum medijs digitis ponit super corporale ad pedem calicis, & postquam fregerit hostiam, vnam particulam, vt mos est, mittit in calicem, duas super patenam, & cum corporali tegit vtramque. Priùs tamen super ipsum calicem, digitis quibus tetigit, diligenter fricat & excutit, ne quid forte inter frangendum de corpore Domini adhæserit: manus interim cum summo studio claudens & in modum crucis ad pectus applicans, vertit se primùm Diacono reuerenter inclinanti, & casulam cum duobus mediis digitis post pacis osculum inter brachia aptanti, dans illi pacem, deinde Subdiacono, & in procedendo contra Conuentum, duobus ministris, ad vltimum veniens super gradum ante analogium dat pacem cæteris, sicut annotari decreuimus, in quinque præcipuis festiuitatibus toto Conuentui; cæteris autem diebus, exceptis Sabbatis in quibus eueniunt jejunia Quatuor-Temporum, & exceptis Missis jejunij in festiuitatibus Quadragesimæ, & reliquis jejunijs, in quibus festiuitas duodecim lectionum euenerit, quando vna hostia offertur, & pax vni à Diacono datur, sic itur ad pacem: in tertia & quinta feria, & Sabbato semper dexter Chorus vadit ad pacem, præter illum cui tale quid in nocte contigit: in secunda, quarta, & sexta sinister: in Dominicis autem alternatim, vt alter Chorus in vna, alter in altera, sicut alternatim incipiuntur Hymni, Antiphonæ & Psalmi, ab vno Choro in vna hebdomada, ab altero in alia. Si verò reuestiti sunt in cappis seu in albis, secundum dignitatem ordinis ibunt ad pacem, vt primo loco Sacerdotes sicut sunt priores; Secundo Diaconi; tertio Subdiaconi, deinde alij sicut ordo eorum exigit: ad extremum Conuersi. Si autem aliqui sunt in cappis, & aliqui in albis, & aliqui in froccis vel cucullis, secundum dignitatem ordinis priùs ibunt hi qui in cappis, deinde qui in albis, postremò qui in froccis seu cucullis erunt, sicut semper prout ad conuersionem venerunt seu à Domno Abbate leuati sunt, siue sint Cantores, siue Conuersi.

Notandum tamen quoniam si Domnus Abbas propter aliquam rationabilem causam quemlibet Conuersum leua-

uerit

uerit in Capitulo & in Refectorio, tamen ordinem illum ſeruabit; ad pacem verò & ad communionem, ſicut & ad aquam benedictam, ſecundum ordinem conuerſionis ibit. Priuatis autem diebus Conuerſus, qui ſeruit de candelabro, quia alba indutus eſt, primus poſtquàm Sacerdos ſuper gradum venerit, vadit ad pacem. At * Sacerdote ad pacem procedente, Diaconus ad Altare accedit, duáſque Hoſtias, vel ſi plures fuerint vt in Dominicis, frangit & diuidit, quas Sacerdos non diuiſit, ſeparatim dimittit, vt de altera ipſe, de altera Sacerdos communicetur, & ſi, priuſquam Sacerdos redeat, perfecerit, nuſquam tamen recedit. Mox verò vt Subdiaconus & Miniſtri pacem acceperint, manus abluere in piſcina, quæ eſt propè Altare, non negligunt, & Subdiaconus patenam auream ad Calicem pertinentem, quam poſuerat ſuper armariolum, reportat ponens ſuper Altare, & ſimul linteolum extenſum in tranſuerſo Altaris, & poſteà ſtat inclinis inter reclinatorium & dextrum cornu Altaris vſque dum redeat. Qui rediens, & illam portiunculam Dominici Corporis, quam ſumpturus eſt, de patena accipiens cum duobus medijs digitis ſiniſtræ manus, patenam modicè Diacono porrigit; & ſuper Calicem ipſam portiunculam ſumens, poſteà eundem Calicem cum Sanguine Diacono dat. Vnus autem de miniſtris tollit de armario ſcutellam, & allatam tenet cum linteolo ſuper reclinatorium, quod eſt, quantum puto, propter hoc maximè factum inter duas ciborij columnas: Super quod Diaconus mittit patenam in qua Dominicum Corpus eſt diuiſum; Calicem quoque cum Sanguine dat Subdiacono intrinſecus ſtanti inter reclinatorium & Altare: qui tenebit eum reclinem, quàm conjunctiùs poterit erga * ſcutellam: communicat primus Diaconus, & poſt eum alij forinſecus accedentes; eo ordine quo & ad pacem, & præter illos qui in albis ſunt, antequam communicent cuncti veniam petentes, & manum Sacerdotis oſculantes, tam illi quàm alij. Si quis autem, qui non ſit de illo Choro qui vadit ad pacem, voluerit communicare, facto inde ſigno illi qui ſeruat ordinem, ſi Domnus Abbas vel Prior abeſt, accedit tam ad pacem quàm ad communionem in ſuo ordine. Debent

* *al.* interim.

* *al.* contra.

Digitized by Google

autem singuli ita se scutellæ adjungere, vt si fortè inter sumendum Corpus Domini aliquando vel de ore sumentis, vel de manu porrigentis lapsum fuerit, nisi in scutellam cadere non possit. Quotquot autem ipsum Corpus sacrum dederit, singulis Sanguine priùs intinguit. * Communicatis autem omnibus qui voluerint, & nouissimè Subdiacono, qui semper per consuetudinem ad majorem Missam communicare debet (exceptis his diebus in quibus tantùm vna Hostia consecratur) & communicato illo qui tenet scutellam, si Corpus Domini supersit, vel si videtur sibi, cooperitur ipsa scutella, & qui tenet eam non se submouet inde quoúsque Sacerdos Calice à Subdiacono recepto Sanguinem sumat, vinúmque, quo postea Calicem lauat, infusum sibi ab eodem Subdiacono in altera manu tenente ampullã, & cum altera inuoluta linteolo, quod cum patena super Altare posuerat, subleuante Calicis pedem. Diaconus percepta communione prope armariolum venit, vt cum vino in altero Calice digitos abluat quibus Dominicum Corpus tractauit Ministro, qui supererat *, cum ampulla fundente vinum & pedem Calicis subleuante; quos ablutos ad Calicem priùs tergit, deinde ad faciem, & eam partem qua terfit ea applicat, & vinum sumit vertens se ad Orientem, & tunc corporalia plicare & librum missalem de sinistro cornu Altaris in dextrum ponere, & ad locum illum, vbi prior Collecta est in proximo dicenda, vertere accelerat. Subdiaconus verò, mox vt Sanguinem sumpsit Sacerdos, & vinũ quo postea Calicem lauit, accipit ab eodem Calicem, osculans ei manum, & à Diacono patenam Calicis, ab Altari super impositio vno corporali acceptam; nam alteram in locum suum super Altare reponit: & tunc ille, qui tenet scutellam, altiùs eam eleuans vadit ante sinistrum cornu Altaris, & Subdiaconus remanet cum Calice ante dextrum, post Sacerdotem tenens cum altera manu Calicem; cum altera patenâ parumper subleuatâ cum corporali. Verùm contra ipsos totus Conuentus pro reuerentia Dominici Corporis & Sanguinis veniam petit.

Sciendum autem quoniam si quilibet post communem veniam superuenerit, nunc in Choro nunc extra Chorum

* *Addit alius Codex.* Quanquam sit cõtra vsum aliarum Ecclesiarũ, quia quidam, maximè Nouitij nostri, adeò sunt rudes, vt si Sanguinem ita separatim acciperent, non remaneret vt non magnam aliquando negligentiam incurrerent.

Sic autem Codex ille. Seruitor qui supersit adhuc accedit cum altero Calice extra reclinatorium, vt Sacerdos super eum cum vino lauet digitos, quibus Corpus Dominicum tractauit, sicut & Diaconus, mox vt communicauit, & antequã corporalia complicaret: & hoc vinum vt iterum Sacerdos ebiberit, quod secundò seruitor infundit vt ille Calix vtrimque abluatur.

Digitized by Google

veniam petere debet: Similiter poſtquam aliquis communicauerit præter hanc communionem, nunc ante Altare S. Ioannis, nunc alibi veniam conſuetudinaliter petit. Mox autem vt ille Miniſter, qui ſupererat, digitis Diaconi vinum ſuperfudit, accedit extra inclinatorium deferens Calicem alium minorem, cum ampulla, quam ſubminiſtrauit Diacono, & pòſt ab eodem recipit, vt Sacerdos quoque digitos illos lauet, quibus Dominicum Corpus tractauit, quos nunquam in majoris Miſſæ Calice abluere licet. Quo ſumpto, iterum vinum in Calicem funditur, vt ipſe aliquantulùm Calix abluatur, & à Sacerdote ſumitur. Et quotiens tam Sanguinem quàm reliquum vinum ſumit, faciem verſus Altare, vel verſus Orientem vertit. Ille autem qui portat candelabrum poſtquàm Sacerdos à pace redierit, continuò accipit, tenens hoc ante gradum ſubleuatum, nec priùs deponit quàm *Per Dominum noſtrum* de prima Collecta poſt Communionem dicatur. Eâdem horâ tam Subdiaconus cum Calice, quàm Miniſter cum ſcutella, diſcedunt. In duodecim Lectionibus duo Conuerſi cum duobus candelabris, & tertius tenens thuribulum, eodem omninò modo ante gradum & accedunt & diſcedunt, quo dictum eſt in priuatis diebus.

Sciendum verò quoniam, quotiens non niſi vna Hoſtia conſecratur ad majorem Miſſam, eadem Miſſa cum Calice minoris Miſſæ & duplo corporali cantatur; & tunc neque patena argentea exhibetur, neque prædicta ſcutella apportatur, neque Subdiaconus, poſtquàm Calicẽ poſt Communionem ſuſceperit, poſt Sacerdotem moratur, neque Conuerſus de candelabro ſeruiens, poſtquàm Sacerdos poſt ablutionem digitorum vinum Calici infuſum ebiberit, ampliùs operitur. Sciendũ quoque quoniam omni die Dominica Corpus Domini mutatur, & dum Sacerdos procedit ad pacem, recens conſecratũ à Diacono in pixide cortica reponitur; & quod præteritâ Dominicâ conſecratum fuerat, inde accipitur, & ab eodem Diacono diuiditur, & Fratres inde communicantur; duæ tantùm particulę illius Hoſtiæ, quam Sacerdos diuiſit, non mutantur. Prædictam autem pixidem, dum Pſalmi familiares poſt Tertiam dicuntur, Diaconus

de columba jugiter pendente ſuper Altare, bene cum linteolo de puluere exteriùs terſa, abſtrahit, & ſuper dextrum cornu ſub coopertorio ponit, Miſſãque finitâ in eodem loco reponit. Poſtquàm autem Subdiaconus & miniſter de ante altare diſceſſerint, quiſque ſua ad armariolum reportat. Vbi quantumlibet clara dies ſit, tamen cum cereo vtrumque, patena ſcilicet, ſuper quam Domini Corpus fractum fuerit,& Calix diligentiſſimè conſiderantur à Subdiacono & à miniſtro, ſi quid fortè vel minutiſſimum de Corpore Domini remanſerit; & ſi quid viderit remanſiſſe, hoc non manu tangere præſumit, ſed linguâ tantùm leuat & ſumit, ſi talis eſt particula quam conuenienter ſumere poſſit, ſi verò minutiſſima, & vt ita dicam, indiuiſibilis & atomo ſimilis, hanc ſi poteſt cum vino in Calice, quo Sacerdos & Diaconus digitos abluunt, recipit, leuat, & ſeparat. Quòd ſi ita adhæſerit, vt cum vino fieri non poſſit, in eo tamen loco, vbi eam viderit, linguam ſummatim applicat, & ſic eam ſumit; & poſtea iterum patenam vino ſuperfundit: quòd ſi non & quantumlibet ibi remanſiſſe cognouerit, non tamen propter hoc eam vel ſemel diligentiſſimè vino ſuperfundere dimittat, & illam ſuperfuſionem primitus ſumit, & poſtea eundem Calicem, quo vinum illud patenæ ſuperfuſum ſumpſerit, alio vino abluit, vel illud, quo Calicem majoris Miſſæ vel ipſe vel miniſter interiùs lauit, in illum Calicem immergit & ſumit: mittítque vinum alterum in Calicem majoris Miſſæ, & circumquaque intus diluit, &, ſi miniſter communicauit, illud ebibit, ſin autem, Subdiaconus: poſtquàm vinum patenæ ſuperfuſum ſumpſerit, in eum Calicem, ſuper quem eadem patena fuſa eſt, immergit, ſicut dictum eſt, & ſumit; & tunc non alio vino eum abluit, niſi fortè tale quid poſtea ibi remanſiſſe cognouerit. Alter miniſtrorum cereum ad hoc diligenter inſpiciendum tenere, verùm linteola, quæ tria ſunt, debet ſtudio explicare. Quòd ſi Subdiaconus eſt in cuſtodia, Cuſtodis eſt cereum tenere. Duo autem linteola ſuper Calicem maioris Miſſæ, tertium verò ſuper Calicem minoris debet poni, & ſic quoque ſacra vaſa in ſuo loco componi. Quòd ſi ante finem Miſſæ aliquando poſſunt perfeciſſe,

Digitized by Google

non tamen propter hoc aliquis eorum debet diſueſtitum ire. Recedens autem Sacerdos ab Altari dat miſſalem Diacono, vt ab eo reportetur: Stolam ipſe & manipulum complicat, niſi fortè ſint, vt in feſtis præcipuis, deaurata, tunc enim à Sacriſta ſunt complicanda.

In priuatis diebus Hoſtiæ non conſecratæ portantur in Refectorio, vt his, qui eo die non communicauerunt, per manus Sacerdotis diſtribuantur: quod hoc ordine fieri ſolet, vt primùm tribuat de ipſis Hoſtijs Domno Abbati; poſteà, cùm ſint menſæ tres, vtrinque ad dexteram Domni Abbatis ad vnam menſam, poſteà ad omnes in alia parte, & ſic iterum redit ad dexteram, & tribuentis manus à ſingulis oſculatur. Quotiens benedicit, facit tres cruces contra menſam principalem, contra dextram & ſiniſtram: Ad potum verò non niſi vnam. Poſt Completorium priúſquam tertia finiatur oratio, exit de Choro ad aquam benedictam, vt cum ea ſingulos aſpergat.

De Miſſa priuata.

Et quia Sacerdotis ſemel memini, vt hîc adiungam quod adhuc ad eum ſpecialiter pertinet: Si Miſſam priuatam cantare voluerit, innuit Conuerſo cum ſigno crucis, quod eſt ſignum Miſſæ cantandæ; qui continuò ſequens illum ad locum vbi ſunt vtenſilia recondita ad ſolemnia Miſſarum, accenditcandelam, ponit in brachium ſiniſtrum veſtimentum Sacerdotale; & deſuper librum Miſſalem. Sacerdos autem primò manus ſuas lauat & tergit, mittit Hoſtiam cum cocleari ſuper patenam: Calicem quoque lauat & tergit: Item in ampullas duas infundit vinum & aquam, quas & cum ſiniſtra lauat, & cum dextera Calicem ſuperpoſitis patena & corporali. Ita præcedens Conuerſum ſequentem pergit ad Altare vbi eſt cantaturus, cuius linteum complicatum explicat; ponit Calicem & librum miſſalem. Ad veſtimentum non eſt improuiſum nec omiſſum, vt ad ſingula Altaria vna ſit tabula in qua ponatur; vnúmque lignum patulum & muro infixum, ſuper quod ponuntur ampullæ: pendet quoque in promptu manutergiolum, ad quod Sacerdos, poſtquam ſe induerit, lauatas tergit ſummitates digitorum, quibus neceſſariò tangit res ſacratas. Inde Miſſam incipiens, totum cantum, qui ad eam

pertinet, pro edicto Patrum nostrorum magis legit indirectum, quàm vnquam audeat cantare. Cùm ventum fuerit ad Offerendam, eodem studio, & diligentia, quâ fieri solet ad majorem Missam, per omnia se habet. Finitâ Missâ cùm redierit, nec tunc omittit iterum lauare summitates digitorum, maximè propter Calicem & propter corporale reportandum.

Vt adhuc ampliùs quid dicam de lege Sacerdotis: Quando se vestit ad Missam priuatam, si pulsatur signum ad Horam regularem, & nondum stolam misit super collum, exuens se cessat à Missâ, & pergit ad Horam. Item interim, dum Hora cãtatur, si Missam finierit, & ipse venire potuerit in Chorum ante *Gloria* primi Psalmi, Conuersum dimittit cum vestimento complicato, vel non complicato, & ipse pergit ad Horam. At si venire non potest, non se mouet à loco, nec Conuersus, quousque Hora finiatur. Hæ sunt autem vices, in quibus Sacerdotes possunt huiusmodi Missas absque licentia cantare, quotidie ante Primam, si tamen Prima non conjungitur Matutinis laud. vt sæpiùs in hyeme; & post Capitulum vsque ad Tertiam, aut si Capitulum est, post Tertiam vsque ad Sextam, nec minùs post Nonam, si tamen Fratres non ierint dormitum. Aliquando post Euangelium majoris Missæ aliquis Sacerdotum licentiam accipere potest, quod tamen reprehenditur, si frequentare voluerit & in vsu habere.

CAPVT XXXI.

De Subdiacono: & de Cantoribus Gradualis, vel Alleluia, & Tractus.

SVBDIACONVS, qui lecturus est Epistolam, cum Sacerdote processurus ad Altare, portat textum Euangelij, & ponit in medio Altaris: puluillum non portat, nisi quando dies est solemnis. Inchoans Lectionẽ, vel eâ finitâ, ad vtramque vicem facit antè & retrò ibidem vbi lecturus est. Similiter sunt facturi qui cantant Responsorium, vel qui Alleluia, vel Tractum seu Canticum: quæ cùm in pri-

Digitized by Google

uatis diebus non niſi communiter cantantur à Conuentu, ſi quod feſtum ampliùs in ſeptimana euenerit, cantanda ſunt iterum ab ipſis à quibus & priùs in Dominica ſunt cantanda. Quòd ſi omnes in cappis vel in albis, Armarius innuit quibuſcunque voluerit pro eis cantandis : quod & facit ad Proſam, ſi quando eſt cantanda, & ad hanc antè & retrò nec in fine nec in principio eſt gerendum.

CAPVT XXXII.

De Diacono.

DIACONVS Sacerdotem præcedere ſolet ad Altare; Sacerdote inclinante ſe ad Orationem, ipſe quoque ſtat ſimiliter inclinis : Sacerdote ſe erigente gerit antè & retrò. Accedit vt ſiniſtrum cornu Altaris oſculetur : pergit ſtare contra Sacerdotem, vt confeſſo confiteatur. Porrigit incenſum, quo impoſito porrigit quoque ipſum thuribulum ; quod poſteà recipiens, ſi eſt dies ſolemnis, incenſat Altaria quæque proxima Choro, & maximè ipſius Altaris principalis cornua poſteriora. Cùm Sacerdos ſederit, ipſe quoque ſedet, priùs tamen Sacerdote innuente, nec ſedet abſque licentia eius. Finito Euangelio facit antè & retrò ; item Miſſâ finitâ : Ad cujus finem nunquam pronuntiat *Ite Miſſa eſt*, niſi etiam *Gloria in excelſis* canetur.

CAPVT XXXIII.

De Seruitoribus Eccleſiæ, & de his quos appellamus miniſtros Altaris.

SERVITORES præter hoc munus quod thuribulum & candelabra deportant, diligenter obſeruant vt nunquam deſint ad obſequium Sacerdotis. Leuitæ quotieſcunque ad vllum diuinum opus ſe induunt, poſt conſummationem operis ipſa indumenta deponunt, vel ſi opus habuerint aqua & manutergio, ſcilicet manus lauaturi.

Item quotiens alteruter illorum incensat Altaria, vnus de eisdem seruitoribus jugiter illos comitatur. De his, quos appellamus Ministros Altaris, quantum dicendum videbatur, superiùs est præmissum.

CAPVT XXXIV.

De Lectore ad Mensam.

MENSÆ Lector finitis majoris Missæ solemnijs veniens ad gradum facit antè & retrò; & ter hunc versum toto Conuentu respondente pronuntiat: *Domine labia mea, &c.* Prosequitur Sacerdos ea benedictione: *Saluum fac seruum, &c. Mitte ei auxilium, &c. Dominus custodit te, &c. Dominus custodiat introit. &c.* &, *Auferat à te Spiritum elationis, &c.* Iterum qui lecturus est inclinat vt priùs. Ante refectionem generalem de pane vinóque prælibat, juxta præscriptum sancti Benedicti. Ad Matutinalem seu majorem Missam post Euangelium accipiens librum in quo legendum est, & secedens in minorem Chorum intendit his quæ sunt legenda. Quòd si juuenis est in custodia positus, tunc non ita secedit, & quantum legit, legit in ipso Choro. Librum autem, in quo legendum est, in Refectorium portat & reportat qui legit ad seruitores. Et quia nullus Fratrum quicquam gustauerit priusquàm Lectio est imposita, cùm primùm Domnus Abbas, vel Prior consederit, petit Lector benedictionem, & accelerat Lectionem adoriri. Quâ finitâ veniens ad gradum antè facit & retrò. In septimana si vno die Lectionem intermiserit, & alium Fratrem, vt pro se legat, rogauerit, non reprehenditur. Quod si ampliùs, nisi pro infirmitate, & hoc petens veniam in Capitulo monstrauerit, notatur.

CAPVT

CAPVT XXXV.

De Coquis.

HEBDOMADARII Coquinæ ſolent quatuor eſſe. Quod primò faciunt, pulſato ſigno ad Veſperos, & oratione facta, pergunt in coquinam vt accipiant fabas: poſt Veſperos lauant eas diligenter aquâ ter infusâ, in qua etiam faciunt eas pernoctare caldario bene cooperto. Ad mandatum illis, qui in præterita ſeptimana ſeruierunt, pedes Fratrum lauantibus, iſti præcincti linteo tergunt, & ad manus manutergia præbent. Cum quibus mandato etiam expleto, venientes ante Domnum Abbatem antè faciunt & retrò. Item Matutinis laud. Dominicæ diei expletis, illi ad gradum venientes Deo gratias agunt pro conſummatione peracti obſequij, hunc verſum ter cum totius Conuentûs reſponſione dicentes: *Benedictus es Domine, &c.* Iſti idem obſequium facturi Dei adiutorium petunt, ita dicentes: *Deus in adiutorium, &c.* Pro illis dicendi ſunt à Sacerdote hi verſiculi, eáque Collecta: *Saluos fac ſeruos, &c. Conuertere Domine, &c.* Oratio, *Deus cui humilium, &c.* Pro iſtis, *Saluos fac, &c. Mitte eis, &c.* Oratio, *Miſericors, ac piiſſime, &c.* Priùs etiam quàm Conuentus exeunt de Eccleſia S. MARIÆ, vt ſe poſſint calceare, & interim deſcendere dum ad neceſſarias eſt Conuentus, manus & faciem lauant, faciunt, vt moris eſt, tres orationes in Eccleſia ſi intrare potuerint: Si non, prope fores Eccleſiæ. Intrantes coquinam iterum lauant fabas ternis aquis, & ſic mittunt ſuper ignem. Aqua caldaria ferueſcente, & ſpumas bulliente, eijciunt eas jugiter tranſuerſo cocleari, ne fortè ſimul cum ſpumis fabæ ſupernatantes proijciantur: quas etiam fundo ſæpiùs cum ipſo cocleare diuerſant, ne cùm mandi debuerint, ſapiant ignis odorem. Follicula fabarum, cùm ſe incipiunt aperire, non permittunt eas ampliùs ſuper ignem: aquâ frigidâ ter iterum refrigerantur, & iterum cocleari huc & illuc diuerſantur: Mittuntur in vnam cuppam habentem cooperculum optimè compaginatum: cal-

darium quoque, in quo coquebantur, intrinſecus vſque ad nitidum lauatur; quo ablato ab igne ſtatim aliud dependitur, vt aqua calefiat, quâ ſcutellæ ſunt lauandæ.

Reclinatur etiam tabula ad parietem inclinata, qua cùm lauatæ fuerint pauſentur; & ipſa tabula tota deſuper infunditur aqua, & tergitur ſcopis. Priùs tamen conſueta inclinatione præmiſſa, ter rurſus eundem verſum dicunt quem in Choro dixerunt; Sed hîc adjuncto tertia vice, *Gloria Patri, &c.* & Dominica ſimul oratione, & verſiculo *Adjutorium noſtrum, &c.* iterum facto antè & retrò, ita demum tabulam reclinant. Cantant omnes Horas regulares, more Canonicorum: Veſperos pro fidelibus Defunctis loco ſuo imponunt, & ad vltimum *Verba mea.* Effuſa autem aqua, qua lauantur ſcutellæ, infunditur ea calefacienda, quâ olera ſunt coquenda. Quòd ſi Matutinæ laud. tardiùs expleantur, vt aliquando contingit, maximè in feſtis præcipuis, & æſtiualibus; & ſignum ad Primam maturiùs eſt pulſandum, tum priuſquàm quidquid aliud faciant, tabulâ reclinatâ Horas adoriuntur; quia ſi quid remanet quod ante Primam non cantauerint, non eſt conſuetudo vt poſt Primam cantetur in manifeſto. Quâ finitâ, vel ſi eſt in priuatis diebus poſt Euangelium Miſſæ matutinalis, olera caldario immittunt, & poſt Capitulum in altero fabas iteratò. Accipiunt lardum, quod cùm aliquantulum coctum fuerit cum oleribus, exprimunt inde ſaginam fabis ſuperfundendam. Propter quod tamen ad majorem Miſſam non omnes ſe ſubtrahunt, ſed duo tantùm, & præcipuè ſi qui eorum ſunt idiotæ. Quibus antè debet à commilitonibus indultum eſſe, vt aliquam priuatam Miſſam poſſint audiuiſſe. Hi, vt præmiſſum eſt, fundunt ſaginam; Per hos fabæ iterum calefiunt. Hi ſi opus viderint, pro moroſa coctione vt ampliùs aquæ ſuper olera mittatur, quantum mittere volunt, primùm in ſartagine calefaciunt, quia ea natura eſt olerum, vt de aqua frigida ſaporem habeant deteriorem: Vnde caueatur etiam cùm mittenda ſunt in caldariam, vt non de alia aqua quàm de feruida lauentur: fabæ non condiuntur, nec adipe * ſparguntur, niſi quando fuerint percoctæ, ne fortè mora longiore ſal eua-

al. * Sal.

neſcat, & ſi vnus coquorum voluerit, non eſt illicitum de ipſa fabarum aqua paululùm prælibare, vt probet ſi benè ſint conditæ.

Ad mixtum non accipiunt niſi quod S. Benedictus præcipit, quartam partem panis abſque libra ſua, & de vino ſimiliter. Finitâ Horâ poſtquam fratres ſunt refecturi, celeriter exeunt vt fabas adminiſtrent; quas, qui prior eſt coquorum, ſi tamen benè nouerit, & hujus eſt valetudinis, cum cocleario ad hoc facto mittit in ſcutellas, alij portant ad menſas à principali menſa incipientes. De oleribus è contrario fieri ſolet, quæ ita adminiſtrant, vt à nouiſſimo incipiant. Scutella poſita cum oleribus ipſis ante Domnum Abbatem, vel Priorem, qui eam appoſuit cum ſigno mediocri licentiam quærit à præſidente vt ſcillam ſonare jubeatur: quo annuente paululùm inclinat, & ad ſcillam veniens tandiu ſonat, vt ſinguli deglutire poſſint quod habuerint in ore, vt ſint expediti ad reſpondendum benedictioni Sacerdotis: quæ etiam dum ſit completa, interim præfatus dapifer ſtat inclinis ante architriclinum, & tunc antè façit & retrò. Quod medium datur inter fabas & olera per tres dies in ſeptimana, id eſt feria 2. 4. & 6. ſolet eſſe pitancia; alios tres, generale. Generale appellamus, quod ſingulis in ſingulis datur ſcutellis. Pitancia quod in vna ſcutella duobus; verbi gratiâ, aliquando pro pitancia abſque ſcutella vnum crudi caſei fruſtum, vel quatuor oua: pro generali oua quinque, & caſeus nunquam niſi coctus. Sed ſi quid eſt generale, à nouiſſimo incipit adminiſtrari, & ad hoc ſcilla ſicut ad olera pulſatur. Pitancia verò à Priore; & de hac Hebdomadarij coquinæ nihil omninò ſe ex debito intromittunt, ſed Cellerarius quibus ad hoc innuerit, cum his eam adminiſtrant; quidquid eſt generale hoc apportant, & niſi piſces ſint, quos Cellerarius ipſe ſingulis eis ſuggerentibus apponit: ſi eſt alius generalis, adhuc vnus eorum ſcillam ſonat, ſcutellas colligit eas ſolas in quibus fabæ oleráque ſunt adminiſtrata. Propter quas etiam vnus jugiter remanet in coquina, qui eas ita recens ollitas* abluat eadem aqua, qua diluculò ſunt lauatæ, ne ſi comeſtorum reliquiæ induruerunt, major fiat abluendi difficultas. Ea-

* *id eſt*, olera illitas.

Digitized by Google

dem diligentia est & de caldarijs, vt & ipsa lauata sint, si non antè, priùs tamen quàm seruitorum refectio finiatur. Focus autem cautè cooperitur, vt in crastinum viuus & non extinctus possit reperiri. Post Vesperos iterum fabis jam lotis, pro gratiarum actione dicunt præfatum versum: *Benedictus es Domine, &c.* eodem modo quo alterum in matutino dixerunt. Sed si voluerint duos dies expedire possunt de lauatione scutellarum, id est, in secunda & sexta feria, in quibus pro consuetudine Cellerarius contradicere non potest, vt eas in Cellarium diluculò portatas non commendet famulis suis propensiore studio lauandas. Veniente Sabbato post Nonam vel post Vesperos scopant Coquinam, totas sordes, quæ fiebant per occasionem cinerum vel lignorum, foris ostium accumulant, vt inde per famulos Cellerarij efferantur. Calefaciunt aquam ad mandatum, & eo die differtur versus, *Benedictus es Domine*, vsque dum mandatum sit peractum, & in Refectorio etiam Lectio collationis jam finiatur. In sequenti autem Sabbato, cùm noster aquæductus limosam habeat aquam, scopant vtrumque lauatorium, vel quod est ad vsum Ecclesiæ, vel quod ad manus. Item scopant necessarias, fœníque reliquias per totam septimanam expansi congerunt ad murum: Et si est tempus æstatis, per totam illam septimanam post Nonam in Refectorio aquam propinant.

CAPVT XXXVI.

De vtensilibus Coquinæ.

HÆc sunt autem vtensilia quæ nunquam debent in Coquina deesse. Primùm tria caldaria, vnum ad fabas, alterum ad olera, tertium simul cum tripode ferrea; vt si quis pannos suos lauare voluerit, lexiuiam facere possit. Cuppæ quatuor, vna ad fabas reseruandas quando fuerint ita semicoctæ; altera in qua cadit aquæductus, & in qua olera priùs lauantur quàm in caldarium mittantur; tertia in qua scutellæ; quarta ad hoc solùm vt aqua calida

Digitized by Google

in eam mittatur ad mandatum, & ad raſuram, quâ Fratres inter radendum vtuntur; quam & calefacere debent qui in priore ſeptimana ſeruierunt. Item quatuor coclearia, vnum ad fabas, alterum ad olera; tertium non adeò grande ad ſaginam exprimendam; quartum eſt ferreum ad focum cineribus cooperiendum, ad quem componendum vel diſtrahendum eſt etiam eiuſdem generis forceps. Item quatuor paria manicarum, ne ſtamineorum manicæ Fratrum de nigredine Coquinæ familiari ſordidentur. Duo paria palmariarum *, quæ ita Romanicè appellantur, manúſque deffendunt à calore caldarij, quando recens ablatum ab igne quoque eſt mouendum vel inclinandum. Tria manutergiola, quæ & in omni quinta feria mutantur, miniméque manus ad ſolita tergunt manutergia, quæ pendent in Clauſtro. Vnum cultrum ad lardum incidendum, & ſimul cotis ad acuendum. Vna patella ad aquam ſi opus fuerit calefaciendam, & adipem fundendum: Altera, quæ eſt permodica, in fundo minutatim perforata, vt ipſe adeps coletur. Vna pixis in qua ſal recondatur: Vnum ſcrinium in quo minora quæquæ recondantur. Vna vrna, qua aqua hauriatur: & ſcopæ duæ quibus caldariæ poſt coctionem ſcopentur. Duæ retis abciſiones, quæ faciant ad ablutionem & ſcutellarum & caldariarum. Duæ tabulæ ad ſcutellas; vna in qua ponantur poſt refectionem vtcunque lauatæ; altera in qua diluculò quando ad perfectum debent eſſe lauatæ. Duo ſedilia, quæ bancos vulgò appellant: vna cella quadripoda & ſubmiſſa, ſuper quam ponatur cuppa cum oleribus, quando ſunt in caldaria mittenda. Vna petra major etiámque molaris, ſuper quam iterum ponitur caldarium ſiue ſint fabæ, ſiue olera, quæ adminiſtrantur: altera ſuper quam & altera cuppa ponitur, de qua ſcutellæ lauantur inter reficiendum: Vnus follis ad ſufflandum ignem: Vnum flabellum vimineum ad ventilandum. Vnus contus ad ſupportationem caldariorum, alter ad ignis dimotionem. Vnus canalis in quo lexiuia jugiter habetur propter manus frequentiùs lauandas: Duo quoque trigoni, vterque de tribus lignis, licet imparibus angulis ſint facti, qui in modum oſtiorum huc & illuc ver-

* genus chirothecarum.

sari possunt. In his pendent cathenæ quibus caldaria suspenduntur, suspensa implentur aqua propè aquæductum, & ita deducuntur absque labore vsque super ignem. Sciendum quoque quòd pro nulla necessitate aliud quid coquitur in coquina regulari præter fabas & olera, nec etiam aliud genus leguminis. Nam ipsæ quoque fabæ quando sunt ita nouellæ, pro quibusdam deliciis cum pipere condiuntur, non coquuntur à Fratribus, sed à famulis in alia coquina: Scriptor tantùm si incaustum temperare voluerit, non prohibetur. Et si quis vult calceos vngere, prouidebit horam competentem, id est, in æstate ante Primam, & in hyeme ante Tertiam, & si meridiana non agitur, post Nonam: Si tamen seruitores non habent ampliùs administrare. Pueri quoque candelas, quibus opus habuerint, faciunt in ipsa coquina cum magistris suis.

CAPVT XXXVII.

De his qui faciunt Mandatum.

* Mandatum, *vox Ecclesiastica*, pro lotione pedum sumitur, quia tunc canitur Antiphona, *Mandatum nouum do*, &c. ex Euangel.

BREVIS clauditur cum his tribus qui notantur ad Mandatum * quotidianum, quod inchoatur in capite jejunij, & perdurat vsque ad Calendas Nouembris omni die siue vna vice, siue duabus comedatur: agitur post cœnam. Sanè Conuentu exeunte de Ecclesia, post versum exeuntes colligunt se qui id facturi sunt ad ostium, & impositio Psalmo *Miserere*, pergunt in eleëmosynariam domum; vbi offendunt tres pauperes sedentes pedibus nudatis, contra quos etiam veniam petunt. Finito Psalmo & Antiphona imposita, *Mandatum nouum, &c.* pedes pauperum lauant, tergunt, & osculantur. Lauatis primùm proprijs manibus ad manus pauperum aquam & manutergium præbent. Scillulâ percussâ, cessatur à cantu, pulsatur tandem & benedictio datur super panem, & vinum pauperibus eroganda. Panis mittitur eis in dextram, vinum in sinistram, & manus vtraque osculatur. Inclinant se ad orationem, quæ est hujusmodi: *Ostende nobis. Kyrie*

Digitized by Google

eleïſon. Pater noſter. Suſcepimus Deus miſericordiam. Tu mandaſti. Oratio : *Adeſto Domine officio noſtræ ſeruitutis, &c.* Facto antè & retrò , & præfato Pſalmo rurſus impoſito recedunt. Cùm autem venerint ad Fratres in Clauſtro ſedentes, inclines incedunt, & Fratres eis tranſeuntibus ſimiliter inclines aliquantulùm aſſurgunt. Perueniéntes cum ipſo Pſalmo in Chorum ad gradum, iterum dicunt orationem Dominicam, & verſum ; *Et veniat ſuper.* Oratio. *Actiones noſtras quæſumus Domine.* Totum clauditur conſueta inclinatione. Loquela quoque noſtra hîc eſt claudenda. Etiam dabis licentiam abeundi, qui cùm peregero quod injunctum eſt mihi, potero ſi placuerit reuerti ; & ſi qua modò remanſerunt , tunc ſpero perorare. Hoc eſt, inquit , quod deſideramus , quod rogamus ; vt quia nec audemus contra voluntatem tuam modò te detinere , cùm reuerſus fueris , nequaquam per aliam viam quàm per nos reuertaris , vt quod pro vtilitate animarum noſtrarum, talíque affectu inchoaſti , perducere poſſis ad conſummationem.

LIBER TERTIVS CONSVETVDINVM CLVNIACENSIVM.

Pro Singulis Obedientijs.

PRÆFATIO.

BEATVS HIERONYMVS in quadam ſuadet Epiſtola, vt qui Monachorum nomine cenſemur, rogati rarò accipiamus , rogantes nunquam. Quod cùm legiſſem, vt fatear quod verum eſt , adeò mihi complacuit , vt de cætero ejuſdem verbi non poſſem immemor eſſe. Vt au-

tem jam in alio loco memini, senior noster Domnus Abbas cùm me in Allemanniam direxisset, videlicet ad Regem, & ad quendam Regalium diuitiarum Pontificem, ita mihi contigit, vt aliquam paterer necessitatem vtensilium ad tam longinquam viam redeundi. Tamen non valens aufferre à memoria quod suasum erat à præfato Christi Philosopho, & à meipso adeò probatum, posui ori meo custodiam contra stimulum necessitatis ingruentis, vt personæ prænominatæ nihil omninò à me rogarentur, cùm ipsæ quoque nihil omninò sua sponte largirentur. Ita egens iteratò veni ad Domnum Abbatem Willelmum, qui me pridem discedentem à se adjurauit, propter quod à me non benè potuit omitti, vt ad eum peracta legatione, quæ mihi erat injuncta, non redirem: & tunc quid fecit ille? certè non expectauit vt à me quidquam rogaretur; nam quibuscunque opus habueram, priusquàm vel scirem, omnia prouidit, & vellem nollem, accipere coëgit. Qui adhuc etiam insuper impendebat omnia officia & obsequia, quæ ille potuit vllo modo æstimare vt pertinerent ad charitatem, ita vt grauatus cæsarie, cùm tonsorem quærerem, non me pateretur alium habere quàm seipsum. Item, sacram Hostiam oblaturus, cùm ad hoc ministrum quærerem, non me pateretur habere alium quàm seipsum. Sine fuco imitatus est illum, qui venit non ministrari, sed ministrare. Amator autem præcipuus totius religionis, & specialiter nostro deferens Monasterio, quasi alteri paradiso, enixiùs me rogauit, vt quod adhuc de vsibus nostris supereſſet, perorarem. Cui vt morem gererem, ita tertiò sum exorsus.

CAPVT I.

De Electione Abbatis.

DE Officijs, vel, vt regulariter loquar Obedienciarijs nondum quicquam dixi. Quarum omnium cùm sit principalis obedientia Domni Abbatis, sit etiam principium relationis nostræ. Igitur eius ipsius primitiua electio hoc

hoc habet quaſi legitimum ſempiternum, quòd ad eam nullus mortalium ſolet intereſſe, præter eos ſolos qui ſunt Eccleſiæ noſtræ profeſſi. Et Domnus Abbas, quem Deo donante habemus impræſentiarum, cùm Prior eſſet loci noſtri, in ipſo loco & generali Capitulo proſtrauit, & de Canticis quindecim graduum ſeptem prima decantauit; & ipſe Domnus Prior alijs adhuc proſtratis ſe leuans hanc dixit orationem, & ſine oratione Dominica, *Adſumus Domine ſancte Spiritus: Adſumus peccati quidem immanitate detenti, ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati; veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi in cordibus noſtris: doce nos quid agamus, quò gradiamur; & oſtende quid efficere debeamus: vt te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Eſto ſalus & ſuggeſtor & effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre, & eius Filio nomen poſſides glorioſum. Non nos patiaris pertubatores eſſe juſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem, vt in ſiniſtrum nos non ignorantia trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris vel perſonæ corrumpat; ſed junge nos tibi efficaciter ſolus tuæ gratiæ dono, vt ſimus in te vnum, & in nullo deuiemus à vero: qualiter in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis juſtitiam, vt & hìc à te in nullo diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia æterna.* Reſponſum tamen eſt ab omnibus, *Amen.* Quos iterum conſidentes Prior compellauit ſuadens vt de præſentiâ diuinæ gratiæ nequaquam dubitarent. Pollicitus eſt quoque pro parte virili, quòd nullum omninò eligere poſſent, etiam ſi minimus eſſet puerorum, cui volens & abſque omni typo non obediens eſſet.

In electione S. Hugonis in Abbatem quid acciderit, refertur.

Beatus autem Pater Odilo rogatus in extremis ſuis, quid ſibi de ſucceſſore videretur, non acquieuit ad hoc quenquam nominare. Tantùm cùm aliquot perſonarum majorum & probabiliorum, excepto Priore, meminiſſet, probauit, vt quiſquis per illas eligeretur, cæteri omnes conſentirent. Quod cùm relatum eſſet eadem vice in Capitulo à quodam fratre, qui ad finem S. Patris interfuit, per hanc occaſionem Priore diſſimulato compulſus eſt clauſtralis Prior à cæteris majoribus, vt primus ediceret quid ipſe de

gerenda electione sentiret: ille autem hæsitans & tandem ratione conuictus, cùm mutare non posset vt non responderet, Priorem nominauit & elegit. De cætero nullus erat qui contra hanc sententiam vel aliquantulùm mutiret, sed omnes pariter laudauerunt. Solus electus reclamauit, asserens quòd non sibi benè consuluissent, & si scire possent qualis futurus esset, quem jam probauissent huius austeritatis esse, huius præsumptionis in officio minore, vt jam pleraque præsumpsisset ab alijs Prioribus minimè præsumpta. Inter verba lacrymæ quoque satis fundebantur, vt planè daretur intelligi juxta elogium cuiusdam, non aliud esse promptum in lingua, & aliud in pectore clausum. Sed quicquid ipse prætenderet nihil obtinuit; & impositâ Antiphonâ, *Confirma hoc Deus*, cantatus est Psalmus LVII. *Si verè vtique*, alta voce; & sic deductus est in Ecclesiam. Secuta est oratio, *Actiones nostras quæsumus Domine.* Statuitur electus in loco Abbatis, & imponitur Hymnus, *Te Deum laudamus.* Ad cuius secundum versum singuli Fratres veniam petentes inceperunt eum osculari. Talis erat ambitio primùm eligentis ad prærogatiuam electionis, talis electi ad obtentum prælationis. Quod cùm non sit indignum memoria posteritatis, ipsis quoque posteris vtinam libeat imitari.

In sequenti autem die Bisontiensis Archiepiscopus inuitatur ad Capitulum, nuntiatur ei de electione; rogatur vt electum pro solemni ritu ipse benedicat: Annuit voto se impensissimo facturum, non quòd rogaretur, sed quidquid à quolibet ipsorum paruissimo præciperetur. Ter autem omnes adjurauit Episcopali authoritate, vt si cui aliud quid de persona, quæ erat electa, videretur, pro quo eius ordinatio non posset esse legitima & secundum Deum, non taceret, nec dissimularet, sed ad præsens ad medium proferret. Sed cùm neminem inuenisset, quicquid huius generis dixisset, electione in præsentia Archiepiscopi rursum confirmata, rursus quoque imposita est Antiphona, *Confirma hoc Deus*, cum Psalmo supradicto in Ecclesiam procedendo. Tertia verò die scilicet in Cathedra S. Petri, cùm electus benedicendus esset, indutus est alba, stola &

Digitized by Google

cappa, & Archiepiſcopus ſimiliter, & adhuc duo Abbates qui electum ad benedicendum in manibus deduxerunt. Stratis ante Altare tapetibus ſimul omnes quatuor proſternunt ſe ad orationem: Cantatur breuiter letania, Poſt nouiſſimum *Kyrie eleiſon*, & poſt Dominicam orationem, ſurgit Antiſtes dicturus, *Et ne nos inducas. Saluum fac ſeruum. Mitte ei. Hic accipiet benedictionem. Domine exaudi. Dominus vobiſcum.* Inde ſequitur benedictio: Qua ſolemniter expleta iteratò pſallitur Hymnus, *Te Deum laudamus*, &, ſicut priùs, recèns benedictione confirmatum oſculantur. His breuiter de Domno Abbate exempli gratiâ prælibatis, repetatur quod ſine perſonali acceptione generaliter pertinet ad ordinem noſtrum, & ad illum quicunque officio functus fuerit Abbatis.

CAPVT II.

De Domno Abbate *.

al. * *De generali officio Domni Abbatis.*

DOMNO ABBATI, in omni loco, vt dignum eſt, ſingularis reuerentia defertur. Primùm in Eccleſia quotiens Antiphonam impoſuerit, & poſt impoſitam inclinauerit, omnes quoque contra illum inclinant. Quandiu eſt in Conuentu, nũquam omittitur vt non ad octauum Reſponſorium notetur, & ad duodecimam Lectionem, ad quam incedenti & recedenti vniuerſi aſſurgunt, quanquam antè faciat & retrò, non ad gradum vt alij, ſed prope ſedem ſuam, medio tamen Choro, ne diutiùs ſtare debeant propter illum. Propter quod etiam finita Lectione ſurſum ipſe moratur, ne deſcendat, vſque dum ſurrexerint ad *Gloria Patri* Reſponſorij cantati. Si quando Reſponſorium cantatur ad gradum, quod ipſe cantat, cantat in ſede ſua cum Concentoribus ſuis accedentibus ad eum, & ſtantibus retrò Sed & Cantor ſemper ad eum venit priùs prænuntians quæcunque Antiphona eſt ab ipſo imponenda, vel quodcunque Reſponſorium cantandum. Ad eum quoque pertinet vt legat Euangelium quotiens poſt Nocturnos eſt legendum: Ad Cantica quoque Euangelij quæ

dicenda ſunt vel ad Matut. laudes, vel ad Veſperos, non alius Antiphonas imponit. Sacerdos oblaturus incenſum priùs ad eum portat, vt per eius manum in thuribulum mittatur. Item Diaconus ante Euangelium, & qui tenet Chorum ante Offerendam. Qui ei tale quid in manum dederit, vel ab eo recipit, ſiue in Eccleſia, ſiue extra, manum oſculatur. Qui ipſum fuerit oſculatus, excepto ad Miſſarum ſolemnia, & antè & pòſt veniam petit. In medio Dormitorij eſt lectus eius prope murum: Sonitum ipſe facit quo Fratres diluculò ad ſurgendum excitantur: quòd ſi fortè aliquando ita obdormierit, vt priùs pueri ſurgant quàm ille, tunc non tam vehementer adoriuntur legere vt ſolent, ſed ſubmiſſa voce, ne grauiter ab eis excitetur. Quòd ſi in coquinam ad ſe calefaciendum venerit, & Fratres occupatos Pſalmodia offenderit, pro eius reuerentia vſque dum exierit omninò conticeſcunt. Signum quod pulſatur, & quo dimiſſo hora inchoatur, non dimittitur vſque dum ipſe veniat, vel eius Vicarius, vt non expectetur. Ad Capitulum vel ad collationem fratribus jam conſidentibus, ſi ipſe interuenerit poſteà, non modò aſſurgunt, ſed etiam de ſcabello pedes ad terram ſubmittunt. Nomen eius in breui quoties recitare audierint, ſi præſens eſt, omnes, ſicut & ipſe, inclinant. Si de qua conſuetudine dubitatur, quidquid inde definierit, de cætero quaſi pro lege tenetur: & ſibi ſoli eſt repoſitum, vt quemlibet Fratrem mittat, vt aiunt, in culpam grauiorem.

CAPVT III.

De grauiori culpa, & alijs generibus culparum.

FRATER qui talem incurrerit lapſum, venturus in Capitulum primùm pedes nudat, capicium quoque ſtaminei ſui dextra leuáque inciſione laxatur, vt brachia poſſit per ipſum extrahere, & ſtamineum cum manicis circa femoralia ligare: accipit virgarum manipulum manu dextra, & in læua cuculla decenti complicatione pendente, vnus eum Frater ad hoc deſtinatus antecedit. Ita veniens ad

conſpectum Domni Abbatis, virgis cucullâque ante ſe poſitis, veniam petit. Iuſſus vt ſurgat, ſedet ad terram & cucullam ſuper genua ponit. Verberatur quantum fuerit viſum Domno Abbati. Poſt hæc jubet eum exire ad induendum: rediens iterum ſe proſternit. Cùm audierit à Domno Abbate, abite. protinus caput flectit, capellum induit, ad deſignatum talibus locum tendit, ibi manet, dormit, comedit, quando & quod præcipit Domnus Abbas. Ad omnes Horas prope oſtium Eccleſiæ ſtat capellatus, donec *Kyrie eleiſon* incipit Conuentus, tunc capello abſtracto, ſolo tenus ſe proſternit, nec ſe leuat vſque dum Hora ſit finita, & ſi Fratres debent exire, vſque dum omnes potuerint exiſſe; & cùm intrauerint Capitulum, tunc etiam ſimiliter ſe proſternit, & poſteà ad familiarem manſiunculam recedit. Ad ambas Miſſas manet in angulo Capituli qui Eccleſiæ proximus adhæret. Nullus ei loquitur, nec etiam ille qui miniſtrat ei. Cibus non benedicitur qui ei defertur. De induſtria tamen Domnus Abbas facit aliquos ſeniores ad eum accedere, qui eum exhortentur, vt quicquid ei correctionis temporaliter fuerit irrogatum, totum habeat gratum, vt diuinæ gratiæ poſſit reconciliari. Cùm viſum fuerit, concordat etiam cum eiſdem ſenioribus, vt pro reo, & pro eius abſolutione in Capitulo veniam petant, maximè ſi verè ſunt experti, & teſtari poſſunt quod pro reatu ſuo ſpiritum habeat contribulatum, cor contritum & humiliatum: Annuit communi Fratrum aſſenſu, vt faciat cum illo miſericordiam, & mittit pro eo. Nudat ſe eodem modo quo priùs, & cùm veniens vapulauerit, Domno Abbate jubente induit ſe cuculla. Ad cujus pedes & pedes vniuerſorum à maximo vſque ad minimum prouoluitur ſingulatim. Iteratò petit veniam, jubetur exire ad ſe induendum; indutus & reuerſus adhuc etiam veniam petit. Iubetur vt vltimus ſedeat, vltimus ſit cunctorum in omni loco. Interim non communicat, non venit ad pacem, non oſculatur textum Euangelij in Eccleſia; nec ad Lectionem, nec ad cantum, vt alij, notatur; à ſola coquina, vt in ea ſeruiat, & ad mandatum, non prohibetur. Poſt ſingulas horas finitas veniam ita ſuper genua

petit,nec tamen propter hoc conuersus ad Altare. Si quando Fratres vniuersi albis vestiuntur propter aliquam festiuitatem vel etiam processionem, tunc & ipse vestitur. Ad extremum si Domnus Abbas viderit id expedire, talemque eius esse humilitatem quæ id mereatur, interpellatus à Fratribus in Capitulo vocat eum vt surgat, & in medium veniat; quo petente veniam consuetam loquitur consentanea & causæ & personæ, & reddit ei pristinum statum ne ampliùs vllam patiatur ab alijs separationem: cadit ad pedes eius, sicut etiam quilibet alius, tam in Ecclesia quàm in Capitulo, si quando promouerit altiorem.

Sunt autem apud nos adhuc & alia genera correctionis quæ non solùm Domnus Abbas facit, sed etiam, si opus fuerit, Prior. Nam & inde audiui quàm verissimè Domnus Abbas dixit, nullam Monachorum Ecclesiam dehonestari propter quod tale quid committitur ab aliquo Fratre, sed hoc esse quod planè faciat ad ignominiam nostram, si quid nequiter committitur, & absque digna emendatione dimittitur. Idcircò si quis de aliquo flagitio diuulgatur in populo, in præsentia quoque populi solet emendari, vt qui eius excessum cognouerint, cognoscãt etiam eius emendationem. Cunctis enim, qui videre voluerint, videntibus, & maximè in media platea,nudatur,ligatur,& verberatur. At si culpa non est de grauioribus malis, sed fortè vt cum aliquo inhonestè & irreligiosè in audientia popularium contenderit, pro huiusmodi, cùm venerit dies Dominicus, ad initium Missæ matutinalis, concurrente populo ad Ecclesiam, stat ipse nudis pedibus propè fores Ecclesiæ, & vnum codicem grandiusculum tenet in manu: capellum non induit vt ab omnibus possit agnosci: nemini loquitur intranti vel exeunti; vnus famulus semper est juxta illum qui dicat interrogantibus propter quid talis ei pœnitentia sit injuncta. Nec recedit inde vsquequo Missa finiatur. Quòd si quis inobediens, & rebellis aliquo modo fuerit, Fratres ex more non expectant vt præcipiatur comprehendi; sed ipsi continuò irruentes comprehendunt, & cùm fuerit comprehensus, faciunt quod visum fuerit, mittentes eum in carcerem vel in bogas *. Carcer est talis in quem cum scala

al. * boijas.

Digitized by Google

deſcenditur, nec oſtenditur oſtium, nec feneſtram habet. De bogis quoque ſunt quædam leuiores, quædam grauiores, ita vt incluſus nec in dormitorium aſcendere poſſit, & tunc aliàs in cuſtodia dormit. Quòd ſi ipſe qui eſt inobediens, inobedientiam ſuam foris Capitulum aliquo modo monſtrauerit, ſtatim tabula percutitur vt in Capitulum conueniatur. Potuit & tale quid tam præſumptuoſum in præſentia loqui Domni Abbatis, vel Prioris, vt propter hoc etiam non minùs tabula percutiatur, quod eſt ſignum conueniendi.

Vbicunque autem contigerit vt colloquantur Domnus Abbas & aliquis Fratrum, & ſi Frater ſenſerit contra ſe iram & indignationem Domni Abbatis, continuò veniam petere toto corpore proſtrato non moratur. Nullus etiam tranſit ante ipſum vbicunque ſit locorum, qui non altiùs inclinet. In Eccleſia poſt illum ſtat ipſe Sacerdos albâ, ſtolâ, vel etiam cappâ indutus. Ad proceſſionem, ad quam veſtiti ſunt albis qui ad majorem Miſſam ſunt ſeruituri, ante omnes incedit: Ad hanc autem, ad quam vniuerſi albis induuntur, ſicut in majoribus feſtis ipſe indutus eſt cappa. In Conuentu ſi laneam cappam portauerit, vel cappellum induerit, quoties ſibi libuerit, in illo ſolo nemo reprehendit. Ad eius obſequium intraturi Refectorium tenet vnus Frater concas, & manutergium alter: Clericis & peregrinis Monachis, qui ita vadunt pedites abſque jumento, nobiſcũ in Refectorio comeſſuris aquam ad manus miniſtrat; taléſque ſedent ad menſam principalem. Si quid cuiquam mittere voluerit de Refectorio, hoc nec Priori licet, nec alij quàm ſibi ſoli. Solet quoque ſi eſt in domo infirmorum, inde dirigere in Refectorium charitatem ſuam ad quemlibet Fratrum; & Fratrer recipiens non negligentiùs quàm ſi in præſentia eſſet inclinat. Poſtquam nox fuerit, portatur ante illum per omnia laterna, tam in Conuentu quàm extra vſque ad lectum; vbi qui portat obſequitur illi & ad collocandum & ad leuandum. Si quoque in Refectorium iturus, mixtum * accepit, Lectionem ad menſam debet habere: Si jejunus reuertit ad hanc Horam, quâ Fratres accepto jam poſt Sextam prandio, ſecundò poſt Veſperos

* Id eſt portiunculam panis & vini.

cœnauerint, nequaquam cum eis ea vice comedit, sed sustinet vsque dum surrexerint, quia nunquam qui sedet ad scillam debet remanere, quin Conuentu exeunte ipse quoque exeat. Romam quoque profectus, vel in alijs terris aliquandiu moratus, cùm redierit, recipitur cum processione omnibus albis generaliter indutis; & si ipso die competenter fieri possit, aliqua regulari horâ finitâ præuenit omnes de Ecclesia exituros, propè cujus ostium stat aut sedet, & Fratres secum, qui secum erant in via, & singulos exeuntes osculatur: at si in illo die non erit opportunum, in sequente post Capitulum simili modo facit; & pro eius aduentu habent in Refectorio generale piscium, vel quod tantundem valeat, & pigmentum. Fratres qui in eius vadunt obsequio in via jugiter obseruant vt semper sint cum illo in proximo, ne aliquando eis eueniat deesse quando Horam quamlibet cantauerit regularem: & si quis eorum fortè non interfuerit, posteà non eam cantat absque licentia eius. Quoties per vllam villam majorem transierint, ex more nunquam obmittunt induere capellum.

Iterum de Abbate.

Sed vt adhuc redeam in Claustrum; omni die Dominica Domnus Abbas notatur cum pueris ad mandatum: qui etiam, quod alij non faciunt, pauperi, cui lauat pedes, tribuit duos denarios & pueris tribuit vt per ipsos pauperibus tribuantur. Eorundem puerorum confessionem quoties fuerit recepturus, Magister illorum adducit illos vsque ad introitum Capituli, & ibidem expectat redituros. Ad coquinam cùm notatus fuerit, cùm aliàs non sint nisi quatuor, ipse quintus solet esse. Ad duas septimanas in anno, si est præsens & incolumis, non alius vnquam ad majorem Missam quàm ille notatur, id est, Dominicæ Resurrectionis & Pentecostes: in quibus tamen alius Sacerdos Cantore injungente dicturus est Horas regulares, præter Vesperos & Matutin. laudes, & in Refectorio daturus est benedictionem; qui & in illis præcipuis diebus ad Canticum Euangelij non vilìore quàm Domnus Abbas vestitur, vt cùm eo simul Altaria incenset, & collectaneum teneat ad eius obsequium. Natalis Domini, & Natalis Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, Assumptio B. Mariæ, quia

non

non magis in die Dominica quàm in alijs occurrit, tunc Domnus Abbas non notatur ad ſeptimanam, ſed ad ſolos illos dies vtriuſque feſtiuitatis. Quotquot etiam per totum annum majora ſunt feſta, ſi potuerit & voluerit, cantat Miſſam majorem, Veſperos & Matut. laudes.

CAPVT IV.

De Priore Majore.

QVANDO Prior eſt ordinandus, primò Domnus Abbas habet inde conſilium cum Senioribus Congregationis; poſteà refert ſententiam ſuam in Capitulo, & quod ſibi videtur laudant omnes. Quem elegerit, ſi ſapit veniam petit, excuſat ſe ad munus hujuſmodi non idoneum eſſe. Ad vltimum ſi juſſa & injuncta fuerit obedientia, non aliud facit quàm inclinat: ſedet ad ſiniſtram Domni Abbatis. Cùm ſurrexerint de Capitulo, eunt cum pſalmodia ſolita in Eccleſiam majorem; vbi nouus Prior antè facit & retrò, hunc verſum dicendo ter: *Deus in adiutorium*, & totus Conuentus ſimiliter reſpondet. Dat ei ipſe D. Abbas hanc benedictionem: Tuam clementiſſime Pater, omni- “
potentiam ſupplices deprecamur, vt infundere digneris “
ſuper hunc famulum tuum, quem tuo ſeruorúmque tuo- “
rum ſeruitio mancipamus, ſpiritum ſapientiæ & intellectus, “
diſcretioníſque; dona ei in hac domo tua ita agere, & in- “
junctum ſibi officium ita adminiſtrare, vt & tibi placere “
valeat, & vtilitatem ſeruorum tuorum te auxiliante per- “
fectiſſimè expleat, propter quod & hîc & in futuro ſeculo “
mercedem laborum ſuorum in conſortio Sanctorum tuo- “
rum à te piiſſimo largitore percipiat. Per Dominum, &c. “
Quando autem eſt abſoluendus, mittit cum illo verſum: *Benedictus es Domine qui adjuuiſti me*, & tali abſoluitur benedictione.

Domine IESV CHRISTE, qui piè ſeruientibus tibi munificus retributor, & clemens largitor exiſtis, hunc famulum tuum qui in hac domo tua nunc vſque fideliter laborauit, & tibi ſeruíſque tuis obediendo injunctum ſibi te

auxiliante administrauit officium, laboribus suis solita benignitate respondé *, & pius remunerator appare; & præsta vt in hac domo jugiter permaneat, & mercedem laborum suorum & hîc & in retributione justorum à te percipiat, largitorémque omnium bonorum te esse plenissima fide non dubitet.

* respice

Ab hora autem ordinationis suæ post D. Abbatem de omnibus rebus & causis, quæ ad Monasterium pertinent, & spiritualibus & temporalibus se intromittit. Quotquot sunt qui vllam habent obedientiam, ad eum respiciunt omnes; & si tale quid præcipuum acturi sunt, nequaquam agunt omnes absque consilio eius & nutu. In Choro sinistro stat supremus, & in Refectorio ad supremam mensam quæ est ad dexteram D. Abbatis; & si ille non aderit, sedet in eius sede. Sed extra Refectorium nulli mortalium licet ei quidquam mittere. In Refectorio cui voluerit, & quid voluerit, mittit. Si perrexerit ad Obedientias quæ sunt propè & in circuitu, ducit secum duos Fratres & vnum saginarium: Si longiùs, verbi gratiâ, in Prouinciam, duos saginarios, & tres Fratres, ex quibus vnus est super eius famulos & super sarcinulas eius, & vestimentum Sacerdotale cum quo sit argenteus calix. Quandiu autem fuerit in Clausiro, nec Capellanum habet, nec vestimentum aliud ad Missam, quàm & quilibet alius Frater, nec aliquid priuatæ pecuniæ. Quando deforis fuerit reuersus, quidquid huiusmodi apportat, totum Camerario reddit, nec minùs ab illo recipit quidquid habuerit opus. Quod ideò à nostris Patribus præcautum est ne illa mala pestis proprietatis, & præsertim Monachis adeò periculosa, aliquo modo subrepat. Verùm cùm per omnia, vt præmissum est, vicem habeat D. Abbatis, maximè absentis, nescio vnde contigerit, quòd in sola Ecclesia amisit eam, ita vt ego viderim quòd Præcentor & Armarius necdum quidem admodum senex, duodecimam habuerit Lectionem, & Prior octauam. Quod qui voluerit laudet, à paruitate adhuc mea ignoratur quomodò sit dignum vt laudetur.

Digitized by Google

CAPVT V.

De Decanis qui ſunt Villarum prouiſores.

ELVS autem ſuffraganei ad temporalia ſunt illi Fratres qui ſunt Villarum prouiſores, & quos pro more noſtro Decanos appellamus. De quorum, vt ita dixerim, lege ſingulari vt aliqua referam, quotquot ſunt quorum Obedientia ſita eſt infra iter dimidiæ diei, omni Sabbato ad Monaſterium ante Veſperos occurrere debent : nam nec lauatos pannos induunt, nec ſe aliquando radunt præter ibi. Eo die, quo veniunt, poſt ſingulas Horas antè faciunt & retrò, & dicenda eſt pro eis vnà ſimul cum verſiculo Collecta, *Omnipotens ſempiterne Deus noſtrorum temporum vitæque diſpoſitor, &c. Quæſumus omnipotens Deus, vt his famulis, &c. Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere his famulis, &c.* & verſiculi qui præmittuntur ſunt duo; Primus, *Saluos fac.* Secundus, *Conuertere Domine*, vel, *Ecce quam bonum*, vel, *Beati qui habitant.* Pro quibus Collecta tribus vicibus dicta fuerit, quarta vice non eſt dicendum, niſi verſiculis præmiſſis abſque ſalutatione, *Miſereatur veſtri omnipotens Deus.* Quod tamen nec Domno Abbati vnquam nec Priori. Migraturi poſt finitã quamlibet Horam eleuata manu, & ſigno Crucis cum ea contra Domnum Abbatem vel Priorem facto, ita petunt licentiam abeundi; quo annuente, & illis rurſus, vt moris eſt, ad gradum inclinantibus proſequitur Sacerdos his verſiculis, eáque Collecta: *Saluos fac ſeruos, &c. Mitte eis, &c. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam fam. &c.* Qui non niſi vnam noctem foris Clauſtrum morantur, propter hanc ſolam nec cùm abierint, nec cum redierint, habent Collectam. Quòd ſi venienti contigerit vt ipſo die rurſus abeat, & in craſtino redeat, tunc ei non ſubtrahitur quòd habuiſſet in priore die ſi remanſiſſet. Quòd ſi duo vel plures ſint perrecturi, & ante generalem Fratrum refectionem, vel poſteà cum ſeruitoribus comeſſuri, nequaquam ſedent ad vnam menſam, ſed vnuſquiſque in ſede ſua ſedet propter cautionem diſciplinæ: Nec comedit vnquam abſque Conuentu, niſi priùs acce-

Qui ſe gerere debeant qui iter extra Monaſterium arripiunt.

perit benedictionem. Si quis jam de Clauſtro exierit, & ad hoc ſe præparauerit, vt illicò aſcendat ſuper equum, ſi euenerit vt ſignum audiat ad vllam Horam regularem, & adhuc poſitus ſit intra ſepta Monaſterij, armamentis viæ depoſitis reuertitur ad Horam, nec præſumit iterum D. Abbati vel Priori non loqui, vel abſque eius licentia exire. Super caballum aſcenſurus, priùs cappam induit, quàm * frocum corrigia præcingat *. Caballo ſuo nunquam frænа relaxat ad currendum, nec ipſe pedes vnquam currit, niſi propter duas res; propter mortuum & incendium. In via poſitus, ſi eſt priuata dies, & huiuſmodi in qua ad ſingulas Horas venia eſt petenda, ipſe quoque quando quanlibet Horam cantauerit, deſcendit ad terram, abſtrahit capellum de capite, de manibus chirotecas, veniam petit, orationem Dominicam dicit; Vnde ſe leuans ſigno Crucis facto iterum veniam petit, & horâ impoſitâ tenet viam. Pro nullo æſtiuo calore equitat abſque froco in ſola cuculla. Talis famulus, qui ſit imberbis, vel raſus barbam, non ſolet in eius eſſe commeatu. In ipſo loco Decaniæ, famulus qui ei cibum & potum adminiſtrat, nunquam in ſola camiſia adminiſtrat, vel in femoralibus ſolis, niſi etiam froco, vel pellicio, & caligis ſit amictus. Ad quem etiam inter comedendum ſi quid breuiter dixerit pro his quæ ad præſens opus habuerit, de alia loquela tamen longiore cauet. Antequam comedat, dicto verſu legitur quoque aliquid de ſancta Scriptura, vel per alium, vel per ipſum, & in fine ſimiliter antequam ſurgat poſt comeſtionem. Pro nullo commiſſo quenquam verberat ſuorum domeſticorum. Non caret vnquam teſtimonio alterius Fratris, qui ſecum jugiter moretur. Si qua fœmina de alio loco talis ſuperuenerit, cui hoſpitium negare non poſſit, nequaquam cum ea ſedet ad vnam tabulam: de manu quoque fœminæ nihil vnquam accipit. Omni tempore poſtquam nox fuerit, niſi aliqua tali neceſſitate imminente & impediente, alioquin Completorium vlteriùs non differt. Si eſt cuculla exutus, nullum verbum facit tam in nocte quàm in die: Obſeruat etiam ne quoquam ponat eam vbi à ſe longiùs ſit ſeparata, quàm cubitus vnus. Si propter calorem frocum exuerit, in cuculla

al. * quanquam.
f. * corrigiis præcingat.

ſedere poterit, ſed ita vt nec gunellam *, nec pellicium ſubtus habeat nec aliud quidquam quàm ſtamineum ſuum. Nihil cum ingenio lucratur, niſi agros & vineas diligenter exercet, & alit pecora & jumenta. Nihil habet abſconditum, nec in domum extraneum commendatum, quod à noſtris majoribus omninò eſt anathematizatum. Seges & vinum quando ex toto fuerit collectum, venit ex more Prior, videt quidquid habuerit in cellario, quidquid in horreo. Quantum videtur dimittit ad commeatum Decani, & hoſpitum ſuperuenientium, & ad opus agricolandi: quod ſupereſt, jubet ad Monaſterium deferri. Et ipſe Decanus ſi aliquando cœperit infirmari, & in Clauſtro fuerit cum alijs infirmis, de cætero non intromittit ſe de Obedientia vſque dum ſanus ſit; & iterùm eius diſpenſatio tota eſt in manu Prioris. Si quis eius familiaris pro antiqua familiaritate quidquam ei direxerit, hoc non ei, ſed tantùm Cellerario præſentatur, vt non magis ei quàm omnibus expediat infirmis. Quibus etiam poſtquam, quicquid ſit, fuerit expenſum, Infirmarius innoteſcit à quo & per quem hujuſmodi habuerit charitatem.

* Eſt veſtis pellicea.

CAPVT VI.

De Priore Clauſtrali.

CLAVSTRALIS Prior Vicarius eſt majoris Prioris per omnia. Hic eſt quocunque Domnus Abbas proficiſcatur, quocunque Prior, qui in Clauſtro jugiter moratur, & qui præcipuè pondus totius ordinis portat: propter quod tamen in Choro non eſt aliquantulùm promotus, excepto quòd abſente Priore primus offert, primus procedit ad pacem, & primus ad aquam benedictam. Sed quoties duodecim fiunt Lectiones vni de albatis annuit, vt per eum hoſtiæ offerantur, hoc eſt autem quod nullo die dimiſerit. Poſt Completorium accepta benedictione * ſecedit ſtare prope oſtium Eccleſiæ, vt ſingulos poſſit intueri quomodò inclinant ad Altarium, & ad Sacerdotem per quem aſperguntur. Poſtquam omnes exierint, accipit abſconſam *

al. * aquâ benedictâ.

* Id eſt, laternam cæcam.

ab Hebdomadario, quæ cãdelam interius habet accensam, & capello induto totum Claustrum perlustrat. Primò videt si clausa sit & obserata domus eleëmosynaria, coquina regularis, Refectorium, cella Nouitiorum; si quis adhuc sit, & propter quid ante Cellarium; quid agatur in domo infirmorum, si infirmi jam se collocauerint, & quomodò se habeant, si quis eorum adhuc remanserit in Ecclesia S. MARIÆ; ascendit dormitorium, portans secum si quid fortè in Claustro neglectum offenderit, & perspicit omnes necessariarum sedes à fine vsque ad finem. In his omnibus si quid negligentiæ offenderit, in sequenti die in Capitulo reclamat. In hyeme facit aliam circam ad interuallum quod solet esse inter Nocturnos, & Matutinos; & in illa circuit etiam omnia lecta Fratrum, & omnia Ecclesiæ Altaria. Et vt breuiter de eius officio concludam, Si Domnus Abbas non adest nec Prior, non solùm omnes Obedientiarij, qui in Claustro sunt, obediunt eius imperio, sed etiam ipsi ad quodcunque opus fuerit, Decani. Si quem tamen Monachum recipit de alio Monasterio, huic fraternam societatem per omnia tribuere poterit, excepto Capitulo, quod solùm Domno Abbati reseruat. Habet autem & ipse suffraganeos suos; vnum qui suppleat vicem eius absentis in singulis quæ, vt aiunt, ad manum sunt agenda, Circatores, Magistros puerorum, juuenum Custodes.

CAPVT VII.

De Circatoribus.

CIRCATORVM munus est, vt omnes negligentias tam minimas quàm majores, quæ vllo modo contra ordinem possunt contingere, notent, & in Capitulo reclament: & propterea totum Claustrum non semel, sed multoties in die circumeant, vt nec locus sit nec hora in qua Frater vllus securus esse possit, si tale quid commiserit, non deprehendi & non publicari. Igitur Obedientiarij, qui non possunt omittere vt aliquando alijs silentibus de Obedientijs suis loquantur, si quem Circatorum vide-

rintſuperuenire, continuò aſſurgunt, & ſummatim demonſtrant quæ ſit eis neceſſitas loquendi. Domno Abbati & Priori ita deferunt Circatores, vt nequaquam veniant vbi eos nouerint eſſe; quia, vt ſcriptum eſt, non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum.

CAPVT VIII.

De Pueris & eorum Magiſtris.

PVER qui cum laïci vel clericali habitu venit, hunc Camerarius in veſtiarium ducit eodem modo veſtiendum, quo quilibet nouitius veſtitur, præter quod ei non ſtamineum, ſed pro ſtamineo camiſia linea datur. Cùm viſum fuerit Domno Abbati, capellum de froco eius jubet auferri, & cucullam ei dandam benedicit. Iubet etiam vni Fratrum vt puerum offerat vice parentum eius. Qui petitionem, quam facturus eſt, ſcriptam habens confirmat eam ſigno propriæ manus, & poſtea legit eam in aperto, & mittit in manum D. Abbatis. Eſt autem hujuſmodi: *Ego frater N. offero Deo & ſanctis eius Apoſtolis Petro & Paulo hunc puerum nomine N. vice parentum eius cum oblatione in manu atque petitione, Altaris palla manu eius inuoluta, ad nomen Sanctorum quorum hìc Reliquiæ continentur, & Domni Abbatis N. præſentis, trado coram teſtibus regulariter permanſurum, ita vt ab hac die non liceat illi collum de ſub jugo excutere regulæ; ſed magis eiuſdem regulæ fideliter ſe cognoſcat inſtituta debere ſeruare, & Domino cum cæteris gratanti animo militare. Et vt hæc petitio firma permaneat, manu mea ſubterfirmaui, teſtibúſque tradidi roborandam.* Accipit ipſe puer cum offertorio Patenã & Calicem, hoſtia impoſita & vino infuſo, & ita Vicarius ille inuoluit manum pueri cum palla Altaris, vt tam ipſum puerum quàm eius ſacrificium offerat à Sacerdote recipiendum. Poſteà induitur cuculla; & de cætero benedictio eius differtur vſque ad legitimam ætatem, id eſt, ſi non ampliùs vel vſque ad quindecim annos ætatis. Rurſus D. Abbas cùm voluerit eum benedicere, refert hoc Fratribus in Capitulo, & ipſe juuenis ſta-

tim veniam petit, & de schola absolutus venit ad pedes. Tamen ab alijs pueris non recedit vsque ad horam benedictionis : sicut alij nouitij profitetur. Sola cucullæ benedictio non iteratur, nec exuitur, nec induitur, nisi sicut & priùs erat. Pueri autem, qui sunt in Conuentu nostro, non vltra senarium protendunt, & eorum Magistri sunt duo, si non plures, tamen nunquam sunt pauciores. Quorum disciplina est huiusmodi. Primò simul in loco dormitorij jacent, & singula eorum lecta à Magistrorũ eorum lectis sunt discreta. Nullus eò alius accedere præsumit. Si quis eorum opus habuerit in nocte ad necessarias ire, priùs Magistrum sonitu excitat prope se jacentem, qui surgens accendit lucernam, mittit in laternam, surgere facit alium puerum. Eorum alterutro sursum tenente laternam, medius inter illos Magister incedit: Sic nimirum eos ducit & reducit, nec candelam extinguit vsque dum ambo sint recollocati. Cùm autem cuncti se leuauerint ad Nocturnos, eunt simul ad necessarias & pueri & Magistri, vt iam de duobus præmisi. Sedes eis in medio duobus circulis ligneis sunt prænotatæ, in quibus eis venientibus nullus audet vt sedeat. capellum non induunt sicut alij, nisi quandiu sedent: Surgentes stant nudis capitibus inuicem expectantes. Prouidet eorum Magister principalis vt non priùs ad Ecclesiam accedant, quàm omnes potuerint conuenisse, & septem Psalmos sensim & diligenter cantasse. Tunc primùm solemniter venit cum scholaribus suis, & luminaribus, & ipse tres illas fratrum orationes terminat; quas ea vice, vel post Completorium gerunt. Ad Nocturnos, immò ad omnes Horas, si quid ipsi pueri offenderint in psalmodia, vel in alio cantu, vel dormitando, vel aliquid tale vllomodo committendo, minimè differtur, absque mora froco & cuculla exuti iudicantur, & in sola camisia cæduntur vel à Priore, vel à præfato eorum Magistro, virgis vimineis leuibus, & teretibus ad hoc prouisis. Quotidie diluculò cùm primùm in Claustro consederint, antequam aliud quid faciant, altiori voce legunt tres Psalmos, quorum initium est, *Miserere, &c.* Nec quisquam priùs venit ad confessionem quàm audierit hos Psalmos inchoatos esse.

Ad

Ad omnes Horas facies eorum verſa eſt contra Occidentem, quantum puto, vt videri poſſint à Prioribus qui in illa parte ſtare ſolent. Cùm ventum fuerit ad preces, vtrinque illi duo minores vertunt ſe in Chorum; tertius, qui major eſt & ſtat Altari proximus, contra Altare, niſi ad Completorium & ad Primam. Tunc propter confeſſionem duo ſe comparant contra Altare ſuper vnum ſcabellum, & vnus Magiſter eſt medius inter eos, ſicut etiam ad Litaniam, & ad ſingulas orationes in Preſbyterio gerendas, & cùm dicenda eſt confeſſio, tertius accurrit. Ad vtramque Miſſam, ad quam & Priores mutant locum, vertunt ſe omnes pariter in Chorum; & ſimiliter in Sabbato ad proceſſionem quæ ad Veſperos & Matut. laudes agitur ad ſanctam Crucem, & in duodecim Lectionibus ad Tertiam, & ad proceſſionem ſi quam aliquando facimus pro aliqua perſona tali veniente: ad quam ſi aliquando cappis induimur, ipſi non niſi tantùm albis, cùm tamen ad Miſſarum ſolemnia ſi Conuentus indutus eſt cappis, ipſi quoque tunicis ſericis induantur Ad Secreta & Canonem ſi Conuentus eſt inclinis, vel etiam procumbit, ipſi ſtant erecti, præter ad ſolam Dominicam orationem; & vnus eorum Magiſter ſimiliter erectus jugiter eos intuetur. In Clauſtro & in Capitulo vbi ſedent ſinguli, ſingulos truncos pro ſedibus habent, & ita ſeparati ab inuicem, vt ille nec amictum alterius aliquo modo tangat. In Eccleſia eſt eorum diuerſa, propter ſcabella quæ nunc habent, nunc auferuntur: Auferuntur enim in priuatis diebus ad formas tranſuerſas, ſuper quas ad preces quidam Fratrum procumbunt, & ad horarum exordia veniam petunt, vnúmque tantùm remanet ſcabellum, ſuper quod tranſuerſum ſedet maximus puerorum; & ſi interim dum cantatur regularis hora, vel quælibet alia pſalmodia, ſedet verſa facie ad Occidentem. Ad interualla, vt eſt poſt Matutinalem Miſſam vſque ad Capitulum, poſt orationem Tertiæ, majore Miſſa ſtatim conſequente, poſt orationem Nonæ, Fratribus huc vſque jejunantibus, poſt orationem Veſpertinam, ad Canonem etiam Miſſæ, ſi ſedet, vertit faciem contra Orientem. Alij pueri, ſi habent ſcabella, ſedent ſuper illa verſi faciem in Chorum: Si non

habent, sedent super terram, & semper eodem modo quo maximus eorum super scabellum. Ad Lectiones verò Nocturnorum in diebus Festis & Octauis, sedent juxta formam indirectum. Quando autem formæ sunt transuersæ, tunc ita sedent vt & sit transuersum vnum de scabellis, in quibus sedent, & Magistri contra eos in forma quæ semper est posita in medio Chori. Si quando cùm psalmodia defuncto assidetur, pueri de Choro dextro sedent ad caput, qui de sinistro ad pedes.

Quando agenda est processio vt aliquis defunctus à foris allatus recipiatur, post Crucem ipsi primi egrediuntur. Cùm ad portam vestibuli venerint, faciem contra faciem tenent vsque dum Collecta, Absolue Domine, dicatur à Priore: Secedunt paululùm in partem vt transire possint à quibus Crux & alia processionis insignia portantur: quos etiam sequentes vsque in Ecclesia dimittunt eos prope ostium, vt Defunctus ab eis circunstetur, & ipsi protendunt vsque ad Altare sanctæ Crucis, & ibi stant Magistris interpositis in sinistra parte, ne impediant Sacerdotem accessurum ter ad Altare vt incenset. Quod cùm fuerit peractum, & Defunctus ad tumulum elatus, promouent se ex sinistra in mediam Ecclesiam, & versis jugiter ad Altare faciebus Antiphonas & Psalmos imponunt. In omni processione quæ agitur per Claustrum, post Crucem semper incedunt. In Ramis palmarum, & Rogationibus inter idiotas & Cantores. Capitulum cum eis non tenetur in quinque Festis principalibus; in Purificatione S. MARIÆ; in Ramis palmarum; & Ascensione Domini, quoties se radunt, quoties balneant, quoties pannos suos lauant, & opus manuum facimus, vel quoties habemus Defunctum ad Horam Capituli eorum adhuc inhumatum: Ipsum autem eorum Capitulum absque inclinatione suscipitur, tantùm benedictione præmissa. Reclamat alter de altero, si tale quid nouerit de illo, aut si deprehenditur de industria celare, vapulat tam qui celauerit, quàm ille qui deliquit. Sed ea vice vna scilla pulsari solet, vt illi domestici, quibus panis est tribuendus, occurrant ad accipiendum: quâ auditâ nullus posteà puerorum exuitur, & ipsum Capitulum citiùs finitur. Inter

loquendum nunc Cellerarius, nunc Camerarius veniunt ad eos, vt audiant ſi quid opus habuerint quod per ipſos poſſit emendari. Poſt majorem Miſſam accipiunt mixtum, aut ſi eſt dies jejunij, vel in hyeme, taliſque dies in quo non niſi ſemel comedatur, tunc poſt Tertiam. A Kalendis Octob. vſque ad Quadrageſimam, ſi, vt dixi, ſemel comeditur, non eſt illorum prandium de ſolo pane, ſed etiam aliquid qualecunque ſit apponitur eis. Per totam æſtatem in diebus Dominicis ad cœnam impenditur illis miſericordia de lacte. Si quis eorum adeò eſt paruus*, vt opus habeat in ipſo Clauſtro vbi ſedet * apportatur ei panis & vinum. Ad lauatorium ſicut ad neceſſarias ſpecialiter habent locum ſuum.

al. * paruulus.

al. * ſedet ſummo diſciculo.

Cùm fuerint in Refectorio non accedunt ad vllam menſam ante verſum, ſed in medio Refectorio ſtant, aut ſedent cum Magiſtris, vſque dum veniat qui ſeſſurus eſt ad ſcillam. Per menſas ſunt diuiſi, & ſinguli ante tales Fratres poſiti qui non diſſimulent ſi quam viderint negligentiam eorum inter comedendum, non quoque diſcurrunt, vt vel ſal, vel ſcutellam, vel aliud quid vlli Fratri apportent, nec ab vllo quid accipiunt, niſi quod omnibus generaliter datur; & ſi quid eis Dom. Abbas miſerit, vel Cellerarius dederit, ſolus ille puer qui ſtat ad menſam principalem, ſi ei à Dom. Abbate vel Priore innuitur ſcutellis opus habere, pergit ad Magiſtrum, & ille ſurgens requirit de coquina, & ponit ante puerum vt eas apportet, per quem etiam cuique quod voluerit dirigit, qui ſedet ad ſcillam. Is denique puer propter hoſpites, qui ad illam menſam frequentiùs ſedent, duos portat iugiter cultellos. Si quis eorum ita infirmatur, vt non bene ſtare poſſit, huic Priore conſentiente à Magiſtro menſula & mappula prouidetur vt ibidem ſedeat vbi ſtare ſolebat. Poſt prandium vel cœnam pariter exeuntes inter vtrumque Chorum medij procedunt: poſt Nonam cùm Fratres bibunt, & ad Collationem, nouiſſimi & ante Domnum Abbatem vel Priorem.

Quoties generaliter Eccleſiam intrant, intrant ad Orientalem plagam, & Conuentus ad Occidentalem. Nulla hora, nulla refectio generalis inchoatur abſque illis, niſi

adsint vel duo. Vbicunque transierint per Claustrum, Fratres contra eos aliquantulùm se leuant, & inclinant, tam propter duos, quàm propter omnes. Sed nec ad necessarias nec ad locum vllum diuertunt, nisi semper duo sint simul, & vnus magister eorum in medio, qui nec sedet, sed stat ante illos ad necessarias, si defuerit Conuentus. Seruitores quoque de Refectorio exeuntes, si sedent vbi sedere solent, inclinant contra eos, & illi assurgunt contra eos. Quòd si quidam ex eis ad regularem Horam aliquando tardiùs occurrunt quàm ad Gloria primi Psal. non propter hoc vt alij stare veniunt ad gradum. Item si morantur à Refectorio, vsque dum versus dictus fuerit minimè petunt licentiam comedendi; sed tantùm in loco suo antè faciunt & retrò; Magister tamen eorum, qui comitatur eos, consuetudinem tenet vtrinque. Quòd si aliquis puer de foris veniens intraturus est Claustrum, contra hunc alij duo pueri ducuntur ad ostium Claustri, & ita simul cum ipsis Conuentui præsentatur. Post Horas cum alijs qui venerunt accipiunt benedictionem in Presbyterio ante eos stans. Item si quis eorum ducendus est in domum infirmorum, illuc quoque alij duo veniunt cum eo, Vbi quandiu moratur commendatus est cautissimo custodi, à quo die, noctúque custodiatur, & in nocte quocumque incedit, portat ante se laternam, portat quoque baculum si carnem comederit, capellum induit, ad majorem Ecclesiam cum alijs infirmis venit, non tamen intrat illud membrum Altaris S. Ioannis Baptistæ, sed illis intrantibus ille remanet foris prope vrnam aquæ benedictæ vt possit ab omnibus videri. Morantem autem in domo infirmorum frequenter visitat principalis Magister puerorum, & cùm primò eum viderit hujus esse valetudinis, eodem quo adduxerat modo reducit, & cæteris pueris adjungit; Ecclesiam jam intraturus ad Primam vel Tertiam, si est in hyeme & dies priuatus. Priùs tamen ipso die curatus est lautè de carne. In Capitulo pro excessibus suis, nequaquam vt alij infirmi veniam petit.

Hoc est autem obsequium quod est ab eis ritè gerendum. Ad Horas omnes regulares singulos versiculos Psal-

Digitized by Google

morum pronuntiant: in priuatis diebus Antiphonas imponunt, & quicquid cantatur ad Miſſam matutinalem. Ad Matut. laudes & Veſp. Reſponſoria cantant, verſus dicunt, & in æſtate ad Nocturnos illam minimam & vnicam Lectionem. In Capitulo non alij quàm ipſi legunt (quanquam in Refectorio nunquam) & ad collationem per vices. Tabula, quam Prior major, vel Clauſtralis, quinquies percutit ad licentiam loquendi, per priorem illorum eſt porrigenda. Item in hyeme quoties Fratres poſt Sextam ſecundò loquuntur poſteà quàm de Eccleſia exierint, omnes conticeſcunt vſque dum alta voce per illorum minimum benedicite pronuncietur, quod & ſimiliter ab ipſo eſt dicendum quando exeunt de Capitulo ſuo, vel jentaculo accepto de Refectorio, ſi Fratres loquuntur. Ad coquinam notantur cum Magiſtris, & ita duobus; ad quam tamen non ſe leuant de dormitorio ante ſonitum, nec propter hoc exeunt de Choro priuſquam Pſalmi familiares ſint finiti, niſi ad Matutinalem Miſſam poſt Offertorium: nec ſeruiunt in Refectorio, nec pedes lauant in Capitulo, ſed de Magiſtris ſuis ad omnia quæ ipſi competenter facere non poſſunt Vicarios habent. His diebus quibus proceſſio nudis pedibus eſt agenda canales in quibus fratres pedes ſunt lauaturi ipſi priùs expurgant ſcopis & aqua. Si Dom. Abbas vel Prior imperauerit * aliquem Pſalmum per aliquot dies decantari, ipſi audientes inclinant, quia in eorum præcipuè debet eſſe ſollicitudine, ne remaneant. Et quia ipſi quotidie legunt Martyrologium, & Fratrum Memoriale, ab ipſis eſt ſciendum & notandum quando Trigeſimus cuiuſque defuncti ſit conſummatus, ab ipſis Eleëmoſynario pronuntiandum quantorum ſit anniuerſarius Fratrum, vt tantas quoque accipiat præbendas, & Cuſtodi Eccleſiæ quando ſunt omnia ſigna pulſanda pro anniuerſario cuiuſque, quod bene notatum eſt, & ſingillatim in Memoriali: In omni quarta feria ſi eſt priuata dies, & in omni Sabbato, lauant poſt Veſperos calceos ſuos: Lauant quoque pannos ſuos conſuetudinaliter ante Natale ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ante Tranſlationem S. Benedicti, & ante Aſſumptionem S. MARIÆ, quos tamen

* *al addunt*, in Capitulo.

non suspendunt ad siccandum in horda, vt alij fratres, sed tantùm deponunt in herbario Claustri. Ad Horam regularem, ad quam non nisi vnum signum pulsatur vt ad Primam, faciunt orationem in Choro ad eam ad quam * duo in Presbyterio prope Altare. Mane cùm se leuant ad sonitum, vel cùm Prima cantatur cum aurora apparente, vt in priuatis diebus. A Kal. Octobris ad Kal. Nouemb. non priùs vadunt ad necessarias quàm ad Ecclesiam, sed postea finitâ horâ si voluerint, vel orationibus factis. Post Completorium faciunt orationes absque Conuentu, & antequam Conuentus; & de necessarijs debent exisse priùs quàm eò veniat Conuentus. Stat ante eos cum virga principalis Magister eorum vsque dum omnes sint collocati, & ipsas facies bene cooperti. Item quando se leuant, si tardiùs se leuant, continuò est virga super eos. Post Matut. laudes eo tempore quo rursus omnes sunt dormituri, si nondum aurora apparuerit, tunc tenente Magistro virgam in dextra manu, & cadelam in læua, exspoliantur, & citò collocantur. Si verò aliquantulùm aurora claruerit, candelas super laternas figentes se calceant, & super lectulos reclinant, vt ad sonitum absque vlla dilatione consurgant, quod totus Conuentus eodem modo facere debet. Panis eorum & generale non sunt minora quàm aliorum Fratrum. Si quis fratrum de foris veniens osculatus fuerit omnes Fratres, minimè tamen osculatur eos, sicut etiam nec in Ecclesia ad pacem. Ad mandatum non lauantur eis pedes, sicut nec ipsi lauant: quando in coquina obsequuntur, Magistri eorum solent prouidere, vt opportunè accendant luminaria dormitorij, & necessariarum, & ad Nocturnos; in ipsis necessarijs duas candelas, quæ sufficiunt tantùm vsque dum Conuentus recedat. Si aliquando nox fuerit, quando post cœnã de Refectorio exierint, venientes in Chorum de laternis extrahunt candelas, & sursum altiùs tenent quandiu sunt in Choro: opus habentes codicem vel ipsam tabulam breuialem accipere alio loco, quàm vbi sedere solent in claustro, nunquam accipiunt absque licentia Magistri. Vicibus duabus in septimana veniunt ad confessionem, quam non recipit, nisi Domnus Abbas, vel Prior Major,

* al. in qua.

Digitized by Google

vel ille qui tenet ordinem ; ſtando confitentur, & ſi Prior eſt recepturus, ipſe ad eos venit, ducitque & reducit, & vno confitente, alter interim ſedet. Super truncos ſuper quos ſedere ſolent, nullus alius ſedet vnquam, vel de ipſis pædagogis. Scrinium cum raſorijs, quibus radantur, pro ſe habent ſeparatim, & ſeorſum ſe radunt pueri cum Magiſtris, & ipſi Magiſtri quotquot fuerint pro nulla occaſione recedunt ab eis abſque licentia Magiſtri principalis ; nullá-que vice dimittendi ſunt cum vno ſolo Magiſtro. Eorum ſeſſio in Clauſtro ita eſt ordinata, vt pueri ſedeant prope murum, Magiſtri in cancellis Clauſtri, & ita vt poſſint eos jugiter intueri. Per medium eorum nullus eſt qui audeat omninò tranſire. Vbicumque fuerint quantumlibet locus fuerit anguſtus, & quantalibet ſit Fratrum multitudo, tamen omnes cauent ita eis appropiare, vt vel tangatur ab aliquo veſtis eorum. Et vt tandem de ipſis pueris concludam, ſæpenumerò videns quo ſtudio die noctúque cuſtodiantur, dixi in corde meo difficile fieri poſſe, vt vllus Regis filius majore diligentia nutriatur in Palatio, quàm puer quilibet minimus in Cluniaco.

CAPVT IX.

De Cuſtodia Iuuenum.

FRATER qui eſt huius ætatis, vt adhuc ſit imberbis, & ſi vltrò ſeculo renunciauerit, & optimæ ſit opinionis, minimè tamen cuſtodia caret. Sed & aliquando illi maximè qui nutriti ſunt in Monaſterio, ſi in moribus viri eſſe noluerint, virilis ætas nihil eis profuerit vt à cuſtodia ſoluantur. In qua qui poſitus fuerit, primùm in dormitorio lectus eius eſt prope lectum Cuſtodis ſui, ad quem abſque illo nec accedit vnquam nec recedit. In nocte verò quocumque incedit, portat ante ſe laternam, Cuſtode prouidente vt candelam habeat accenſam, qui ſi eum duxerit ad neceſſarias, poſtquam ipſe ſurrexerit, jugiter eum intuetur, quanquam & laterna ſit ante eum. Si verò in nocte opus habuerit ſurgere, excitato Cuſtode, & accenſâ laternâ

pergit ad necessarias, nec antè à Custode extinguitur laterna, quàm ille collocetur: Custodes námque eas semper incendunt & extinguunt. Si in Ecclesiam eum duxerit, non eum deserit vsque dum perueniat in Chorum; & in Refectorio, vsque dum sit intra ostium & in præsentia Conuentus. Si notatus fuerit ad coquinam, ante sonitum non venit ad eum. Ad tres orationes quas ritè faciunt ante Nocturnos, vel post Completorium, seu in die ad illas similiter tres quæ fiunt in hyeme ante Tertiam, vel in æstate post sonitum, nunquam ab inuicem separantur. Quando proceditur ad aquam benedictam, & processiones alias, si diuersi sunt in ordine custodiendi, ascendunt vel descendunt ad custodientem; Custos verò non mutat ordinem suum, nisi fortè propter illum qui in culpa erat grauiore, & fraterna societate recepta, adhuc tamen omnium est extremus, vel fugere volens ita inuitus est retractus atque retentus. Quòd si in custodia est Diaconus vel Subdiaconus, lecturus Euangelium vel Epistolam, si tale quid ei contigerit vt legere non possit, propter hoc nec verbo nec signo quenquam sui similem in simili custodia positum appellat, vt pro se legat, sed eius Custodi, cum testimonio Custodis sui rem innotescit vt Fratri eiusdem ordinis Custos quoque Fratris loquatur pro vicissitudine legendi: aut si maluerit qui legere debet, impossibilitatem suam refert Armario maturiùs, vt ipse tempestiuè prouideat cui legendi munus injungat. Singuli autem tales, si, vt aiunt, tergoribus suis voluerit esse consultum *, tunc summoperè cauent in omni loco ne absque mediatore stent simul, aut simul sedeant in Ecclesia, in Capitulo, in Refectorio, vel se ad inuicem impingant quando Conuentus ita cumulatim quóque incedit, vt aliquando Ecclesiam intrando vel exeundo, vel quando libros in armariolum, quod est in Claustro, reponunt. Hoc etiam non negligit, si est eorum status adhuc in medio Choro, & vnus ex vna parte, alius ex altera, vt ita sint stantes, ne dorsa eorum è regione ad inuicem sint conuersa.

* id est, si vacare noluerint.

CAPVT

CAPVT X.

De Præcentore & Armario.

PRÆCENTOR & Armarius: Armarij nomen obtinuit eo quòd in eius manu ſolet eſſe Bibliotheca, quæ & in alio nomine Armarium appellatur. Hæc eſt obedientia, quam ex more nullus meretur, niſi Nutritus. Igitur iſte, de quo agitur, Officialis ritè vnum habet ſuffraganeum, qui & pueris cantet, & breuem faciat de Lectionibus & Reſponſorijs, & alijs obſequijs. Cæterùm ipſa Fratrum nomina qui lecturi ſunt & cantaturi, vel aliud quid facturi, non alius quàm ille ponit, niſi fortè & ipſe ita voluerit, eiúſque ſecundus huius ſit induſtriæ, huiúſque ſenſus. De eius autem continua occupatione vt aliqua perſtringam, tota ſeruitutis diuinæ ordinatio in Eccleſia ſuper nullum pendet quàm ſuper illum, nec de hoc habet aliquem Magiſtrum niſi ſolum Dom. Abbatem. Quod voluerit vt cantetur, cantatur, quod voluerit vt legatur, legitur & in Eccleſia, & in Refectorio, & ad Collationem, & ad huiuſmodi omnes debent ſemper ei eſſe obedientes. Si quid tamen contra vſum præſumpſerit vel neglexerit, hoc omninò interim diſſimulatur vſque dum in Capitulo reclametur. Ad Cantica Euangelij, vel ad Matut. laudes, vel ad Veſperos Antiphonam imponit, excepto quod Dom. Abbas ad duodecimam Lectionem eſt impoſiturus. Qui etiam Armarius quandiu eſt in Conuentu non ſe notat ad vllam Lectionem, vel Reſp. vt ſi Dom. Abbas fortè non legerit, ipſe pro eo ſit legere paratus. Quòd ſi quo in tono erratur, nullius ſcientia præiudicat illi, vt non eum potiſſimùm omnes attendant & ſequantur. Solus ille non reprehenditur, ſi quam Antiphonam vel Reſp. nominauerit abſque libro, indicens alicui fratri vt cantet. Omnes quoque verſus Offerendæ imponit: quemlibet cantum quantumlibet ſubmiſſa voce cantetur, nemo tamen alius audet ad altiorem vocem leuare. Omni die diluculo poſtquam tres pueri Pſalmos, vt moris eſt, perlegerint, continuò venit ad eos,

vt puero, qui lecturus est in Capitulo, audiat Lectionem, vel etiam ritè si ipsi aliquomodò pueri offenderint maximè cantando, vel legendo negligenter, vel si cantum minùs diligenter addiscunt, dignam ab eo disciplinam experiuntur. Summopere tamen obseruat tam ipse quàm alij quando eos verberat, non solùm ne tangant carnem eorum cum manu, sed etiam ne vestis eius eorum adhæreat vestibus: nunquam námque cum palma eorum percutiuntur maxillæ: sed, si opus fuerit, Magister solus, qui eos ducit, potest eorum capillos excutere, alius nunquam. Et propter hoc quandiu ipse vel suffraganeus eius moratur inter eos, Magister puerorum principalis, cuius superiùs memini, non legit, nec aliud quicquam facit, nisi quòd Armarium & pueros jugiter intuetur. Inter quos & liber in quo legitur, ita semper ponitur, vt vna de columnis Claustri media sit inter audientem, & audiendos. Lectiones, quæ legendæ sunt ad Nocturnos & Responsoria, ritè audiuntur post Nonam, & in Quadragesima post Sextam; post Vesperos verò nunquam. Quæque Missa major seu matutinalis fuerit cantanda, vbi Sacerdos se cum cæteris ministraturis vestierit, nulla vice Armarius per consuetudinem defuerit; primùm vt videat si præsto sint omnes personæ quæ sunt obsecuturæ, & insinuet si quid nouerit opus esse vt insinuetur. Similiter facit quotiescunque post Nocturnos Euangelium est legendum, vel si qui Inuitatorium cantaturi sunt albis vestiuntur vel cappis, totius rei est præcipuus ordinator. Si quis Frater infirmus, infirmorum oleo est vngendus, vel si objerit, ad sepulturam efferendus, vel si quis de foris allatus est recipiendus; ipsi est cura qui Sacerdos induatur, quomodò Corpus Domini apportetur, quomodò communicetur, & quę Collectę, dum obierit, à Priore super eum dicantur, & dum lauatur, & dum vestitur, & antequam in Ecclesia apportetur, & quid cantetur, & quomodò tumulus benedicatur; & quæ Collectæ dum benedicitur, & quæ dum sepelitur, & quæ post sepulturam dicendæ sunt: omnibus his intererit præcipuus monstrator. Ipse superuenientes breues Fratrum defunctorum accipit, & in analogio notat, descriptósque alios pergentibus Fratribus per

Digitized by Google

diuerſas terrarum prouincias diſtribuit, nec obliuiſcitur ſi quis Frater finierit Miſſarum quæ ritè VII. Fratribus triginta commendantur *. Quinimò neſcio ſi quis pluſquam ille faciat ad omnes Proceſſiones, ad quas nihil, niſi quod ipſe impoſuerit, omninò cantatur.

al. * tricenarium commendatur.

Poſtremò quicquid tale quaſi nouum ſuperuenerit gerendum, de hoc ille præcipuè memor & diligens eſſe debet. Loquor vt eſt, quando fabæ nouellæ, vel nouellus panis, ſiue muſtum in Refectorio eſt benedicendum; vel ſi talis hoſpes huius reuerentiæ aduenerit, ante quem poſt peractam Proceſſionem in primis, juxta quod in Regula tenetur, Lectio eſt recitanda, vel opere manuum facto, quicquid tunc eſt legendũ, vel ſi cujuſquam Nouicij de profeſſione populari coma & barba eſt tondenda, ad hæc ſingula, & horum ſimilia librum competentem accipit & apportat, & prouidet ne fiat negligentia, vel de perſona, vel de hoc quod perſona eſt dictura. Et ſi fortè Epiſcopus aderit, vel noſtri Ordinis, vel talis opinionis, de quo vel Domno Abbati vel Priori videatur vt det benedictionem in Eccleſia, ipſe ſtolam, librum, & baculum miniſtrat, & imponit hunc verſum: *Humiliate vos ad benedictionem.* In Natali Domini, in Paſcha & Pentecoſte ad Officium majoris Miſſæ, & tenendum Chorum ſunt notati de melioribus Cantoribus, quantum Armario videtur: qui tamen non præſumunt per ſe accedere, niſi ipſe manu ſua cappas det, quæ in capite formæ ſemper de melioribus à principali Sacriſta præparantur. Addit etiam adhuc illis ſtatutis per ordinem quantoſcunque capere poteſt tota Chori latitudo: nec quiſquam eorum recedere præſumit, vel ad pacem accedere, ſeu Miſſam cantare, vel de loco ſtatuto ſecedere, quamuis ſint de majoribus perſonis, præter eius nutum. Et ſi ita contigerit vt neuter Prior, nec eorum Vicarius ſit in Choro, tunc ſi viderit opus eſſe, poteſt ipſe mutare Fratres de Choro in Chorum, & ei qui quæſierit exuendi licentiam dare: thuribulum à Conuerſo ſibi primitus apportatur, niſi fuerit ibi Abbas noſter, vel aliquis Epiſcopus ſeu Abbas, quibus pro reuerentia exhibeatur ordinis. De cætero cuiuſcunque ordinis ſupradictus ſit Armarius, ſuum non amittit

principatum. Non accedit ad pacem, neque sui suffraganei, sed interim dum pax datur, cantat *Agnus Dei* cum versibus ad hoc congruentibus. Nec de illis qui fuerunt ad Gradualem vel Alleluia notati, aliquis se intromittit, nisi ipsi quibus libellos innuendo tribuerit. Sacerdoti quoque intimat quo tono incipiat *Gloria in excelsis Deo*, & si opus fuerit, Diacono *Ite Missa est*. Prosas cantant quatuor, duo in vna parte, & duo in altera, id est siniſtra & læua : Additur & ipse quintus, maximè his duobus, qui sunt ad dexteram, qui semper primum versum adoriuntur, vt si fortè discordauerint, ipse in promptu sit ad suffragandum. Præuenit quoque cæteros aliquantùm in exuendo cappam, & in agendo antè & retrò, vt festinet deponere signorum vestes, & vt ipse primus imponat manum ad sonandas scillas, sicut & fecit in initio Missæ. Si quando talis inbreuiatio est agenda, non agitur in illa tabula quotidiana, sed in alia, quæ aliquantulùm est major, & propriè deputata ad festiuitates. Solet etiam apud nos & alia inbreuiatio non inutilis fieri. Sed quia Armarius aliàs adeò est occupatus, committitur aliquando alij fratri memori & diligenti, scilicet vt qui seruierint in coquina omnes per ordinem conscribantur, ne fortè per obliuionem contingat vt quisquam frequentiùs quàm alius eo munere fungatur *. al.* grauetur.

CAPVT XI.

De Camerario.

CAMERARIVS noster, quantum habere possumus denariorum ex villis nostris, ipse pergit & recipit eos tempore suo, de quibus tamen tertiam partem reddit Decanis, pro eo quòd tam multa sunt quibus opus habent, non solùm propter agricolationem, sed etiam propter semetipsos, quia sæpiùs ibi morantur, & maximè propter hospites, qui nimirum si non reciperentur, omninò esset inhumanum. De his autem villis quæ tam longè sunt positæ vt nec vinum, nec annona quæ ibi nascitur, possit ad nos peruenire, ibidem venditur, & pretium Camerario defer-

Digitized by Google

tur. Poſtremò quicquid auri vel argenti, vel beſtiarum vndecunque donatur nobis, totum ipſe habebit, excepto quantum ſum hîc dicturus. Si quis dederit nobis decem ſolidos aut pauciores, hi ſemper Cellerario ſunt deputati: ad hoc tantùm vt fratribus infirmioribus, & aliquantulum delicatis, abſque hoc quod generaliter omnibus datur aliquam impendere poſſit charitatem. Et ſi euenerit vt aliqua vacca donetur nobis; hanc quoque habebit ad ſubſidium vaccariæ quæ eſt in manu eius. Oues & boues Decanis ipſius villæ; oues propter fimum quo arua ſunt condienda, boues ad arandum. Pallia, & vaſa aurea & argentea, quæ eſſe poſſunt ad vſum & ornamentum Eccleſiæ accipit Sacriſta. De cætero vt præmiſſum eſt, omnia veniunt ad manus Camerarij, nec immeritò, quia frequenter accidit vt de omnibus rebus annuatim naſcentibus nihil omninò habeamus ad ſubſidium vitæ temporalis, præter quod de denariis eſt comparatum: quod cùm per vices eueniat de victu, quicquid ad veſtitum pertinet, hoc non per vices, ſed ſemper & ex toto eſt comparandum.

Cuilibet autem Fratri vnoquoque datur anno frocus nouus, & noua cuculla, ita vt ambo habeat parata & conſuta ante Natiuitatem Domini; nouum pellicium ſecundo datur anno, & in feſtiuitate S. Michaëlis; interim dum Conuentus fuerit in Refectorio ad prandium, ponitur in eius lectum. Iterum in feſtiuitate S. Martini pedules de calciamentis, alio loco dixi quomodò dantur in Cœna Domini. De ſtamineis & femoralibus, vel ſi quæ ſunt alia huiuſmodi, nihil aliud eſt conſtitutum, quàm quod cùm fuerint inueterata, nec magis proficua, eis ablutis, & per ipſos Fratres ad Cameram redditis, alia ſunt tribuenda: & vt hoc ſemel dicam, quicquid ad amictum vniuſcujuſque Fratrum haberi poteſt regulariter, & pro conſuetudine generali: Primò ſunt duo froci, & duæ cucullæ, duo ſtaminea, duo quoque femoralia, duo paria calceorum cum corrigijs, vnum par viltronum [a] ad hyemem in nocte; & alterum ſine viltrono ad æſtiuas noctes; duo paria caligarum, tria pellicia [b], vel vnam pro tertio gunellam [c], capellum de pellibus, quinque paria pedulum [d]. Ad lectum capita-

Siue, a Filtronum, *ideſt.* tibialium, *vel* crepidarũ ex filtro ſeu groſſiori & villoſo panno, *Gallicè*, de feultre.

al. b tres pelliceas.

Hoc eſt, c veſtem pellicea.

d Gallicè, Chauſſon, faſciæ & inuolucra pedũ.

le [c], coopertorium, cottum, stragulatum [f], brachiolineum [g] quo femoralia succinguntur, corrigia ceruicina, quo stamineum [h], & in quo pendet cultellus cum vagina, pecten ligneus cum vagina, acus cum filo & vagina. Sacerdos & Diaconus habere solent tria femoralia, vt si tale quid eis in nocte contigerit, in promptu sit ea mutare. Et Camerarius si cui habenti tria pellicia [i], adhuc pro misericordia addit & gunellam, & si cui dedit vnum par caligarum de pellibus ouinis, aut fasciolas [k] propter tibias infirmantes, & propter hoc non meretur & largiens vel accipiens multùm reprehendi. Sed super hæc quicunque ampliùs quid de hoc genere habere voluerit, hoc profectò nec pro justitia, nec pro misericordia, sed pro magna censetur superfluitate. Omnia pellicia sunt velleris ouini, coopertoria verò aut ouini aut catini, aut leporini, & nunquam de vllo genere majoris æstimationis : frocus & cuculla de tali sunt panno, vt ambo non magis quàm octo * solidos valeant, talis monetæ quæ plus habet æris quàm argenti.

Si quando tale quid comparauerit vel vendiderit Camerarius, negotiatione sua ex toto peracta mercatori cum quo negotiatus est, secundum quod negotium est & persona, aliquantos adhuc addit vel reddit sua sponte denarios, propter illud S. Benedicti præcipientis, vt res nostra semper vilius vendatur quàm aliorum hominum. Quoties loquuntur in Claustro, Camerarius vel eius junior qui clauem Cameræ portat, nunquam debet deesse; tunc enim auditurus est à singulis quid ille aut ille opus habeat, & nec ad ipsos pueros venire negligit, vt ab eis si quid sit quo indigeant sciscitetur. Ergo ea vice dat quicquid est dandum, ne si Fratres, qui ab eo ad horam aliam, qua silentium est, quæsierint, silentium tenere non possint. Frater cuius pellicium, vel cuius stamineum, vel cuius femoralia ita sunt rupta, vt adhuc valeant emendari, diliculò ponit ea in vnum arcum Capituli ad hoc deputatum. Et veniens junior Camerarij portat foras ad sartores. Post Vesperos reportans ponit in eundem locum vt ab eo, ad quem pertinent, recipiantur. Item qui opus habet vt calcei sui vngantur, primùm

[c] Ceruical, cheuet.
[f] Quod lecto interitur, a stragula *siue* stragulo. *Vial. forsan* loudié.
[g] Braccale & brachile, renum cingulum ex lino textum.
[h] Vestis lanea, indè Gallicè *estamine*, è stamine facta.
[i] Pellicium siue pelliceus, est vestis è pelle.
[k] Fasciolæ, caligæ sunt fortè. *quæ Gallicè* gamaches *siue* botines *appellantur.*
* *al.* quinque.

Digitized by Google

ipſe lauat eos aqua per canalem de aquæductu dimiſſa; quos rurſus junior Camerarij accipiens, quod de alijs hoc ipſum & de calceis facit. At ſi Frater vult vt à ſeipſo vngantur, acceptâ ſaginâ * vngit eos in regulari coquina ante Primam, vel ſi Prima ſimul cum Matut. laudibus eſt cantata, ante Tertiam, vel poſt refectionem Fratrum, quando ſemel comedunt. A Majoribus noſtris eſt traditum, vt intrante Quadrageſima quanticunque pauperes ſuperuenerint, omnes eleëmoſynam & benedictionem de carne conſequantur: & Camerarius præter illam ſolicitudinem quam habet pro veſtimentis Fratrum, non eſt quòd magis eum ſolicitet, quàm hæc ipſa eleëmoſyna: Ad quam nimirum non multùm facit porcaria noſtra, vel lardarium noſtrum, quia nunquam ita eſt refertum, niſi tantùm ſoli denarij & de manu ſolius Camerarij prodituri; vt non aliud dicam quàm quod contigit hoc ipſo anno: illi, qui pauperes recenſuerunt, teſtati ſunt ſeptemdecim millia fuiſſe, quibus & in Chriſti nomine ducenti quinquaginta bacconés * diuiſi ſunt.

Id eſt, * adeps ſuillus, *Gal.* ſein.

* Bacco. *id eſt,* petna. *Gal.* jambon.

CAPVT XII.

De Apocriſario.

APOCRISARIVS eſt qui cuſtodit Eccleſiæ Theſaurum, & in cujus manu eſt quicquid à popularibus ad altaria offertur. Qui officium ſuum dignè vt poſſit adimplere, adhibentur ei aliquantorum ſolatia Fratrum, inter quos tamen ſolet vnus præſtantior eſſe, & ad quem potiſſimùm pertinet, vt vicem eius abſentis agat vel extra Conuentum aliud quid agentis. Porta quoque Eccleſiæ vni ſpecialiter committitur, qui eam ſemper claudat & aperiat tempore ſuo; & hic ſtudiosè talis teligitur qui grauis ſit in moribus, nec ad riſum facilis, ne quam in eo leuitatem intrantes vel exeuntes deprehendant: & hoc eſt ei omninò interdictum, quando claudit & aperit, vt pro nulla occaſione vel pedem extra portam protendat. Hic cùm ſemper in Eccleſiæ moratur excubijs, ibi dormit & legit,

Digitized by Google

ac præter cæteros hoc est sibi soli injunctum officium, vt omni Sabbato conchas, & candelabrorum pateras in quibus candelæ ardent, diligenter abradat, ne aliquid de decurrente cera remaneat. Simili quoque studio totum pauimentum quod circa majus Altare est, purgat, nec prætermittit, vt eiusdem & cæterorum altarium pauimentum scopâ emundet. Claudit quoque & aperit Ecclesiæ fores varijs modis per diuersa tempora. Nam cùm ad Nocturnos tam in hyeme quàm in æstate semper aperiat, in hyeme tamen post officium, quod in nocte cantatur, semper eas claudit, atque ita permanent vsque dum scilla sonetur ad Tertiam : finitáque Missa matutinali claudit, clausæque permanent vsque dum scilla pulsatur ad * Sextam, tunc aperiuntur, & Missâ finitâ vsque ad Vesperos clauduntur. Post Vesperos verò regulares clauduntur, ita vsque ad Nocturnos permansuræ. In æstate autem cùm statim post Matutinas regulares claudantur, ad Primam aperiuntur, & vsque dum Missa matutinalis finiatur patent, quæ tunc clausæ ad Missam aperiuntur, post quam vsque ad Vesperos obserantur, quibus finitis vsque ad Noct. omnino clauduntur. In Quadragesima priuatis diebus post Missam mat. clauduntur, & post Sextam mox vt scilla sonauerit reserantur, nec clauduntur vsque dum Vesperi finiantur. In XII. verò Lectionibus tam in hyeme quàm in æstate ad scillam, quæ post Capitulum sonatur, aperiuntur; studiosè tamen agit, vt si quis eas tam in die quàm in nocte percusserit, paratissimus sit ad aperiendum. Ac per hoc cùm Conuentus ad S. MARIAM procedit, ille semper in Ecclesia manet, ne eo absente aliqua intercidat negligentia. Cæteri suas septimanas in qualibet ad Nocturnos Dominica incipientes, vicissim faciunt eo modo, quo eis est præfinitum, & vnusquisque opus habet, vt quid facturus sit diligenter attendat.

al. * post.

Primò namque, vt dixi, ad Nocturnos postquàm horologium ceciderit, pulsat scillam, & tandiu vsque dum pueros viderit venire : factis tribus orationibus pulsat vnum de majoribus signis vsque ad Psalmum *Lætatus sum*. Secundò signum, quod minus est, aliquantulũ ad *Kyrie eleison*, vsque dum

Digitized by Google

dum ſit finita Oratio Dominica cum Collecta. Tertiò ſimiliter. Quartò pulſantur omnia ſigna, vel ſi eſt priuata dies, duo ad vltimam inciſionem Canticorum Graduum, ad penultimum Pſalmum Hebdomadarius accendit duos cereos candelabris affixos ante Altare, tertium poſt illum qui priùs ardebat in concha, extinguit. Item ad Lectiones obſeruet vt candelam, cum qua legendum eſt, ſemper ad vltimum Nocturnorum accendat. Ergo ad nonam Lectionem, quæ eſt de Euangelio, eſt adhuc & tertius ante Altare cereus, & poſt Altare alterum accendit; Altaríſque tabulam detegit auream huc vſque panno coopertam, accipit textum de Altari & portat ad veſtiarium, lectóque Euangelio, dum Sacerdos reuertitur, accipit de manu eius, & vnde priùs accepit, reponit. Cùm ad hoc ventum fuerit vt Sacerdos Matutinalis dicturus ſit Collectam, huic etiam candelam prouidens apportat, mox etiam extinctis omnibus illis cereis in circuitu Altaris, eum qui priùs ardebat in concha * reaccendit, tam in die quàm in nocte arſurum, niſi propter alios accenſos extinguatur. Accendit & alium cereum & affigit candelabro, vt portetur ad proceſſionem quæ fieri ſolet ad S. Crucem & ad S. MARIAM: Ad S. Crucem præuenit Conuentum, vt ad ſingulas columnas candelulas affigat ardentes vſque dum abſceſſerit Conuentus; Ad S. MARIAM accendit cereum in concha, & alterum ante fores Eccleſiæ. Aurora apparente Sacerdotes priuatas Miſſas incipiunt cantare, ad quas ſingula, quæ neceſſaria ſunt, Hebdomadarius prouidebit, vt cùm primùm Sacerdotes acceſſerint, omnia inueniant parata. Armarium reſerat, quod non minori diligentia eſt conſtructum, quàm & illud quod eſt ante majoris faciem Altaris, cuius in alio loco nonnihil memini, & in iſto ad priuatas Miſſas reconduntur calices cum corporalibus, plus minùs ſeptem hoſtiæ, & candelæ ſine quibus nulla Miſſa eſt cantanda; Ampullæ majores & minores, majores ad vinum, minores ad aquam, & amphora ſtannea cum qua vinum apportatur forinſecus; duæ aliæ cum aqua, vt de vna manus abluantur, & de altera calices, nec de alia funditur. Quantùm ad ſacrificium de aqua eſt miſcendum, de qua & illæ minores

* Eſt candelabrum concauum quod func vel catenulis ſuſpendi ſolet.

Digitized by Google

ampullæ sunt implendæ. Vinum autem de quo sumendum est ad sacrificium, non aliò quàm in Cellario seruatur, sed in tali cuppa quæ est serata, & de qua nihil trahi potest nisi claue reseretur. Ad hanc quoties Hebdomadarius accesserit, diligenter lauat non modò manus, sed etiam spinam & fundum cuppæ in circuitu spinæ, priusquam quid accipiat de vino: & sicut dixi, in sua est prouidentia, ne aliquando vel aqua vel vinum in Ecclesia desit; & propter hoc in nocte vt si cui opus fuerit infirmo, in promptu sit, vt possit communicare. Si est eo tempore, eáque die quâ Prima cum ipsa die incipiente, vel ante diem cantatur, tunc se ritè ad VII. Psalmos diurnalibus calceat, vt coci manus faciémque lauat, & reuersus ad letaniam cum amphora majore plena aquæ antequam ipsa tota finiatur, leuat se & accelerat vinum & aquam apportare. Altaris tabulam tali die non discooperit, vsque dum pulsauerit scillam, quâ signum datur fratribus ad calciandum: in æstate, vel etiam in hyeme, si bis comeditur, differt vsque ad Primam.

Signa quæ pulsanda sunt ad singulas horas, solicitus est vt pulset tempestiuè, ita tamen vt nihil præsumat nisi jussus à majore & secundum quod per vsum est constitutum. Quando fuerit hora vt Fratres ante Tertiam vel Nonam lauerint manus, stat ipse juxta introitum Ecclesiæ, & cùm pueros jam se viderit lauasse, pulsare signum ampliùs non tardat. Eodem modo quoties post Missam & ante Sextam accepto jam mixto audierit eos legentes. De cæteris horis significandis non se intromittit, nisi in quantum ei, vt præmissum est, imperatur. Ad vtramque Missam singula, quibus opus fuerit, prouidebit & apportabit; & primò quidem Calicem aureum, cum quo Sacerdos est oblaturus, lauat, cuius in alio loco jam memini. In die Dominica, vel in alia qualibet festiuitate, quia ad ambas Missas non offertur nisi ab vno, ad hoc etiam non ampliùs quàm vnam patenam, & vnam cum vino apportat ampullam, quam lecto Euangelio leuat, & Priori dat in manus, vt offerat accedenti. Verùm ad majorem Missam Prior innuit his, qui sunt albati, vt pro se offerãt, & propter eos quibus libuerit communicare, mittuntur in die dominica hostiæ quinque; in

Digitized by Google

alijs ſiue ſint priuati, ſiue ſolemnes, non niſi tres excepto quod in illis majoribus feſtis, vt eſt feſtiuitas S. Ioan. Baptiſtæ, prouidetur à Priore vt tantæ mittantur, ex quibus omnes poſſint communicare. In priuatis diebus ad Miſſam matutinalem, quia cuncti offerunt, curat Hebdomadarius vt inter calices mediocres ad hoc ſolùm factos, & inter ampullas cum vino habeat quinque, & totidem patenas cum hoſtijs, quas ordinatim ponit forinſecùs prope Chorum ſuper tabulam deſuper coopertam, & panno intrinſecus amictam, vt inde Fratres eas accipiant, cum offertorijs oblaturi. Ad majorem Miſſam quia non offertur niſi ab vno Choro, tantùm tres Calices ſeu ampullæ præparantur, & Hebdomadarius ſtat in Choro ſiniſtro tenens in manu auream patenam, & ampliorem hoſtijs refertam, quas cum aureo cochleari offerentibus diſtribuit ſigillatim. Cùm Sacerdos & Diaconus cæteríque miniſtri in veſtiario conueniunt vt cantetur Miſſa, vel major vel minor, ipſe ſemper præparat textum Euangelij, quem Subdiaconus portat inter procedendum. Cùm venerit hora refectionis, vt non ampliùs vlla Miſſa cantetur in illo die, recenſet Calices ſi habeat omnes; recenſet etiam miſſales libros, & ſacerdotalia veſtimenta quæ è contra in armario jacent. Portat pixidem cum hoſtijs non conſecratis in Refectorium, de quibus ſingulis, vt ſuperiùs dixi, prælibant qui noluerunt, aut non potuerunt communicare. Refectione tranſacta cum ipſa pixide in primis de Refectorio exit, vt ſcillam pulſet in Choro. Ad Veſperos accendit candelas ſicut ad Nocturnos; quibus finitis cùm primùm Fratres exierint, vno de ſodalibus ſuis aſſumpto, auream Altaris tabulam cum panno contegit. Si quando collatio tam ſera fuerit, vt opus ſit ignis, portat ad eam tres cereos accenſos, & mittit in conchas propter hoc ibi ſuſpenſas; & ad mandatum nunquam omittit, vt non vnum cereum apportet ardentem. Poſt Completorium, cum circuit, omnium ſignorum, quæ ad Nocturnos tantùm pulſanda ſunt, circulos ordinatè in imum dentem colligit, vt ad Nocturnos non poſſit errare aliud pro alio arripiendo. In IV. feria & Sabbato omnes ampullas majores & minores portat ad aquæductum, &

diligentissimè lauat, vno etiam tali ferramento ad hoc prouiso, cum quo possit eas in ipso fundo fricare.

Tunc, vt de ipso Apocrisario aliquid dicam, de hoc quod à populo offertur ad Altaria, decimum denarium, & panem totum Eleëmosynario dat, caseos & oua Cellerario. Est etiam ei commissum vt aliquos anniuersarios faciat, vt v. g. Henrici Imperatoris. Talíque die prouidet vt Fratres in Refect. bonum generalem habeant, maximè si potuerit inuenire, piscibus bene piperatis, & pigmentum. De cætero quæcunque ad manus eius venerint, expendit præcipuè ad sarta tecta Ecclesiæ instauranda, ne aliquomodo dilabantur, & ad luminaria, & ad reliqua, si quæ sunt Ecclesiæ necessaria & vtilia. Ad Refectorium dat candelas, & ad Infirmariam quantum fuerit opus, & Camerario & Custodi hospitum; Domno quoque Abbati, & Priori quantum opus fuerit, qui nunquam sine lumine dormiunt. Ad hæc omnia ne aliquando facultas deficiat, habet etiam idem Apocrisarius vnam Villam satis bonam, cum decimis, vineis & agris.

CAPVT XIII.

De Hostijs quomodò fiant.

QVOD pertinet ad Eucharistiam & ad Corpus Domini, quia dignum est vt cum summa reuerentia & diligentia geratur, expedit vt ipse modus gerendi non taceatur. * Primò quotiescunque fieri hostias necesse fuerit, præcipuè tamen ante Domini Natalem, vel sanctæ Resurrectionis diem fieri solent. Cùm enim brumali in tempore prolixiores sint noctes, licet ante prandium Fratribus operari ampliùs: nam post prandium hujusmodi opus gerere non licet. Frumentum, de quo faciendæ sunt hostiæ, quantumlibet bonum sit naturaliter & purum, tamen granatim eligitur, & lauatur studiosè, nec per alias personas quàm per ipsos Fratres. Colligitur deinde in saccum non qualemcunque, sed qui ad hoc solùm de bono panno consutum est & reseruatum; in quo colligatum commendatur vni

* *Quæ sequuntur, & duo proximè capita, id est 13. & 14. ex alio Cod. M. S.*

Digitized by Google

famulo non laſciuo ; qui portans illud ad molendinum , molam lauat vtramque , operítque ſurſum & deorſum corti nis , ſe ipſum induit alba , & ſuper caput mittit , & alligat * ſuperhumerale,id eſt amictum,vt nihil de facie præter ocu los poſſit apparere. Ita ergo molit , ita farinam cribrat, primo cribro quoque diligenter abluto. Major Eccleſiæ Cuſtos, ſi non eſt Sacerdos vel Diaconus , Vicarium ſibi quærit ad hoc opus perficiendum. Duos etiam alios de his ordinibus hujus rei gnaros perquirit , acceptâ licentiâ à Priore , & vnum Conuerſum *. Hi quatuor finitis Nocturnis ſe calciant,facies manúſque lauant, & capita pexunt. Secedunt deinde ad Altare S. Benedicti , & ibi cantant matutinas Laudes ; Primam quoque ſimul , & ſeptem pſalmos cum letania , reliquâ Pſalmodiâ interim dilatâ. Deinde illi tres , qui ſunt alicuius ordinis, induunt ſe albis & humeralibus, vt ſupra dictum eſt de famulo, (ſunt enim albæ & amictus quidam huic ſolo negotio deputati) quorum vnus farinam conſpergit & vehementiſſimè compinguit ſuper tabulam nitidiſſimam habentem limbum in circuitu,aliquantulum in circuitu ſuperficiem altiorem , ne aqua effluere poſſit. Conſpergunt cum aqua frigida , quia inde fiunt hoſtiæ candidiores : à duobus verò reliquis hoſtiæ formantur : Aqua verò non in alio vaſe defertur , quàm in quo ſolet ad Miſſas deferri. Ferramentũ, in quo ſunt coquendę,caracteratum tenet Conuerſus,manúſque induit chirotecis. In ferramento poſſunt ſimul hoſtiæ VI. poni: vnde inter bajulum ferramenti & formatores hoſtiarum ponitur tabula , & ſuper hanc duo ſunt pali infixi , ſuper quos lignum habetur tranſuerſum ſuper quod ponitur ferramentum ad hoſtias imponendas. Quæ non fuerunt coctæ cultello abraduntur , & cadunt in diſco deorſum in tabula impoſito , & linteo jugiter cooperto, niſi quando hoſtiæ abraduntur.

* Linteum quod caput & humeros tegit : amictus , ab amicio. *Gal.* amit.

id eſt. * Nouitium.

Canunt Pſalmodiam quæ remanſit,& ſi voluerint Horas de S. MARIA. Ad alias omnino Horas tenent ſilentium , & ſummopere cauent vt non modò ſaliua , ſed nec flatus eorum aliquo modo ad hoſtias pertingere poſſit. Solus Conuerſus, ſi quid opus fuerit,breuiter famulis innoteſcit,qui faciunt focum non niſi de aridis lignis , & ad hoc de induſtria

præparatis. Ipsi autem hostiarum operarij eo die non cum Fratribus, sed potiùs cum seruitoribus reficiunt; & pro tanti laboris leuamine habent de Apocrisario ad prandium pitantiam & pigmentum.

CAPVT XIV.

De corporalibus abluendis.

* Corporale est linteum quod sustinet in Altari hostiam & consecrandam & consecratam dum celebratur Missa.

CORPORALIA * sacro-sancti Ministerij quotiescunque abluenda sunt, eo studio, eadémque diligentiâ quâ superiùs definitum est oblationes fieri debere, per Sacerdotum vel Leuitarum ministeria maximo cum honore lauantur. Ad hujus etiam rei officium ritè explendum vernale tempus siue autumnale eligitur, eo quòd vernali tempore remota hyemali asperitate, aër jam purior habeatur. Autumnali verò, id est, post Idus Septembris, quia jam muscarum tanta non est insolentia, vt in tempore æstatis, quorum maculæ difficiliùs abluuntur. Ad hoc sanè ministerium habentur vasa ænea altissima, nullis alijs vsibus dedita, in quibus post Vesperos in Ecclesia bis corporalia intinguntur aquæ frigidæ, & teruntur in manibus; iterum aqua tertiò infunditur, ita per noctem mansura: mane verò infunditur sicut & priùs in piscinam super quam Calices lauantur. Portantur deinde foris ad officinam secretarij, in qua sunt abluenda: Ibi namque famuli lexiuam temperant limpidissimam, & diligentissimè colant, & tamen nequaquam effunditur, nisi priùs in superficie panno sint inuoluta, ne si quid tale in lexiua remansit, ad sacra pertingat velamina. Quæ postquam bene lota fuerint, & aliquantulùm siccata, rursus intinguntur aspersioni quæ fit clara & liquida de optima farina, & ita siccantur ad perfectum. Interim verò minimè carent custode, maximè qui muscas & vermiculos insidentes ab eis abigat. Corda, in qua extenduntur ad siccandum, non negligitur vt sit lota, quæ etiam in marsupio ad hoc solummodò opus jugiter seruatur. Quando verò leuigantur eadem corporalia cum vitreo hemisphærio vnus eis substernitur pannus, nec ponuntur vnquam super lignum nudum.

Digitized by Google

CAPVT XV.

De Reliquiis Sanctorum quomodò proſequantur ſiue recipiantur.

QVOTIES aliqua vrgente neceſſitate Reliquiæ Sanctorum extra Monaſterium alicubi ſint ferendæ, hujuſcemodi officijs ſunt proſequendæ. Primùm denique Sacriſta in ornato eas feretro componit. Deinde Fratri ad cujus obedientiam ſunt portandæ, alij etiam ſeniori, cui à Priore earundem cuſtodia Reliquiarum ſpecialiter committitur, omnia neceſſaria, id eſt, candelabra duo, crucem, thuribulum, vrceolum aquæ benedictæ, vexilla tria, cortinam quoque, & tintinnabulum quod à duobus fertur hominibus, veſtimentum, & reliqua Eccleſiaſticis vſibus accommoda præbet. Cùm ab Eccleſia fuerint producendæ, omnes albis induuntur; deinde ſanctum Corpus à Priore incenſatum duobus albatis Cantoribus committitur vſque ad portas caſtelli ferendum. Omnia ſigna pulſantur; Reſponſorium competens à Cantore incipitur. Præcedente proceſſione ſequuntur bajuli pigneris ſacri, deinde infantes, poſtremò Cantores, ad vltimum Conuerſi. Cùm ventum fuerit ad portas, laïci ſuſcipiunt commendatum; Finitóque Reſponſorio, & incipiente Priore Pſalmum, *Ad Dominum cùm tribularer*, proceſſio eodem reuertitur ordine. Item quando reducitur, primùm cuncti Fratres albis induuntur, & duo ſigna majora pulſantur, ac deinde præcedente proceſſione, id eſt, aqua benedicta, thuribulo, Cruce & candelabris, ſimili per omnia modo vſque ad portas caſtelli cum omni ſilentio progrediuntur: Ibi denique Prior accepto thuribulo ſanctas incenſat Reliquias, impoſitóque à Cantore Reſponſorio, cunctiſque reſonantibus ſignis, eodem quo exierat ſuſcipitur modo. Imago autem Beati Petri quando ſuſcipitur, Antiphona primùm, id eſt, *Tu es Paſtor ouium*, à Cantore incipitur, ad cujus initium omnis Conuentus ſubmiſſis vſque ad terram manibus altiùs inclinat, deinde ab Abbate vel Priore verſiculus, *Exal-*

tent eum in Ecclesia plebis pronunciatur & subsequenter Collecta *Deus qui Apostolo tuo Petro* dicitur ; quâ completâ, incipiente Cantore Responsorium eo quo supradictum est ordine defertur ad Ecclesiam.

CAPVT XVI.

De Rasura Fratrum.

INTER cætera quæ Camerarius habet curare, est operæpretium , vt non obliuiscatur quoque prouidendorum rasoriorum, quibus se fratres radant. Ergo ad hæc seruanda specialiter vnus frater ordinatur, qui seruat ea in scrinio modico & serato, positóque secus introitum Dormitorij sursum : quod cùm voluerit, & opus esse viderit, portat in Claustrum , & tamen in vna parte sedet extra Conuentũ ipsa rasoria acuendo & propriando. Et ad hoc præter alias horas, quibus Conuentus sedet in Claustro ad Missas & ad Officium, licet ei vacare. Cùm ad hoc ventum fuerit, vt rasura generalis sit gerenda, faciunt Fratres quasi duas lineas sedendi, scilicet in cancellis Claustri, & prope murum. In vna linea rasoria, in altera per Eleëmosynarium scutellæ singulis dantur, à loco se mouere nequaquam audentibus, sed cum disciplina præstolantibus vsque dum ad se veniat qui scutellas, & rasoria portat. Quisquis radit alterum, frocum exuit, & in cuculla radit : qui raditur in froco suo cucullam exuit, & prope se ponit. Quòd si fortè pro aqua calida apportanda perrexerit, ipsam cucullam decenter complicatam secum in brachio portat. Inter radendum cantatur Psalmodia , *Verba mea* , præmissa eodem modo quo in coquina , & insuper in fine, Psalmi familiares vsque ad Vesperos : qui sunt de Vesp hi non cantantur. Cæterùm vsque dum Psalmodia sit consummata, aliàs summũ silentium est, nisi qui radit in primis dicit, *Benedicite*. Priùs quoque capillos nemo cum forcipe tondere præsumit , nec sine cuculla reinduta. Priusquàm ex toto sit rasus, si ad aliquam Horam signum fuerit pulsatum , cucullam induit super frocum , indutóque capello pergit ad Ecclesiam , non tamen

Digitized by Google

tamen ingreditur Chorum, ſed ſtat ſeorſum. Si quis poſt horam radendi ſuperuenerit, non raditur niſi cum licentiâ Prioris, vel poſt Nonam quando loquuntur in Clauſtro, & non niſi in Calefactorio *, vbi tamen, ſicut in Clauſtro, infirmi priùs vno die raduntur quàm Conuentus. Vices radendi hæ ſunt per annum. 1. Ante vigiliam Natalis Domini, inter quem & Septuageſimam, quia diuerſo modo ſeptimanæ ſunt nunc plures, nunc pauciores, ibi nullus terminus eſt præfixus, niſi Prior viderit quomodò conuenientiùs fieri poſſit. Veniente Septuageſima de vice ad vicem tres ſeptimanæ ſemper intermittuntur. Ante Paſcha in illa tertia feria eſt radendum, maximè quia eo die in Clauſtro licentiam habent loquendi. Poſt Paſcha ad illam Dominicam, *Miſericordias Domini.* Ante Rogationes, in illa feria quinta, ſi tamen nulla feſtiuitate interueniente impeditur. Ante Pentecoſten: de quo die quia rurſus diuerſæ ſunt ſeptimanæ vſque ad ſolemnitatem SS. Petri & Pauli, rurſus quoque raſura permittitur in deliberatione Prioris. Poſteà non erratur de vlla vice, quia ita eſt conſuetudinaliter ordinatum, vt ſemper ſe radant ad Tranſlationem ſancti Benedicti: Ad vincula ſancti Petri: Ad Aſſumptionem S. MARIÆ: Ad eius Natiuitatem: Ad Feſtiuitates S. Michaëlis, S. Lucæ Euang. S. Martini: Ad Aduentum Domini.

* *Id eſt*, cubiculo in quo calefieri ſolent Fratres.

CAPVT XVII.

De Balneis.

HOc omnibus eſt familiare, poſtquam ſe raſerint, cõtinuò etiam balneare. Sed de noſtris balneis non eſt multùm quod loquamur: duabus enim tantùm vicibus in anno balneamus: 1. ante Natalem Domini, & ante Paſcha. Ad quod Decanus villæ per totam illam præcedentem ſeptimanam famulos & ligna ſubminiſtrat, vt vnuſquiſque lauet in cuppa, vel ſine cuppa cum aqua calida. Ad alterutrum quod maluerit facultas datur. Ad ſonum ſigni ſi balneum jam intrauit, & propter hoc vnam horam regularem omiſerit, non imputatur.

CAPVT XVIII.

De Cellerario.

CELLERARIVS eadem benedictione, quâ Prior, ordinatur & absoluitur. Ordinatus scire debet quanta diuersitate in Refectorio sit Fratribus seruiendum. De quo vt non taceam quantum à me sciri potuit, omitto quid referre de fabis quotidie dandis, & non sine adipe, si non est dies jejunij, seu de oleribus comminutis & coctis, quæ secundum quod haberi potuerint, dantur. Præter hæc in septimana tres dies, II. IV. & VI. feriâ, non nisi pitantiam habemus, alios quatuor generale, & hoc quod die Dominica, & V. feriâ est de piscibus, si tamen æquo pretio inueniri possint. Et si non sunt olera, continuabitur generale. Item quotiescunque fiunt XII. Lectiones, generale. In talibus festiuitatibus, vt est, verbi gratia, Translatio sancti Benedicti, vtrumque & generale, & pitantiam, & adhuc etiam in illis principalibus v. festis fabæ sepijs * aut fladonibus * mutantur. In quibus & præter panem solitum, dari solet vna tortula de ouis farináque consperſa. Sunt & plerique anniuersarij, qui si in tali die euenerint quo ex more datur pitantia, propter eos quoque mutatur cum generali. Tales dies habet Cellerarius apud se imbreuiatos *, omníque Sabbato collationem facit cum Priore & Camerario, vel cum eorum Vicarijs, de singulis diebus venientis septimanę, vt quicquid in illo, & in illo die dari debuerit, tempestiuè prouideatur. Item in breui notat summam * porcorum & arietum qui debentur de obedientijs nostris, vt confestim de his quæstionē moueat, si quid de summa * per incuriam cujusque Obedientiarij decedat: ad ipsam quoque Cellerarij obedientiam pendent aliquæ villulæ in vicino appositæ: de his pascit Cellerarius caballos * suos, ibi moratur pisces comparaturus, vel ingenia structurus, quibus pisces capiuntur. Si quis Fratrum adeò est infirmus, vt de lecto surgere non possit, ad hunc quotidie summo diluculo simul cum Infirmario

al. * cæpis. *f.* * fladonibus, placentæ genus, *vulgò Gal.* flans.

id est, * descriptos in catalogo.

al. * numesum.

al. * numero.

* Equos, vnde Gall. *cheual.*

venit, & de omnibus quæ habere poteſt ſciſcitatur ab eo quid ſit quod ſibi videatur, vt præparet ad eius recreationem. Quoties generale piſcium datur, ſtatim poſt Sextam, vel ſi tandiu jejunatur, poſt Nonam, totum eſſe debet diſpoſitum & ordinatum in ſcutellis ſuper tabula quæ eſt in veſtibulo Cellarij, vt Prior veniens antequam conſideat ad ſcillam, videre poſſit quod eſt in ſingulis ſcutellis, ſi eſt æquale & ita diuiſum, vt Prioribus non veniant majores & meliores partes, multùmque in hoc genere perſonarum acceptio cauetur. Eo die quo ſententia Cellerarij legitur in Capitulo, habent de illo fratres bonum generale aut pitantiam & pigmentum, vbi dum legitur, ſemper præſto eſſe debet. In ſequente rurſus Capitulo veniam petit, ſéque reum de multis negligentijs per occaſionem obedientiæ confitetur. Abſoluit eum Prior, & imperat vt Pſalmum L. cum Collecta pro eo ad S. MARIAM communiter ab omnibus cantetur, ſi fortè contigerit quod ad horam refectionis vt panis vel aliud quid non ſit coctum, pertinet quoque ad Cellerarium vt auferat malleum ne cymbalũ percuti poſſit, & interim Fratres ſedent in Choro ad Lectionem. Hi ſunt autem quos Cellerarius ſuffraganeos habet. Primus qui per omnia vices agit eius abſentis, & de omnibus reſpõdet de quibus ſolet & ipſe reſpondere. Secundus eſt qui annonam recipit, quem & Granatarium vocamus. Huic, quando meſſis eſt tota collecta, Prior innoteſcit quãti modij de illa, & de illa obedientia ſunt venturi, & quod ſemel audit, vſque dum ſit redditum, in computo ſuo tenebit. Piſtores ſunt ſub eius manu, qui cùm frumentũ acceperint, duas ſpecies panis ſunt reddituri, vt quicquid ſit de alio conductu, panis tamen qui dandus eſt Fratribus poſſit optimus eſſe. Ergo de modio panis huiuſmodi fiunt CXX. libræ, ſequentis L. * Si quam negligentiam ipſi Piſtores commiſerint, vel conſuetum numerum librarum non reddendo, vel ipſum panem non tam bonum quàm oportet faciendo, præfatus magiſter eorum adducit eos in præſentiam Prioris, & Cellerarij: cuius imperio nudati verberibus emendantur, eodémque momento pane & vino reficiuntur. Quódque alio dixi loco de Decano, ſemper

* *al.* * vltra ſexaginta.

tenetur ab omnibus, vt nunquam diſciplina fiat ſuper quemquam famulorum niſi ante prandium. Sed eodem modo Granatarius præeſt & fullonibus pannos Fratrum lauaturis: quos omni tertia feria lecto Miſſæ matut. Euangelio ducit in Clauſtrum ad arcam, in quam foramine deſuper aperto, panni deſuper ingeruntur. Occurit ei & alius Frater, cui commiſſum eſt, vt videat & in memoria teneat quid illi fullones accipiant, vel quid iterum venientes Sabbato poſt Nonam reddant, vel in Quadrageſima poſt cœnam. Ibidémque rurſus ſedet vt intueatur ne quis Fratrum, & maximé aliquis idiota, ita ſit negligens vt accipiat alios pannos, quàm quibus nomen ſuum inſcriptum eſt: nam & hoc eſt edictum Patrum noſtrorum, vt nullus omittat ſtamineo ſuo ſuum nomen cum incauſto inſcribi, & femoralibus cum filo. Adhuc autem ſub manu Granatarij ſunt & Lignarij qui cum aſinis afferunt ligna de ſyluis, non ſolùm ad furnum, ſed etiam ad coquinam. Quotidie quoque poſt Capitulum ſonatur ſcilla, vel ſi non niſi ſemel comeditur, poſt Sextam, & tunc quicunque de familia panem ſunt accepturi, omnes ad Granatarium occurrunt. Ille quoque curat ne deficiant fabæ. Non in Dormitorio, ſed in Infirmaria jacet, quia frequenter ei contingit vt neceſſariò tardiùs ſe collocet quàm alij. Item ſolet ibi dormire Frater ille qui cum aſinis vadit per obedientias, vt colligat, & adducat annonam.

CAPVT XIX.

De Cuſtode vini.

TERTIVS eſt ſuffraganeus eiuſdem Cellerarij qui vinum recipit & cuſtodit. Vindemiâ conſummatâ ſicut Granatario de annona, ei quoque indicatur à Priore quantas vini carratas * de illo, & de illo debeat expectare. Quando pigmentũ Fratres habere debent, ipſeque æ ad hoc neceſſaria ſunt à Camerario quærit & recipit, ſpecieſque ſingulas ipſe conteri & commiſceri facit. In Cellario dormit cum Cellerario, & nunquam ſine lucerna, ad quam

ſiue * caretas, vehicula & plauſtra. *Gallice* Charettes. *vel*, chariots.

Camerarius dat adipem, ſicut etiam in Dormitorio, & in domo infirmorum.

CAPVT XX.

De Hortulano.

ET Hortulanus debet Cellerario eſſe ſubjectus, vt ſi quid fuerit in horto quod ipſe voluerit, & expedire nouerit ad ſeruitium Fratrum, obedienter habeat ab illo, & ſine mora. Cui etiam nullo modo eſt conceſſum vtcumque meridianam vnquam horam regularem audeat ſuperſedere, niſi aliquando in vno die ſit ei talis neceſſitas remanendi, tunc à Priore licentiam quærit.

CAPVT XXI.

De Refectorario *.

al. * Refecturario, qui curam habet Refectorij, *hoc eſt*, loci vbi cibum capientes Monachi ſe reficiunt.

AD Refectorium ſunt duæ claues, quarum vnam ſemper habet Cellerarius, vt ſi fortè contigerit, vt aliquis Frater ad Meridianam, vel poſt Completorium ſuperueniat, poſſit ei humanitatem exhibere. Item poſtquam Prior & omnes ſe collocauerint, ſi quis pro aliqua cauſa Completorium nondum cantauit, talémque ſitim perpeſſus fuerit, cum licentia Cellerarij bibere poteſt: at ſi erat infra ſepta Monaſterij ad Veſp. bibat, vt dictum eſt, ſi opus habuerit; ſed vt quid comedat poſt Completorium nulla vnquam ratione cuiquam Fratri permittitur incolumi.

Refectorarius verò habet ſub ſe tres alios Fratres, qui primùm omni die poſt Capitulum ſtatim menſalia ponunt. Ponunt cochlearia & panes, qui ſi ſint aliquantulùm ambuſti, ad hoc habent cultellos quibus eos radant, & ad hoc mappulas quas priùs ad collum ſuſpendunt, vt radendo ipſos panes poſſint honeſtè contra pectus reclinare. Lecto Miſſæ majoris Euangelio apportant vinum

vt per justitias [a] partiantur: Verùm quicquid apportauerint, quicquid tale fecerint, semper tamen id cauent vt nullus famulus pro illorum inuitatione in Refectorio compareat. Quòd si duabus vicibus comeditur, post Vesperos qui libram [b] suam totam manducauit, & vinum compotauit, ei tunc apponitur dimidia libra; sed de justitia nihil minuitur, quæ & ea vice semper est danda. Quòd si aliquando denuò non reficiunt, tamen denuò bibere nunquam omittunt. Hoc est autem quod specialiter pertinet ad Refectorarium majorem. Quoties pigmentum [c] datur, ipse modiolis [d] infundit, ipse scillam pulsat, quæ ad hoc solùm in extremitate Refectorij pendet, quæ etiam si pulsatur ad benedictionem pigmenti in qualibet festiuitate, & in quolibet anniuersario, tunc tamen non pulsatur si pigmentum datur, vel pro Domno Abbate de via veniente, vel de domo Infirmorum in Conuentum redeunte, vel pro aduentu Prioris, vel pro sententia Cellerarij, vel si quis alius familiaris impendit eis charitatem. Item ad eum pertinet vt omni die Dominica, & omni v. feria, mutet illa tria manutergia, quæ in Claustro jugiter pendent ad tergendas manus. Item vt sciat in quibus diebus mensæ omnes Refectorij ex toto sunt cum mensalibus [e] cooperiendæ; & hoc est quoties vniuersi Fratres ad majorem Missam albis induuntur, & in quinque Dominicis (exceptis quas jam in alio loco nominaui) & in vigilijs quinque principalium festiuitatum, in quibus & semper generale datur. In alijs verò diebus non nisi dimidiæ præter mensam principalem cooperiuntur, & ita vt nec scutellæ, nec justitiæ super mensalia ponantur.

[a] Iustitia hic sumitur pro vasculo siue poculo continente mensuram vnicuique præscriptam, inde eiusmodi poculum justitiæ nomen fortitum est. *b sup.* panis.

[c] Vinum ex diuersis speciebus confectum. [d] Vasculis.

[e] *Id est*, mappis.

CAPVT XXII.

De Custode Hospitij.

HOSPITES qui sunt peregrini, vel qui non pro alia causa quàm animarum suarum aduenium, Custos hospitij cum omni recipit benignitate: Quicquid eis opus fuerit à Cellerario quærit, & si Cellerarius fortè non ha-

Digitized by Google

buerit, quærit à Camerario, vt abſque omni excuſatione comparetur. Sed vt primùm dicam de perſonis hujus vitæ, habitúſque noſtri. Si aliquis Abbas, vel etiam priuatus Monachus de longinquo loco aduenerit, & non bene nouit ordinem noſtrum, hunc inducit in Clauſtrum; ſed priùs ei humiliter oſtendit de conſuetudine noſtra, ſcilicet vt ſi ei placet intraturus Eccleſiam ad limen veniam petat, & proſternat ſe ad orationem etiam ſi dies eſt feſtus. Adhæret ei jugiter, & monſtrat in quibus locis debeat orare: primò ad ſanctam Crucem, in Choro ad Altare principale, ad S. MARIAM; aut ſi Eccleſia non eſt clauſa, & intus ſunt aliqui populares, tantùm ad Altare S. Ioannis, quod eſt in membro dextro Eccleſiæ, & ad S. MARIAM. Cùm ventum fuerit ad Horam reficiendi Abbas ſedet ad menſam principalem, non tamen ad ſcillam, pro eo quod, vt ſupra memini, non eſt eruditus noſtri ordinis. In Eccleſia verò defertur ei, vt det lecturis benedictionem, & ponat incenſum in thuribulo. At ſi ea ſuperuenerit hora qua ſeruitores jam ad reficiendum conſederunt, tunc non ſedet ad menſam principalem, nec tamen petit licentiam comedendi ad gradum ab eo qui ſedet ad ſcillam ſicut alij, ſed tantùm dicit verſum ante tabulam ad quam eſt ſeſſurus. Et quia tardiùs venit, ſeruitoribus recedentibus ipſe remanet, & ſecundum verſum finit ibidem. Si ſocietatem noſtram quæſierit, poſtquam diſputatum fuerit in Capitulo de ordine noſtro, quantum Priori noſtro videtur, mittetur pro eo. Venienti aſſurgit Conuentus, petit veniam pro ipſa ſocietate, & recipit cum libro, rogatur vt ſedeat, nec permittitur vt ampliùs veniam petat. Socij verò eius ternas petunt venias, ſuper manus & genua contra Priorem, ad dexteram, & ad ſiniſtram Fratribus è contra inclinantibus. At ſi eſt talis homo qui cum proceſſione recipiatur, ſiue ſit profeſſionis noſtræ, ſiue de alia, poſtquam receptus fuerit, legitur ante illum aliquid de pagina diuina. Quòd ſi eſt ordinis Clericalis, & ſi videtur vt comedat in Refectorio, habitum quoque Clericalem induitur. Adductus ad oſtium Clauſtri, expectat vſque dum inuitetur, vt Dom. Abbas, vel ſi ille non affuerit, Prior ei aquam

præbeat ad manus, qui & procedit vt ſcillam pulſet, quâ auditâ inducit hoſpitem Cuſtos hoſpitij, & ſedet ad menſam principalem. Si eſt Epiſcopus, dat Lectori benedictionem. Qualiſcunque ſit Fratrum victus, tamen hoſpiti ſimul cum Priore liberaliter eſt ſeruiendum. Cùm autem de menſa Fratres ſurrexerint, Cuſtos hoſpitij nouiſſimus de Refectorio exit cum ipſo; cum quo etiam incedens pedetentim & Pſalmum L. cantans extra oſtium Clauſtri, finit eodē modo quo Conuentus cum verſu & inclinatione.

Si Laïcis vel Clericis ſocietas datur in Capitulo, hi veniam non petunt. Si videre geſtiunt officinas Clauſtri, quæſitâ à Priore licentiâ ad alterutram Miſſam, cùm fuerit Conuentus in Eccleſia, inducit eos Cuſtos hoſpitij, primùm in domum Eleëmoſynariam, in Cellarium, in Coquinam, in Refectorium, in Cellam Nouitiorum, in Dormitorium, in domum Infirmorum, vbi Fratres non loquuntur, nec ipſe verbum facit. Cauet autem omni modo ne quis aliquando intret vel calcaria portans, vel oſis * de corio factis indutus. Vt autem deeſſe non poſſint qui hoſpitibus honeſtè obſequuntur, conſtitutum eſt vt famuli D. Abbatis, & famuli Prioris, & Camerarij, qui cum eis ſolent equitare, omnes accipiant libram ſuam, & juſtitiam de manu Cuſtodis hoſpitij, & quotidie veniant ad eius præſentiam, vt quod ipſe juſſerit obſeruent. Et ſi quis illorum quoque abierit abſque eius licentia, illo die juſtitia carebit. Præterea ad ipſum hoſpitium duo aſini ſunt deputati, qui ligna quotidie apportent, vt cùm hoſpites ſuperuenerint, in promptu ſit copia lignorum, & cùm tales adfuerint, cereus in hoſpitio arſurus per totam noctem ſolet non deeſſe. Quòd ſi tanti ſunt hoſpites, de reliquiis ciborum Cuſtos hoſpitij famulis ſuis qui ſeruierunt aliquam exhibet charitatem, & quod ſuperfuerit, Eleëmoſynarius totum accipere debet. Oſtium Clauſtri vnaquaque nocte poſt Completorium per ipſum eſt claudendum, & porta veſtibuli Eccleſiæ, ſicut etiam per famulum ſuum exterior porta murorum. Et Clauſtrum quidem nequaquam ante diem aperitur, & quando Fratres in meridie pauſant, ſimiliter obfirmatur.

* Oſa ocrea: *forte à verbo Gal.* houſe, *ſiue* houſeau.

CAPVT

CAPVT XXIII.

De Stabulario.

EST Frater cui commiſſa eſt obedientia, vt de ſolis curam habeat caballis & mulis, quem & Stabularium appellant. Qui cùm viderit hoſpites in hoſpitio eſſe receptos, ſtatim cogitat de caballis eorum quid eis ſit tribuendum, & ſi fortè defuerit, accedit ad Camerarium, vt faciat comparari. Priùs quoque quàm ipſi hoſpites abeant, quotquot beſtias habent non ferratas, ad omnes dat noua ferramenta, & vt malleus ſit ſemper ad manum, cum ferrea catena eſt connexus ad portam.

CAPVT XXIV.

De Eleëmoſynario.

QVEMADMODVM à Cuſtode hoſpitij recipiuntur omnes peregrini qui faciunt iter equitando, eodem modo quotquot pedites vadunt ab Eleëmoſynario ſunt recipiendi, excepto ſi legatus eſt & litteras apportat, hunc colligit Cuſtos hoſpitij. Receptis autem ſingulis, quærit Eleëmoſynarius à Granatorio vnam libram panis, & ſequenti die abituris ad prandium dimidiam. Menſuráque ſimili venientibus & abeuntibus dat vinum, ſcilicet juſtitiam dimidiam. Ergo in Aduentu Domini, exceptis his diebus quibus bis comeditur, & in Quadrageſima, exceptis Dominicis, & per totum annum quoties pro Canonicis inſtitutis ab adipe abſtinetur, vt in Rogationibus, in vigilijs Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum, & in Quatuor-Temporibus, quicquid de vino ſuperfuerit Fratribus in Refectorio, totum accipit Eleëmoſynarius, ſicut etiam de pane, & per totum annum de pigmento, hoc vinum colligit & reſeruat, vt peregrini ſuperuenientes ſemper de hoc habere poſſint. Illo quoque die quo ita panem recipit

de Refectorio, non tantùm quærit à Granatario, sed de ipso pane dat quantis potuerit peregrinis; & quod sibi viderit deesse, hoc à Granatario quærit. Item accipit quotquot defunctorum Fratrum est anniuersarius, præbendas etiam totidem integras, in pane, in vino, in fabis & generalibus. Pro quolibet nuper defuncto Fratre, qui professus est nostræ congregationis, vbicumque obierit, præbendam per x x x. dies. Et si fabas de regulari coquina habere non potest, rursus à Granatario quærit. Et pro generali Cellerarius aliquando dat carnem. Et ipse quoque Eleëmosynarius comparat cum denarijs qui sibi pro decima de Ecclesia dantur: sicque prouidet vt & carnem dare possit frequentiùs peregrinis, & recedentibus singulis dat vnum denarium; si tamen aduertere potest quòd ampliùs in loco nostro non fuerint, aut infra vnum non venerint annum. Sunt & xviii. pauperes præbendarij pro quibus quotidie famulus Eleëmosynarij accipit de Cellerario totidem quoque justitias vini, & à Granatario totidem libras panis, & fabas ad quatuor dies septimanæ, reliquos tres non habent nisi olera de horto ad Eleëmosynam deputato. Sed in majoribus festis habet etiam carnem pro fabis, & per annum erunt x x v. dies, in quibus habebunt carnem. Igitur ad vestitum annuatim in Pascha nouem cubitos lanei panni; & in Natiuitate Domini par calceorum. Qui & in ea sunt disciplina, vt simul in vna dormiant officina, nec audeant omittere omnibus Nocturnis interesse, nisi quis eorum adeò sit infirmus, vt de lecto non possit surgere; aliàs qui non venerit, eo die justitiam non habebit. Quod ille Frater explorat qui facit circam ad Nocturnos per Altaria in secundo Nocturno, cum absconsa exit ad eos in nauim Ecclesiæ, & diligenter notans si quis eorum defuerit, Eleëmosynario innotescit.

Sed & ipse qui nouit quòd aliquando talis est eorum præbenda, solet eis per vices pitantiam * exhibere. Habet enim adhuc quotidie de Refectorio quicquid Fratribus supererit, & de generali, & de pitantia medietatem, altera parte cocis * popularibus deputata: & de hac quæ sibi contingit, solet & famulis suis similiter dare, quibus &

* à Gallico, *pitance*, pro obsonio, vel lautiori fercolo.
* *al.* cæcis.

dimidiam libram panis addit, excepto eorum ma[illegible]re, ei dat integram: Sed & ſinguli habent integram de Granatorio. Sunt autem ſex, vnus, vt dixi, major, qui ſeruit præbendarijs, & alijs pauperibus & peregrinis: alter eſt oſtiarius Eleëmoſynariæ domus: duo vadunt quotidie cum duobus aſinis pro lignis ad ſyluam: Duo ſunt prouiſores duorum furnorum, de quibus per vices aliquid ſubſidij venit ad Eleëmoſynam juxta morem gentis, & patriæ. Præterea trium Fratrum præbendæ dantur ad Eleëmoſynam, ſcilicet pro Beatiſſimo Patre Dom. Odilone, pro Henrico primo Imperatore, pro Fredelando * & eius vxore, & Regibus Hiſpaniarum. Mandatum etſi non per totum annum geratur à Fratribus, tamen Eleëmoſyna non remanet vnquam: famulus enim Eleëmoſynarij in hyeme cum aqua calida pedes trium pauperum lauat, dátque libram & juſtitiam ſingulis de tali pane qualem habent in Refectorio Fratres. Super hæc omnia quotidie dantur & XII. tortæ *, quarum vnaquæque tres libras appendit. Hæ verò pupillis & viduis, claudis & cæcis, ſeniculis & aniculis, cunctíſque ſuperuenientibus egenis ſunt erogandæ.

* Rege Hiſpaniæ.

* Placentæ, ex farina vt plurimùm ſiliginea, caſeo & melle adjecto, vulgò Gal. *tourte*, ſiue *tourteau*, *gateau*.

Hoc etiam pertinet ad officium Eleëmoſynarij, vt ſemel in ſeptimana totam villam perluſtret, quærens ſicubi pauper aliquis jaceat ægrotus, & ſi maſculus eſt, ipſe viſitaturus intrat, ſi fœmina ſtat ad oſtium, & famulum ſuum mittit ad eam cum pane & vino, & cum alijs ſpeciebus, quas meliores potuerit habere. Iuncus qui ſpargitur in Eccleſia & in Clauſtro per Eleëmoſynarium eſt prouidendus: Sex enim vicibus per annum ſcopari facit vtraque, totúmque cum junco recèns acquiſito contegi pauimento *; id eſt ad Natalem Domini, ad Paſcha, ad Pentecoſten, ad Nat. S. Ioannis, ad Aſſumpt. S. MARIÆ, ad Feſtum omnium Sanctorum. Propter quod etiam ſingulariter priuſquam ipſa veniant feſta, dantur ei ſex tortæ in hyeme per tres ſeptimanas, in æſtate per duas, eo quod juncus tunc faciliùs valet acquiri: Sed & in cunctis feſtiuitatibus, in quibus duo & duo cantamus Reſponſoria, ſicut in ſupradictis ſex, totam Eccleſiam & Clauſtrum recenti conſpergit junco: in cæteris verò ſolemnitatibus, vt eſt Tranſlatio S. Bene-

f. * pauimentum.

dicti, quas in cappis agimus, sed & in his, quas in albis, seu per omnes Dominicas Quadragesimæ per Ecclesiam, & vbi schola sedet, & in Claustro, & in medio Capitulo non negligit juncum conspergere.

CAPVT XXV.

De Infirmario.

INFIRMARIVS ad obsequium infirmorũ separatim habet cocum & coquinam, & ipse quoque non ab alio quàm à Cellerario quærit quod habuerit opus, eáque nunquam caret opera, vt quod infirmis ad refectionem est præparandum, tempestiuè præparetur. Nam si Conuentus duabus vicibus comedit, tunc qui in lecto non jacuerint, non omittunt ad majorem Missam interesse vsque dum Euangelium sit lectum; recedunt ad S. MARIAM vt cantent Sextam, nec vlteriùs ex more prandere morantur. At si Conuentus vsque ad Nonam jejunauerit, ipsi post Capitulum, vel si Capitulum est ante Tertiam, vt ab Idibus Septembris vsque ad Kal. Octobris, post Tertiam statim cantant Sextam, & reficiunt. Ergo quicumque carnem comederint ad prandium tria habent fercula, ad cœnam vnum. Et ad cœnam quidem accedere omni tempore sic accelerant, vt non sit necesse vlla vice supersedere collationem: qui absque comestione carnis tamen morantur in domo infirmorum, nec sunt huius valetudinis vt cum alijs in Refectorio comedere possint, eisdem quoque reficiunt momentis. In Quadragesima verò omnes infirmi post Nonam statim cantant Vesperos & cætera quæ sequuntur; & sine mora accedunt ad mensam. Extra Quadragesimam si euenerit generale jejunium, vt in Quatuor Temporibus, iterum post Missæ majoris Euangelium, cantant Nonam, & reficiunt. Tales sunt aliquando infirmi qui per annum integrum vel ampliùs non exeunt de Infirmaria: & his, si tantùm valuerint, conceditur, vt mane sedeant in Conuentu, & ad Matut. Missam offerant, veniant in Capitulum, & ad Collationem, & tamen comedant cum alijs infirmis. Si

verò manifeſtè talis eſt alicuius Fratris infirmitas, quæ non multùm impedit virtutem jejunandi, vt eſt, v. g. luminis amiſſio, & orbitas oculorum, Conuentu ſemel comedente, ipſe quoque ſemel comedere non prohibetur.

Sed vt adhuc redierim ad ipſum Infirmarium, ad Nocturnos factis orationibus accipit abſconſam & circuit lecta omnium infirmorum, vt cognoſcat ſi quis eorum nondum ſurrexit, propter quid remanſerit. Ad eum quoque pertinet, vt ſi quis de lecto ſurgere non poteſt, ſummo diluculo cum Cellerario veniat (ſicut & in alio loco jam præmiſi) vt cum eo concordet quod præparetur ad eius recreationem. Ad horam competentem accurrit ad coquinam officij ſui, vt cocum faciat quæ præparanda ſunt præparare. Ad horam competentem inuitat infirmos ad reficiendum, fercula quæ apponenda ſunt ipſe apponit, quicquid non comederint, ſi eſt huiuſmodi quantitatis ipſe non reponit: habet enim armariolum in quo talia recondit, & adhuc candelas, & poma, raróque aut nunquam defuerint in eo piper, cynamomum, gingibrum *, aliæque radices quæ ſunt ſalubres, vt ſit ſemper in promptu quod valeat infirmo, fortaſſis vt aliquando contigerit ſubita paſſione percuſſo, vel ſi expedit, vt pigmentum ei conficiatur. Camerarius enim non inuitus præbet Infirmario huiuſmodi facultatem. Famulis autem qui infirmis obſequuntur, de reliquiis ciborum pitantiam impendit, de reliquo reddit Granatario panem, & Cellerario carnem; aut ſi quid eſt tale quod infirmis honeſtè poſſit redhiberi, eis ſeruat. Nunquam horam omittit regularem abſque licentia, niſi fortè D. Abbas vel Prior ſint in Infirmaria, ſi propter eos omiſerit, hoc non notatur. Poſt Completorium apportat aquam benedictam, & aſpergit per omnia lecta infirmorum. Et cùm hora fuerit, vt omnes jam ſe debeant collocaſſe, cum abſconſa diligenter neceſſarias perluſtrat.

* Gingiber, *ſeu* zingiber, genus aromatis, *Gal.* gingembre.

CAPVT XXVI.

De Famulis ad domum Infirmorum pertinentibus.

FAMVLORVM qui ad domum Infirmorum pertinent, quia superiùs memini, vt de his quoque magis aliquantulùm dicam, tres sunt ex more; duo qui coram eis dormiant, & ad mensam seruiant; qui & huius sunt disciplinæ, vt quandiu comedunt infirmi, nunquam coram eis sedeant aut consistant, ne fortè audiant si quis eorum tale quid dixerit, vt sunt homines inter comedendum, quod non expediat à famulis sciri, vel per eos propalari. Quisquis illorum foris stat procul, aut sedet, & cùm opus fuerit à quolibet infirmo cum sonitu vocatur. Cùm fecerit propter quod vocatus est, rursus celeriter exit. Tertius famulus ad hoc est maximè deputatus, vt lauet pannos ad cocturas omnium, vt aiunt, Fratrum coctorum necessarias, focum faciat, & aquam calefaciat, qua scutellæ sunt lauandæ. Omnes autem aliquando pariter, aliquando vicissim pergunt ad syluam, incidunt ligna, cum vno asino afferuntur, vt infirmi cùm voluerint focum habere possint, & ad hoc solùm asinus optimus semper est à Granatario pascendus, nec alius famulus minat eum quàm vnus de supradictis.

CAPVT XXVII.

De Infirmis.

FRATER qui incœperit ita infirmari vt Conuentum tenere non possit, petit veniam in Capitulo, & monstrat quòd sit infirmus. Iubetur foris Chorum stare, vt pro voto suo possit sedere, & Cellerarius curat, vt in Refectorio non absque pitantia eum dimittat. Cùm ita biduum vel triduum transierit, si non erit melior eius valetudo, inuitat eum Prior ad domum infirmorum. Secundo die vel tertio, si nec dum etiam aliquantulùm conualuit, rursus

Prior ad horam prandij eum inuiſit, carnem facit apportari, præcipit vt comedat. Ab ea vice nuſquam abſque baculo incedit, & niſi caput capello coopertum. Ad vtramque Miſſam matutinalem & majorem venit ad Eccleſiam, quanquam ad majorem non niſi vſque poſt Euangelium interſit. Si in Capitulum non intrat, tamen quod in Capitulo legitur auſcultat, ſcilicet ſententiam Regulæ, vel de Euangelio, & ad collationem. Si Conuentum fuerit vt agatur de negligentijs Fratrum, ad hoc audiendum non debet eſſe curioſus; mox enim de oſtio recedit, vbi accubans auſcultatur; ſilet tamen ex more vſque dum Capitulum ſit peractum. Priuſquàm ſedeat ad menſam lauat manus ad lauatorium Infirmorum. Inter comedendum, ſi non eſt indictum ſibi ſilentium ex toto, vt in Refectorio, tamen nec licentiam multiloquij habet. Poſt prandium quoque non licet ei vacare loquacitati: ſed continuò ſe ponit in lectum, aut ſi eſt eo tempore quo Fratres non meridiantur *, tunc ſi maluerit, vadit ad capellam S. MARIÆ: Vbi rurſus poſt cœnam ſedet aut jacet quando Fratres in Clauſtro ſederint ad Lectionem Circatores autem frequenter viſitant domum Infirmorum, & diligenter explorant quomodò ipſi ſe habeant Infirmi. Et iterum Infirmarius ſi quam viderit negligentiam, maximè in loquacitate, reclamat in Capitulo. Prior autem de Capitulo mittit ad eos, & ipſe poſtmodùm venit ſemel ad eos, & ſecundò caſtigans: taliſque infirmus eſſe poteſt, vt ſi non emendauerit, aliquando etiam virgam experiatur. Verùm qui ita conualuerit vt redire poſſit ad Conuentum, redeundi licentiam quærit à Priore. Vnguntur calcei eius diurnales, & ſequenti die induit eos rediturus. Cùm primò ſignum pulſatur ad Primam, vel ſi eſt eo tempore, eáque die, quâ Tertia cantatur ante Capitulum, ſtat prope oſtium ad S. MARIAM, & pueros præſtolatur; quos cùm viderit tranſeuntes, ſequitur eos in Eccleſiam, & ita ſe coadunat Conuentui. Cùm venerit in Capitulum, & poſt Lectionem Prior juſſerit vt de ordine loquantur, ſtatim ſurgit, & veniam petens, ita perſequitur: *In domo eram Infirmorum, ordinem noſtrum, vt debui, non ita cuſtodiui.* Et Prior reſpondet:

* *id eſt*, dormiunt tempore meridiano.

Deus indulgeat vobis. Inclinat altissimè cõtra Priorem, contra dextram & sinistram, & ei similiter à singulis partibus inclinatur: tunc in loco pœnitentiæ injungit illi vt cantet septem Psalmos, vel si nescit, septies orationem Dominicam. Si quis est adeò infirmus in ipso Aduentu Domini, seu in Septuagesima, non permittitur à carne abstinere. Et quandocumque conualuerit, etiam si sit in media Quadragesima, vel in Ramis Palmarum, petit veniam in Capitulo, sicut fieri solet pro comestione carnis.

CAPVT XXVIII.

De Vnctione cujusque Fratris.

FRATER qui se infirmitate ingraueſcente senserit in proximo ab hoc sæculo migraturum, de omni conscientia sua Dom. Abbati, vel Priori, confitetur, & rogat vt oleo Infirmorum vngatur. Adducunt eum priùs in Capitulum duo Fratres inter manus, si est adeò infirmus, & petit veniam, reúmque se de multis negligentijs contra Deum, & contra illos confitetur. Imprecatur ei Prior absolutionem, cunctis respondentibus, *Amen*, & ipse eis similiter. Reducitur, & collocatur in lecto tali submisso, vbi Fratres possint vndique circumstare. Post Capitulũ Sacerdos Hebdomadarius indutus alba & stola, procedit cum oleo Infirmorum, cum aqua benedicta, cum Cruce, & cum duobus cereis in candelabris, & Conuentus sequitur. I. Psalmo impoſito, dicenda est primò hæc Collecta à Sacerdote: *Omnipotens sempiterne Deus, qui per B. Apostolũ tuum dixisti; Infirmatur quis in vobis, &c.* Imponuntur VII. Psalmi cum istis Antiphonis, *Sana me Domine quoniam, &c.* Psal. *Domine ne in furore tuo.* Antiphona, *Erat quidã Regulus:* Psal. *Beati quorum*; Antiph. *Domine puer meus:* Psal. *Domine ne in furore.* Antiph. *Cor contritum*; Psal. *Miserere:* Antiph. *Domine descende:* Psal. *Domine exaudi:* Antiph. *Domine non sum dignus.* Psal. *De profundis.* Ant. *Cùm sol autem occidisset:* Psal. *Domine exaudi.* Interim Sacerdos hoc modo facit vnctionem, pollicem oleo illinit, & cum pollice signum Crucis

Crucis imprimit ſuper vtrumque oculum ita dicendo: *Per iſtam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccaſti per viſum.* Item ſuper vtramque aurem: *Per auditum*; ſuper vtraque labia, *Per guſtum*; ſuper naſum, *Per odoratum*; ſuper manus, *Per tactum*; (& Sacerdotes extrinſecus *) ſuper pedes, *Per inceſſum*; de ſubtus ſuper inguines, *Per ardorem libidinis.* Lauat manus *; & lauatio non niſi in loco mundo & abdito ſolet effundi. Tunc ſi infirmus non communicatur, Sacerdos ipſe ſubjungit has omnes Collectas, his verſ. præmiſſis; *Saluum fac, &c. Mitte ei, &c. Nihil proficiat, &c. Eſto ei, &c.* Orat. *Deus qui famulo tuo Ezechiæ, &c. Reſpice Domine famulum tuum in, &c.* Alia, *Deus qui factura tuæ, &c. Deus qui humano generi, &c. Virtutum cœleſtium Deus, &c. Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem, &c. Exaudi Domine preces noſtras, &c. Præueniat hunc famulum, &c. Domine Deus noſter qui offenſionem noſtram, &c. Adeſto Domine ſupplicationibus, &c. Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo, &c. Deus humani generis, &c.* Si autem communionem ſacram percepturus eſt, tunc ab alio dicuntur præfatæ Collectæ; & ipſe interim Sacerdos, Cruce, & aqua benedicta remanentibus, redit cum geminis candelabris ad Eccleſiam, vt Corpus Domini apportet, quod accepturus priùs veniam petit, & priùs incenſat, frangit, & partem quam allaturus eſt, ſuper Calicem tenet, & tam ipſe Calix, quàm manus Sacerdotis, linteolo candidiſſimo cooperitur. Quicumque illi obuiauerint, veniam petunt *. Interea curatur vt infirmi bucca lauetur recepturi ipſum Corpus Domini; quod recipit vino intinctum *, quo epotato, ebibit quoque ablutionem Calicis, & ſecundò ablutionem digitorum Sacerdotis, & adhuc tertiò Calicis. Adhibetur illi Crux vt eam oſculetur: Oſculatur etiam quaſi vltimum vale facturus, primò Sacerdotem, deinde omnes Fratres, ipſos quoque pueros. Redit Conuentus rurſus impoſito L. Pſalmo.

al. * (Si Sacerdos, exteriùs)

* *In alio cod. Bernardi additur:* & priùs in cinere confricat (olim iſtud in cruſtis ſiliginei panis.)

* *Prolixiora hîc edidimus ex alio cod. in Obſeruat. ad Guibertum pag. 614.*

* *id eſt*, proni adorant.

al. * Ipſum autem Domini Corpus in vino aquæ permixto intinguitur.

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

Quid agendum est in fine exitus.

POSTQVAM autem Frater ad hujusmodi venerit infirmitatem, prouidetur ei vnus famulus, qui non habet aliud facere, nisi vt obsequatur infirmo. Sed & in nocte famuli qui sunt in domo Infirmorum omnes diligenter excubant, ne obitus eius improuisus possit euenire. Crux est contra faciem eius adfixa, & lumen cerei vsque ad clarum diem non defuerit. Si quis Frater est ita religiosus, cui hoc pro singulari libuerit affectu, vt ipse quoque remaneat excubans cum infirmo, libenter ei acquiescitur à Priore, maximè si est hujusmodi qui infirmo horas cantet regulares, & venienti ad extrema legat passiones. Famuli autem qui sunt in talibus multùm exercitati, multúmque periti, cùm viderint jam eius exitus horam imminere, cilicium expandunt, cinerem desuper aspergunt, & infirmum de lecto leuatum in cilicium submittunt, ab vno eorum percutitur tabula contra ostium Claustri crebra & quasi continua percussione. Quod cùm signum sit obituri, illico vt auditum fuerit, Fratres omnes accurrunt: Nam quamuis homini nostri ordinis omninò sit prohibitum, vt vllius rei gratia grauem & temperatum incessum aliquando excedat, tamen ad morientem & ad incendium etiam præceptum vt currat. Sed si hæc tabulæ percussio euenerit vel quando alterutra Missa, vel quando regularis hora cantatur, quotquot stant foris Chorum accurrunt, qui in Choro, minimè, nisi quibus Prior innuerit, & obedientiarij qui ad exequias aliquid sunt facturi. Quòd si in Refectorio adhuc sedent, & lectio necdum est finita, idem quoque prosiliunt, quanquam defuncti corpore lauato, & in Ecclesiam deportato, denuò sit illuc redeundum, vt Lectio finiatur, & Psalmus consuetus cantetur. Accurentes autem cantant & recantant majorem symbolum fidei, vt fraterna fides suffragium conferat migraturo. Sed si exitus eius tardior aliquantulùm fuerit, agenda est ipso Dom. Abbate vel Priore pro-

nuntiante letania ; & vnicuique nomini Sanctorum ſubjungendum eſt, *Ora pro eo.* Eſt autem prolonganda prout permiſerit temporis ratio, & ſecundum quod in cauſa migraturi proſpici potuerit, vel æſtimari. Finitis verò Sanctorum nominibus confeſtim ſubinfertur, *Propitius eſto, Parce ei Domine. Propitius, &c. Libera, &c. De gladio maligno, Libera eum Domine. A morte perpetua, Libera, &c. A pondere peccatorum, Libera, &c. A tetra caligine, Libera, &c. Per crucem tuam, Libera, &c. Per interceſſionem omnium Sanctorum, Libera, &c. Peccatores, Te rogamus audi nos. Vt iracundiæ tuæ flagella ab eo amoueas, Te rog. Vt ſpiritum eius à loco anguſtiæ liberes, Te rog. Vt cum fiducia diem judicij expectet, Te rog. Vt eum in numero placentium tibi recenſeri facias, Te rog. Vt eum à numero diſcerni facias malorum, Te rog. Vt eum in regione viuorum æternis gaudiis foueri jubeas, Te rog. Vt eum præmia æternæ vitæ adipiſci facias, Te rog. Vt eum à mortifero vaſtatore defendere digneris, Te rog. Agnus, &c. Parce. Agnus. Dona ei requiem. Agnus. Miſerere eius.* Quòd ſi necdum finiuit, Conuentus recedit, & aliquanti qui remanent, Pſalterium incipiunt. Cùm autem jam eum non dubitauerint obiiſſe, dicuntur à Sacerdote hæ Collectæ: *Piæ recordationis affectu, Fratres.* Alia, *Deus cui omnia viuunt. Suſcipe Domine animam ſerui tui.* Conuentus exiens vt conſideat ante Capellam S. MARIÆ, cantat Veſperos pro Defunctis, Officium & Matut. non aliâ Collectâ, quàm eâ ſolâ, ſemper ſequente: *Omnipotens ſempiterne Deus.* Et ſi Frater obierit interim dum Conuentus eſt ad regularem horam, vel ad Miſſam, poſtea non ita currendo venit, ſed moderato inceſſu, & cantando Veſp. Defunctorum.

Mox autem vt obierit, vltrò procurrunt Conuerſi vt pulſent omnia ſigna, & prolixè, vt apportent adhuc aliam Crucem, & rurſus aquam benedictam, candelabra, & thuribulum, quæ cùm fuerit apportata, incenſo ſuper Defunctum facto, aſpergitur etiam aqua benedicta. Poſt modicum ſimul cum ipſis quæ apportata ſunt effertur in atriolum vbi lauetur. Sed eum nec portant, nec lauant, nec in ſepulchrum ponunt alij Fratres, quàm qui eius ſunt ſimi-

les vel in ordine, vel ſine ordine. Ad Infirmarium pertinet aquam calidam prouidere: ad Camerarium ea quibus eſt induendus. Ponitur ſuper tabulam ad hoc ſolùm deſtinatam, nudatur, lauatur à vertice vſque ad plantam pedis. Sola verenda veretri ſtamineo ſunt cooperta. Veſtitur ſtamineo, cuculla, caligis nocturnalibus, & ſudario quod eſt de eodem panno, de quo eſt ſtamineum, ſicut & caligæ, quæ & longiores ſunt quam aliæ caligæ, nec in extremitate patulæ ſunt conſutæ. Capellum cucullæ deſuper faciem ex vtraque parte conſuitur contra pectus, ſuper quod etiam manus ſupra cucullam complicantur, ipſáque cuculla per loca conſuendo ita conſtringitur, vt in nulla parte ſit laxa. Item nocturnalia conſuuntur ad inuicem. Inter lauandum lauatores quotquot ſciunt Pſalmos non ceſſant à Pſalmodia, & Sacerdos dicit hanc Collectam: *Suſcipe Domine animam ſerui tui.* Poſtquam veſtitus fuerit, incenſum, quod interim ſemper erat continuum, mittitur ſuper eum, & aſperſus aqua benedicta, ponitur in feretrum, & deſuper opertorium leuatur, portatur vſque ad oſtium contra Conuentũ; qui cùm venerit ad finem alicuus Pſalmi, hoc Prior obſeruat, & percutit tabulam ſemel tantùm. Dimiſſâ Pſalmodiâ, ab omnibus inclinatis dicitur oratio Dominica, & Prior, *Et ne nos inducas, &c. Aporta inferi.* Orat. *Deus vitæ dator, &c.* Alia: *Deus qui humanarum animarum æternus amator es.* Imponitur Reſponſ. *Subuenite.* Item, *Heu mihi, &c.* In proceſſione Crucem ſequuntur pueri, poſteà Priores poſteà Conuerſi, & Defuncti portitores nouiſſimi, ipſéque Defunctus ante Altare S. MARIÆ collocatur, vſque dum pro eo hæc Collecta dicatur: *Deus veniæ largitor.* Rurſus impoſito Reſp. *Ne recorderis*, & poſteà, *Peccantem me quotidie*: & pulſatione omnium ſignorum jam incepta, portatur in Eccleſiam majorem, ponitur ſuper formas. Crux cum candelabris ad caput eius adfigitur. Ab illa hora, quouſque portetur ad ſepulchrum non omittitur abſque Pſalmodia, niſi Miſſa generalis aut Hora regularis cantetur: ad quam cùm primum pulſatur ſignum, ceſſat Pſalmodia, præter ad ſolos Nocturnos, tunc tenetur vſque ad introitum puerorum. Quando Conuentus eſt

in Capitulo, vel in Refectorio, Prior præcipit aliquantis Fratribus remanere. Si eſt tempus quo Fratres circa medium diem dormire ſolent, illo die non dormiunt. Et defunctus ſi aliquantulùm priùs obiit, quàm ſonitus in dormitorio fieret, ipſo die ſepelitur; Aliàs minimè. Et nox illa in tres vigilias eſt diuiſa, quarum primam Chorus agit dexter, Secundam ſiniſter, Nouiſſimam poſt Matutinas Pueri cum Magiſtris. Si eſt nox hyemalis, vt à Kalend. Octob. vſque ad Cœnam Domini, ad vnamquamque vigiliam Pſalterium ex toto eſt dicendum, Veſperi Off. & Mat. Laudes pro Defunctis, addito ſemper *Verba mea*. At ſi eſt æſtiua, tunc de Pſalterio non niſi centum Pſal. ſunt dicendi. Et ſi poſt Completorium obitus Fratris contigerit, Pſalterium non eſt incipiendum niſi priùs ex toto ſint expleta, poſteaquàm Frater obiit & Veſp. pro defunctis, & Off. & Matut. laud. & *Verba mea*. Miſſa Matut. cantatur pro eo, ad quam omnes vt offerant, debent intereſſe. Diaconus poſtquam incenſauerit Altaria, incenſat & Defunctum. Sepulchrum cùm factum fuerit dicenda eſt hæc Collecta ſuper illud: *Deus qui fundaſti*. Majore Miſſa finita, vel ſi eſt Quadrageſima, ſcillâ ad Veſp. pulſatâ, & oratione Veſp. præmiſſa, Prior vnum de majoribus ſignis aliquantulùm pulſat per tres vices. Conueniunt Fratres, & cerei per Cuſtodes Eccleſiæ ſingulis diſtribuuntur. Sacerdos Defunctum ſepulturus, indutus eſt albâ & ſtolâ. Armarius adſcito alio Fratre incipit, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie*, *&c.* Ad quod cùm omnes ſimul reſponderint, ſubmittunt ſe inclines, & Sacerdos abſque ſalutatione dicit has Collectas: *Non intres. Fac quæſumus Domine. Inclina Domine.* Quibus interponitur Reſp. I. *Induta eſt.* II. *Scio Domine.* III. *Libera me Domine.* Verſus, &c. . . Toties quoque Sacerdos incenſat Altare principale & corpus Defuncti, imponitur Antiph. *In paradiſum*, cum Pſal. CXVII. Hoc mutatur in Proceſſione, quod Pueros ſequantur Nouitij & Conuerſi, & poſteà Priores. Stant etiam in Eccleſia S. MARIÆ cum cereis infirmi. Conuentus autem præueniens in cimiterium expandit ſe in modum coronæ, & inter ſepeliendum ea

Psalmodia cum Antiph. cantatur ab eo. Antiph. *Aperite*: Psal. *Confitemini*: Antiph. *Ingrediar*: Psal. *Quemadmodum*: Ant. *Hæc requies*: Ant. *Memento*: Ant. *De terræ*: Psal. *Domine probasti me*: Ant. *Non intres*: Psal. *Domine exaudi*: Ant. *Omnis spiritus*: Psal. *Laudate*: Ant. *Absolue Domine*: Cant. *Benedictus*. Sacerdos cùm primùm venerit ad sepulchrum, has dicit Collectas: *Obsecramus misericordiam*: Alia, *Deus apud quem*. Sepulchrum & priùs & posteaquàm defunctum receperit, incensatur, & aquâ benedictâ aspergitur. Collocatur operculum ligneum super Defunctum, & Sacerdos primùm palâ mittens aliquantulùm terræ super illum subjungit has Collectas: *Oremus, Fratres charissimi. Deus qui justis supplicia. Debitum humani corporis. Temeritatis quidem.* Quibus factis recedit à sepulchro simul cum Cruce, & procedit in medium cimiterium, in quo stant Pueri, qui versis ad Orientem vultibus cantauerunt Psalmos, sicut & totus Conuentus. Ibi sub silentio præmissa oratione Dominica, subinfert; *Et ne nos inducas*. Vers. *Non intres*. Collect. *Tibi Domine commendamus*. Cereis extinctis sequitur Psal. 1. Rursus cum oratione Dominica Vers. *A porta inferi*: Collecta, *Deus cuius miseratione*: facta inclinatione consueta, & VII. Psalmis impositis, reditur ita, vt post Pueros Priores ea vice sint anteriores: eo denique ordine cùm peruenerint in Chorum, prosternent se cum ipsis Psalmis, quos Sacerdos jam albam & stolam exutus claudit hâc Collectâ, *Absolue Domine animam famuli tui*: Signa, quæ Defunctum efferendo statim pulsari sunt inchoata, non priùs omittunt, quàm Sacerdos recesserit à sepulchro.

Ipso die quo Defunctus sepelitur omnes Sacerdotes cantant Missam pro eo. In sequente autem die quicquid ad cœnam panis aut vini remanserit, ad Eleëmosynam pro eo datur. Inchoatur & septenarius eius & tricenarius. Septenarius ita, vt per septem dies Officium & Missa cantetur à Conuentu pro eo generaliter. Tricenarius verò ita vt per triginta dies detur ad Eleëmosynam eius præbenda plena cum fabis & generali; & psalmodia quæ dici solet post Matut. & Psalmus *Voce mea*, qui solet dici ad omnes

Digitized by Google

horas; tunc pro eo dicatur & *Verba mea*, & x x x. Miſſas pro eo cantandas à ſex Sacerdotibus, Priore incipiente, quorum vnuſquiſque cum ſuas finierit in Capitulo pronunciat, vt alius incipiat in craſtino, quod nunquàm intermittitur pro qualibet feſtiuitate, exceptis per annum quinque diebus, id eſt in Natiuitate Domini, in eius Reſurrectione, & illis tribus diebus, qui eandem Dominicam Reſurrectionem antecedunt. Sua quoque veſtimenta cùm primùm abluta eſſe potuerunt, omnia excepto coopertorio portantur in Capitulum, vt Fratribus, ſi opus habuerint, diuidantur *: & qui de eis quid acciperit, præcipitur à Priore vt Defuncti recordetur cum huiuſmodi Pſalmodia, vel cum tot Miſſis ſi eſt Sacerdos, ſecundùm quod tunc præcipienti videbitur. Coopertorium ideò non apportatur, nec ibi datur, quia id magis habent Fratres pro miſericordia, quàm pro illa regulari conſtitutione, cuius nec meminit S. Benedictus. Finitis omnibus rurſus ei Prior imprecatur abſolutionem. Et de cætero, quoties venerit anniuerſarius eius iterum præbenda ſua dabitur ad Eleëmoſynam. Miſſa verò quæ tunc cantanda eſt pro illo, aliquando aliqua impeditur feſtiuitate. Quæcunque tamen proximè cantantur pro defunctis, non minus pro illo, quàm pro alijs cantantur, ſed ea Pſalmodia, *Verba mea* non differtur.

* *Iſthæc habentur in alio cod.* Portantur in Capitulum, & dicto, loquimini de Ordine veſtro, præcipitur Camerario vt auferat inde & cuſtodiat quàm optimè, donec aliquis Nouitius pro anima ipſius Defuncti ſuſcipiatur, qui veſtimentis eiꝰ induatur. Hoc à Domno Hugone Abbate conſtitutum eſt: olim námque diuidebantur Fratribus vt opus habebant.

CAPVT XXX.

Si quis obierit in aliqua Cella.

FRATER qui ad aliquam Cellam propriam miſſus, ibi obierit, ibi quoque habebit x x x. Miſſas, quarum ſupra memini. Et cùm ad nos venerit breuis eius depoſitionis agitur pro eo officium, & Miſſa ſignis omnibus pulſatis: & de reliquo vtrinque, & ibi vbi ſepultus eſt & apud nos agendus eſt eodem modo eius ſeptenarius, eius tricenarius, & anniuerſarius eius.

CAPVT XXXI.

Quid agatur pro quolibet Fratre in singulis obedientiis.

VT autem fatear quod verum est, quid fiat in Cellis * nostris pro quolibet Fratre qui apud nos vel alibi obierit, non facilè dixerim, nisi quando breuis euenerit, agitur officium, & quicumque Sacerdos est cantat Missam pro eo, & qui non est Sacerdos quinquaginta Psalmos, aut toties orationem Dominicam. Tamen rara sunt loca illa, in quibus præbenda non detur pro eo: nam & in quibusdam datur VII. diebus, in quibusdam etiam XXX. & semper in anniuersario eius: hoc totum dispositum est & ordinatum per Dom. Abbatem, secundum quod ipse cognouit possibilitatem & facultatem cuiusque loci.

* Cellæ Monasteriola sunt quæ nũc Prioratus nuncupantur.

CAPVT XXXII.

De obitu Domni Abbatis.

SVPER hæc omnia Dom. Abbati ab hac vita decedenti, ista sunt addenda. Deponendus in tumulum vestitur omnibus Sacerdotalibus vestimentis. Quatuor Fratres qui cantant versus illorum trium Responsoriorum vestiti sunt cappis, & quatuor qui portabunt eum ad tumulum albis. Per annum integrum addatur ad Eleëmosynam eius præbenda, non solùm apud nos, sed etiam in omnibus Monasteriis & Cellis nostris, & XXX. Missæ cantantur pro eo, si tanti sunt Sacerdotes qui possint hoc explere. Eius quoque anniuersarius hoc modo agitur: Primò omnia signa pulsãtur prolixiùs ad Vesperos pro Defunctis, qui & ea vice cantantur in Choro priusquàm processio fiat ad S. MARIAM. Item ad Officium, & ad Missam, quæ & festiuè nec absque tractu à duobus cantando celebratur: ipso die habebunt Fratres in Refectorio generale piscium, si valet acquiri, & pigmentum, & duodecim pauperes in Hospitali reficiuntur

reficiuntur, non ſolùm pane & vino, ſed etiam carne, ſi tamen eſt ea dies carnem comedendi ; aliàs prouidetur quod tantumdem valet.

CAPVT XXXIII.

De eo qui in Quadrageſima obierit, & ſepeliendus eſt in XII. *Lectionibus.*

SI quis Fratrum in Quadrageſima obierit, & in tali die eſt ſepeliendus qui cum XII. Lectionibus fuerit ſolemnis, pro illo poſt Primam cantatur Miſſa Defunctorum, & cum tribus tantùm Collectis: *Omnipotens ſempiterne Deus. Deus veniæ largitor. Fidelium Deus.* Propter quod tamen nec illa Miſſa de feſtiuitate poſt Tertiam, nec illa de jejunio poſt Nonã remanebit: ſed ſi in die Dominica ſepultura euenerit, additur & quarta Collecta, id eſt, *Sanctorum tuorum.* Item ſi quis ſepeliendus eſt in quolibet die trium, qui proximè Paſcha antecedunt, ſepelitur abſque Miſſa pro Defunctis in præſenti. Item qui ſepeliendus eſt in Rogationibus, pro illo cantatur poſt Primam Miſſa Defunctorũ, & illa de Rogationibus poſt Tertiam ; ad quam etiam non offertur, nec pax recipitur, niſi ab vno. Item qui ſepeliendus eſt eo die, quo non bene mutare poſſumus raſuram, poſt Capitulum ſtatim percuſſâ tabulâ ſepelitur, quia quandiu eſt inſepultus, non licet in Clauſtro vel loqui, vel aliud quid facere, niſi tantùm Pſalmis ad exequias vacare. Solus Armariùs tantum facit de ſcriptura, quod Defuncti nomen ſcribit in memoriali Fratrum, & breues qui mittendi ſunt pro eo per Cellas.

* Nonnullæ ſunt Congregationes non ſolùm Monachorum, ſed etiam Clericorum, quæ habent ſocietatem noſtram, & fraternitatem, vt cùm Breuis eorum venerit ad nos de Defuncto, vel ad illos noſter, Officium & Miſſa geratur, & poſteà ſeptenarius cum Officiis & Miſſis. Item ſunt plerique Fideles Chriſti tam pauperes, quàm diuites, qui cùm adducti in Capitulum noſtrum venerint, petunt vt ipſi quoque mereantur habere fraternitatem noſtram,

* *In alio cod. diſtinguuntur quæ ſequuntur à præcedenti cap. cum hac epigraphe.* De extraneis Fratribus defunctis.

Digitized by Google

annuitur, & cum libro eis datur, vt partē & communionem habeant de omnibus bonis quæ vllo modo fiunt vel in orationibus, vel in eleëmoſynis, non ſolùm apud nos, ſed etiam in cunctis locis, quæ noſtri juris eſſe videntur. Pro his omnibus quandiu ſunt in hac temporali vita ſpecialiter cātatur per ſingulas horas Pſal. LXVIII. & ea Collect. *Prætende Domine Famulis, &c.* quoties ad majorem vel ad matutinalem Miſſam dicitur, pro eis apponitur. Poſtquam autem obierint, ad Miſſam & Officium Defunctorum ea Collecta *Omnipotens ſempiterne Deus cui*, quando non eſt in ordine Collectarum prima, illis proprie deputata eſt. Et ſimiliter illæ Matut. laudes pro Defunctis quæ poſt quamlibet diem XII. Lectionum ſolemnem in ſequente nocte abſque Officio cantantur. Præterea quatuor vices in anno, id eſt, poſt primam Dominicam Quadrageſimæ: poſt Nat. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, poſt Feſtiuitatem Omnium Sanctorum, in quibus ſpecialem eorum commemorationem facimus cum Officio, cum Miſſa, cum ſeptenario, & tricenario, & Præbendæ eodem modo quo ſolet agi pro quolibet abſente Fratre qui obierit in aliqua Cellarum noſtrarum. Quod cùm ſatis manifeſtè relatum ſit in ſuperiobus, non eſt opus ſecundò referre. Et hoc eſt quod ſuperadditur, quòd duodecim pauperes reficiuntur, hoc minus agitur, quòd non à ſingulis Sacerdotibus Miſſa cantatur.



SERMO *ſiue Sententiæ* LANFRANCI *Archiepiſcopi.*

OCTO ſunt quæ ſi diligenter à Religioſis obſeruentur ; per horum obſeruantiam non eſſe ſegnes ſui Ordinis cuſtodes, ab ijs qui ſanum ſapiunt facilè judicabuntur. Primum eſt, vt clauſtrum ſuum teneant, neque de illo vllo modo ſine licentia exeant, neque etiam tunc niſi rationabilem cauſam habeant. Secundum eſt, vt ſilentium ſuum diſtrictè teneant, nec illud pro vlla omninò re, niſi rationabilis occaſio, & ineuitabilis eueniat, facilè rumpant. Tertium eſt, vt nullam proprietatem habeant, nec etiam per licentiam plus habere quàm neceſſitas poſtulat, expetant. Quartum eſt, vt Prælatis ſuis in omnibus obediant, niſi fortè (quòd abſit) ijs aliquid contra voluntatem Dei præcipiant; tunc enim nullo modo eis in hac re obediendũ eſt ; quia, ſicut Beatus Gregorius ait, malum propter obedientiam nunquam fieri debet : bonum verò aliquando intermitti poteſt. Quintum eſt, vt pro nulla cauſa, etiamſi eis juſta videatur, murmurare, vel detractionem facere audeant, ne omne bonum, ſi quod facere videntur, per hanc nequitiam perdant. Sextum eſt, vt inuicem ſecundùm Deum ſe diligant, & omne bonum quod ſinguli ſibi ab alijs impendi deſiderant, ipſi alijs hilariter & cum gaudio impendant. Septimum eſt, vt conſtitutum ſeruitium ſecundum morem Eccleſiæ ſuæ, ſi poſſint reddere, non negligant ; & in hoc agendo intenti, & non vagi, aſſiſtant, ne vagando oculos diuinæ Majeſtatis, ante cuius conſpectum videntur aſſiſtere, offendant. Octauum eſt, vt puram confeſſionem de omnibus peccatis ſuis faciant : quam tamen confeſſionem non paſſim omnibus prout cui libuerit, niſi tantummodò ſuis Prælatis, vel quibus ijdem Prælati poteſtatem tribuunt, faciant. Regnum Dei & juſtitiam eius quærere, eſt cœleſtis patriæ bona deſiderare, & quibus juſtitiç meritis ad hoc peruenìri debeat indeſinenter inquirere. Docere & non conuitiari ignorantes debemus, ſicut cæcos non conuitiamur, ſed manu ducimus. Quantò

grauiori tumultu cogitationum carnalium premimur, tantò orationi ardentiùs inſiſtere debemus. Deo noſtro jucunda fit laudatio, ſi quod ore canimus, opere non impugnamus. Quùm Pſalmum dicis, cujus verba loqueris agnoſce, & in compunctione magis animi, quàm in tremulæ vocis dulcedine delectare; lacrymas enim pſallentis Deus magis quàm garritum comprobat. Non vacet mens tua in varijs perturbationibus; quòd ſi pectori tuo inſederint, dominabuntur tui, & deducent te ad delictum maximum.

Dixit . . . ., verum Chriſti templum eſt anima credentis. Etiam in minimis cautè age; non enim minimum in vita homini negligere minima. Otioſæ menti maligni ſpiritus prauas cogitationes inſerunt, vt ſi quieſcat ab opere, non quieſcat à malorum operum delectatione. Omnia quæ blandimento, quæ occulta voluptate animum trahunt, rejice. Ede citra ſaturitatem, bibe citra ebrietatem; nec præſentibus deliciis inhærebis, nec abſentes deſiderabis. Victus tibi ex facili ſit, nec ad voluptatem, ſed ad cibum accede: deſideria tua paruo redime, quia hoc tantùm curare debes vt deſinant. Grauior appetitus ex indignatione nimia naſcitur, quem acceptæ plerumque accendit injuriæ dolor. Nulli eſt aliquatenus abigendum vnumquemque Fidelium Corporis & Sanguinis Dominici tunc eſſe participem, quùm in baptiſmate membrum efficitur Corporis Chriſti; nec alienari ab illius Panis Calicíſque conſortio, etſi antequam Panem illum comedat, Calicémque bibat, de hoc ſæculo migrauerit, in vnitate Corporis Chriſti conſtituto; Sacramenti quoque illius participatione ac beneficio non priuatur, cùm in ſe hoc quod illud Sacramentum ſignificat, inuenitur habere.

MISCELLANEA EPISTOLARVM, CONCILIORVMQVE ALIQVOT, AC DIPLOMATVM.

LITERÆ MONACHORVM S. REMIGII Remenſis, quibus ſocietatem ineunt cum Monachis ſancti Dionyſij in Francia, Anno Chriſti circiter DCCCXXXVIII.

AN. CHR. 838.

I. CVM enim ſeculi amatores ad ſuam alijs oſtendendam dilectionem multa ſæpe inter ſe caduca, & vt illis videtur pretioſa largiantur: Spirituales viri, & à ſeculi actibus alieni ac nihil penitus in ſeculo præter victum & veſtitum habentes, vt Deo magis placeant rebus ſpiritualibus & ad ſuarum ſalutem animarum pertinentibus vim dilectionis ſuæ multò magis roborare debent, vt ſicut ab illis habitu & moribus diſcrepant, ita etiam inter ſe potiora & præcelſiora caritatis munera exhibeant, quoniam in Saluatoris IESV diſcipulatu nemo computari poterit, quiſquis hoc dilectionis munere caruerit; ipſo teſtante qui ait: In hoc cognoſcent omnes quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem ad inuicem habueritis. Monet etiam Apoſtolus dicens: Caritas fraternitatis maneat in vobis. Æquum ſiquidem viſum eſt Fratribus in B. Confeſſoris Remigij Monaſterio ſub Sanctiſſimo ac Venerabili Patre Fulcone manentibus, vt cum Fratribus de præclariſſimorum Sanctorum videlicet Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, cui Venerabilis Paſtor Hildoinus præeſſe videtur, tale decretum de pacis ac dile-

Digitized by Google

ctionis conjunctione facere, & quid vnuſquiſque pro ſalute atque obitu alterius agere debeat; quod neque ab ipſis, neque à ſucceſſoribus eorum nullo vnquam tempore corrumpatur, ſed ſemper firmum atque inuiolabile permaneat. Igitur anno XXV. Imperij Domini ac Sereniſſimi Hludouici nos omnes Fratres ex Monaſterio B. Remigij hoc ſcriptum conſenſu atque omnium voluntate fecimus, quod & nos omni tempore completuros pollicemur, & vt à ſucceſſoribus noſtris conſeruetur obnixè flagitamus. Primùm volumus vt talis inter nos & ſupradictos Fratres noſtros feruor caritatis, & tanta vis dilectionis maneat, ac ſi in vno, ſi fieri poſſet, conuerſaremur loco. De cætero vt quando aliquis ex ipſis corporis nexibus abſolutus à ſeculo migrauerit, vnuſquiſque noſtrum infra triginta dies Pſalterium pleniter compleat, ac Sacerdotes noſtri Miſſas eidem Pſalterio congruentes pro eo celebrare ſtudeant; & tres Vigilias, id eſt, primo & ſeptimo atque triceſimo die communiter pro eo & deuotiſſimè peragamus. Si verò quidam ex eis aliqua corporis incommoditate occupatus fuerit, mox vt nobis nuntiatum fuerit, omni die quouſque conualeſcat, aut ab hac luce diſcedat, vnuſquiſque quinque Pſalmos pro eo ſollicitè compleat. Et vt nomina Defunctorum illorum inter nomina noſtrorum Defunctorum inſerantur, vt ſicut pro noſtris, ita etiam pro illis quotidie Domino ſacrificium offeratur.

Incipiunt nomina Monachorum de Monaſterio ſancti Dionyſij.

HLudouicus Imperator.
Item Hludoucus Rex.
Hilduinus Abbas.
Item Hilduimus Abbas.
Item Hludouicus Abbas.
Guntharius Monachus.
Dodo Diaconus & Monac.
Wlfegaudus Sacer. & Mon.
Albericus Sacerd. & Monac.
Madalgarius Sacer. & Mon.
Huntgarius Diac. & Mon.
Otbertus Sacerd. & Monac.
Maltranus Subdiac. & Mon.
Gautbertus Diac. & Monac.
Agembertus Sacerd. & Mon.
Wandricus Subdia. & Mon.
Aſahel Monachus.
Clinus Subdiac. & Monach.

Ragamfredus Monachus.
Gauſlonus Diac. & Monac.
Gedeon Subdiac. & Monac.
Theodericus Subdiac. & M.
Aaron Sacerd. & Monac.
Adalgiſus Sacerd. & Monac.
Baldela Diacon. & Monac.
Pugnitus Sacerd. & Monac.
Wineradus Sacerd. & Mon.
Balduinus Subdiac & Mon.
Ragimfredus Sacerd. & M.
Bernardus Sacerd. & Mon.
Anſgarius Subd. & Monac.
Helias Sacerd. & Monac.
Iob Subdiac. & Monachus.
Eudo Diaconus & Monac.
Leutgiſus Subdiac. & Mon.
Emmo Sacerd. & Monac.
Samuël Subdiac & Monac.
Gautſoinus Sacerd. & Mon.
Nordulfus Diac. & Monac.
Gauzbertus Monachus.
Adalbertus Subd. & Monac.
Bernico Monachus.
Guntbertus Diac. & Monac.
Fredebertus Sacerd. & Mon.
Seulfus Sacerd. & Monac.
Sigemundus Monachus.
Otmarus Sacerd. & Monac.
Hildebaldus Monachus.
Odalharius Sacer. & Monac.
Magamfredus Sac. & Mon.
Teudardus Diacon. & Mon.
Sigramnus Sacerd. & Mon.
Abraham Sacerd & Monac.
Guunus Subdiac. & Monac.
Stuatlus Sacerd. & Monac.
Warachius Monachus.

Hincmarus Diac. & Monac.
Fubradus Diac. & Monac.
Hildebaldus Subd. & Mon.
Adalbertus Sacerd. & Mon.
Odelarius Diac. & Monac.
Ermenarius Subd. & Monac.
Hardradus Subdiac. & Mon.
Witramnus Diac. & Mon.
Iuo Subdiac. & Monachus.
Hildulfus Diac. & Monac.
Berteaudus Subd. & Monac.
Guntardus Sacer. & Monac.
Wirpinus Subdiac. & Mon.
Hildebrandus Diac. & Mon.
Witramnus Subd. & Mon.
Adam Monachus.
Atfredus Monachus.
Godofredus Epiſcopus.
Ragambertus Subd. & Mon.
Bernoinus Acolytus & Mon.
Riſulfus Acolytus & Monac.
Herricus Acolytus & Mon.
Godolandus Sacer. & Mon.
Gerulfus Monachus.
Clemens Subdiac. & Mon.
Comeanus Sacerd. & Mon.
Angaliudus Sacerd. & Mon.
Angalricus Acolyt. & Mon.
Helmericus Acolyt. & Mon.
Bobo Sacerdos & Monach.
Erfredus Sacerd. & Monac.
Waltharius Monachus.
Altramnus Monachus.
Mauringus Monachus.
Adraldus Acolytus & Mon.
Bernardus Monachus.
Iſidorus Acolytus & Monac.
Fulcricus Monachus.

Solius Monachus.
Herimannus Diac. & Mon.
Madalgarius Monachus.
Ottulfus Monachus.
Sutgarius Monachus.
Winegaudus Subd. & Mon.
Richardus Monachus.
Vrſbertus Monachus.
Herluinus Monachus.
Bronincus Monachus.
Ermentarius Monachus.
Adaluuala Monachus.
Teodac Sacerd. & Monac.
Hermenricus Subd. & Mon.
Agtingus Diac. & Monac.
Nortbertus Monachus.
Frotgarius Subd. & Monac.
Adebrandus Monachus.
Fulcarius Monachus.
Milo Monachus.
Aluis Monachus.
Faramannus Monachus.
Anſelmus Monachus.
Gerardus Monachus.
Nantarius Monachus.
Eptadus Monachus.
Auo Monachus.
Franco Monachus.
Architridinus Sac. & Mon.
Waltharius Monachus.
Madelelmus Monachus.
Maurontus Sacerd. & Mon.
Faſtulfus Sacerd. & Monac.
Adalardus Monachus.

Proximè ſequebantur nominæ Monachorum Abbatiæ S. Germani Pariſ. quæ idcircò prætermiſimus, quòd nulla eorum facta ſit mentio in præfata Epiſtola.

AN. CHR. 1044. *GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus qui Chriſtiana fide cenſentur, & B. Apoſtolorum Principis, ſedem Eccleſiarum omnium matrem recognoſcunt, Salutem, & abſolutionem omnium peccatorum per benedictionem & merita BB. Petri & Pauli Principum Apoſtolorum.*

II. NOTVM vobis fieri volumus, Fratres cariſſimi, quòd à Sancta Romana Eccleſia communi matre, omnium Magiſtra & Domina, non ſolùm ſplendore ſanctæ religionis vniuerſum mundum illuminauit, ſed etiam multis indigentibus per diuerſas partes terræ neceſſaria pietate diſtribuit: modò verò peccatis non tantùm noſtris, ſed etiam multarum gentium exigentibus & in religione friguit, & terrenas opes majori ex parte amiſit. Nonnulli etiam

etiam Imperatores, Reges & Principes, aliorum ordinum perſonæ, miſera cupiditate capti maternam maledictionem incurrere non timentes eius poſſeſſiones inuaſerunt, diſtraxerunt, & in proprios vſus redegerunt : qui etiam gladio anathematis percuſſi, & more infelicis Iudæ ſacrilegij vinculo ſtrangulati, ne ad pœnitentiam redirent deſipuerunt. Hinc igitur inopia, deuaſtationes, latrocinia, rapinæ, contra ipſum Eccleſiæ caput Beatum videlicet Petrum, & in eius quaſi viſceribus exortæ ſunt. Proinde propria ipſius Eccleſia, & B. Pauli, quæ illorum corporibus per totum orbem refulgent, & ſuo odore, ſuáque pietate omnes ad ſe gentes prouocant, jamjam heu pro dolor! ruinam minantur. Vnde nos vtcunque meritis pauperes, nec rebus quidem diuites cœpimus, vt tanto periculo Deo adjuuante ſuccurrere, manúmque adjutorij ad inſtaurandum præbere poſſemus. Hoc autem religioſi Clerici videntes, & Laïci quamplurimi, quos Guillelmus glorioſus Aquitaniæ Dux ad noſtrum auxilium incitare cœpit, vno quoque anno de ſuis rebus oblationes largiri diſpoſuerunt ad hoc ſpecialiter, vt ea quæ in eius propria Eccleſia ſunt neceſſaria reſtaurentur, & ædificentur, quatenus Omnipotens Dominus & eorum meritis, & ſpeciali Sanctæ Romanæ Eccleſiæ oratione per veram pœnitentiam eos ad eam fidem inſtaurare, quam in baptiſmo Domino promiſerunt, & cæleſtis patriæ ruinam reſtituens, in æterna beatitudine eos collocet. Quorum nos videntes deuotionem, & laudabilem erga communem Matrem dilectionem, tam per nos quàm etiam per ſucceſſores noſtros, ter in anno cum omnibus Romanis Eccleſijs generaliter Miſſam celebrare, & ſepties illorum ſpecialiter memoriam inter ſacra Miſſarum ſolemnia habere promiſimus, vt Omnipotens Dominus meritis Dei genitricis, quæ ſingulari pietate Romanam ſemper tuetur Eccleſiam, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli authoritate, omnium Sanctorum maximè Romæ quieſcentium oratione, à cunctis eos peccatis abſoluat, & ad vitam æternam perducat.

AN. CHR. 1096.

DECRETA VRBANI PAPÆ, *in Nemauſenſi Concilio, Anno Chriſti* MXCVI. *celebrato.*

III.

I. IN Aruernenſi Concilio * queſtum eſt de Epiſcopis, qui Altaria Monaſterijs data frequenter redimi pecuniâ compellebant; quia quidam ſimoniacæ prauitatis ramus in Galliarum partibus jam diutiùs inualuit, vt Eccleſiæ vel decimæ, quæ vulgari vocabulo apud eos Altaria nuncupantur, Monaſterijs datæ ſepiùs ab Epiſcopis ſub palliata auaritia vænundentur; mortuis nimirum Clericis, quos perſonas vocant. Nos, authore Deo, venalitatem omnem tam ex rebus, quàm ex myſterijs Eccleſiaſticis propellentes, hoc vlteriùs fieri Apoſtolica authoritate prohibemus; ſicut & præbendas omnes venundandas interdicimus. Porrò quæcumque Altaria, vel decimas ab annis x x x. & ſupra, ſub huiuſmodi redemptione Monaſteria poſſediſſe noſcuntur, quietè deinceps, & ſine moleſtia qualibet eis poſſidenda firmamus; ſaluo vtique cenſu annuo, quem ex eiſdem Altaribus habere ſoliti ſunt.

* Refertur 1. q. 3. c. Quæſitum. Vbi dicitur eſſe Vrbani PP. in Conc. Aru. Vide id Concil. in Annal. Eccleſ. Baronij ad an. 1095 Guill. Malmeſ. lib. 4. de geſt. Reg. Angl. c. 2. & Matt. Pariſ. an. 1095.

II. Sanè * quia Monachorum quidam Epiſcopis jus ſuum auferre contendunt, ſtatuimus ne in Parochialibus Eccleſijs quas tenent abſque Epiſcoporum conſilio Preſbyteros collocent; ſed Epiſcopi Parochiæ curam cum Abbatum conſenſu Sacerdoti committant; vt huiuſmodi Sacerdotes de plebis quidem cura Epiſcopo rationem reddant, Abbati verò pro rebus temporalibus ad Monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant, & ſic cuique ſua jura ſeruentur.

* Ex Vrbano PP. 16. q. 3. c. Sanè.

III. Sunt * nonnulli ſtulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, aſſerentes Monachos, qui mundo ſunt mortui, & Deo viuunt, Sacerdotali Officio indignos, neque pœnitentiam, neque Chriſtianitatem ſeu abſolutionem largiri poſſe per Sacerdotalis Officij injunctam gratiam: ſed omninò falluntur. Nam ſi ex hac cauſa veteres æmuli vera prædicarent, Apoſtolicæ Sedis

* Ex Decreto Bonifacij PP. 16. q. 1. ſunt nonnulli. Et Iuo. decret. p. 7. c. 22.

compar B. Gregorius Monachico habitu pollens ad ſummum apicem nullatenus conſcenderet, cui ſoluendi, ligandíque poteſtas conceſſa eſt. Auguſtinus quoque, eiuſdē Sanctiſſimi Gregorij diſcipulus, Anglorum Prædicator egregius; & Pannonienſis Martinus; aliíque quamplurimi viri ſanctiſſimi pretioſorum Monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo Pontificali ſubarrarentur: neque enim Benedictus Monachorum Præceptor Sanctiſſimus huius rei aliquo modo interdictor fuit; ſed eos ſæcularium negotiorum dixit expertes eſſe debere: quod quidem Apoſtolicis documentis, & Sanctorum inſtitutis, non ſolùm Monachis, ſed etiam necdum Canonicis ſummopere imperatur; vtriſque enim perſpicacibus Sanctorum Patrum exemplis vt mortui mundo ſint, præcipitur.

IV. Credimus igitur à Sacerdotibus Monachis ligandi, ſoluendíque gratiam dignè adminiſtrari, ſi tamen contigerit dignè eos hoc miniſterio ſublimari: quod euidenter affirmat quiſquis ſtatum Monachorum & habitum conſiderat. Angelus enim Græcè, Latinè nuncius dicitur: Sacerdotes igitur Monachi, atque Canonici, qui Dei præcepta annuntiant, Angeli vocantur, ſed vnuſquiſque Angelicus ordo, quo viciniùs Deum contemplatur, tantò ſublimiùs dignitate firmatur. Nunquid num enim vt Cherubim Monachi, ſex alis velantur; duæ in capitio, quo caput tegitur, veris demonſtrantur aſſertionibus; illud verò quod brachijs extenditur, alas duas eſſe dicimus; & illud quo corpus tegitur alas duas: ſic ſex alarum numerus certiſſimè conficitur? Decertantes ergo contra Monachos in hac re Sacerdotalis potentiæ officio præcipimus arceri, vt ab huiuſcemodi infandis auſibus in poſterum reprimantur; quòd quantò quiſque excelſior, tantò & illis erit potentior. Ibidem.

V. Oportet eos qui ſæculum reliquerunt majorem ſollicitudinem habere pro peccatis hominum orare; & plus valere eorum peccata ſoluere, quàm Preſbyteros ſæculares, quoniam illi ſecundum Regulam Apoſtolorum viuunt, & eorum ſequentes veſtigia communem vitam ducunt, juxta quod in Actibus eorum ſcriptum eſt, erat illis cor Ibidem.

vnum, & anima vna, & erant illis omnia communia; ideóque videtur nobis vt ijs qui ſua reliquunt pro Deo, digniùs liceat baptizare, dare Communionem, Pœnitentias imponere, nec non peccata ſoluere. Vnde conſiderare nos oportet quantæ virtutis apud Deum ſint, qui ſæculum relinquentes Domini obediunt præcepto, dicentis: *Relinque omnia quæ habes, & veni ſequere me.* Vnde cenſemus eos qui * Apoſtolorum figuram tenent, prædicare, baptizare, communionē dare, ſuſcipere pœnitentes, peccata ſoluere.

* Ex Gregorio: & refertur c. ex auctoritate 16. q. 1.

VI. Quicumque Epiſcopum, Abbatem, vel Archidiaconum, vel Preſbyterum capere præſumpſerit, publica primùm dedecoratus infamia honoris ſui periculum incurrat, & tandiu excommunicetur, & terra ſua interdicatur, quandiu Eccleſiæ ſatisfacere diſtulerit. De cæteris verò Clericis, Canonica teneatur ſententia.

Can. 32. Concil. Aruern. ſiue Claromont. ſupra laudat. & Guil. Mal. Matth. Pariſ. vbi ſuprà.

VII. Quoties alicujus Eccleſiæ Antiſtes ex hac vita emigrauerit, duæ de melioribus perſonæ eligantur eiuſdem Eccleſiæ, qui res Epiſcopi defuncti, ſicut ipſe diſpoſuerat, tractent fideliter: & quæ ad Epiſcopatum pertinent, ſucceſſuro Paſtori conſeruent. Quòd ſi aliquis Tyrannus res Epiſcopi interim inuaſerit, aut violauerit, excommunicationi ſubjaceat, & Eccleſia illa à diurno ceſſet officio, & minores Eccleſiæ tanquam matri compatiantur, quouſque digna ſatisfactio ſubſequatur.

Idem Concil. ca. 31. Guil. Mal. & Matt. Pariſ.

VIII. Laïcus qui oblationem Eccleſiæ, ſepulturam, decimam, aut terram ſanctuarij tenuerit, ab omni Fidelium communione ſeparetur.

Id. Concil. Can. 19. 20. 21. Guil. Mal. & Matt. Pariſ.

IX. Quicumque Eccleſias, vel earum bona hereditaria ſucceſſione poſſident, tandiu Eccleſiaſtico careant beneficio, donec quas tenent Eccleſias dimittant.

Ibidem.

X. Clericus, vel Monachus, qui Eccleſiaſticum de manu laïci ſuſceperit beneficium, quia non intrauit per oſtium, ſed aſcendit aliunde ſicut fur & latro, ab eodem ſeparetur officio.

Id. Concil. Can. 15. 16. 17.

XI. Sacerdotes quando regendis præficiuntur Eccleſiis de manu Epiſcopi curam animarum ſuſcipiant, vbi & in tota vita ſua Deo deſeruiant, niſi Canonico degradentur judicio. Quòd ſi ambitionis vel cupiditatis causâ ad

16. q. 2. c. Sanè.

aliam ditiorem migrauerint Eccleſiam, vtramque amittant.

XII. Qui publicè conſanguineas, vel adulteras ducunt, quandiu eas tenuerint, excommunicentur. Guillel. Malmeſ. & Matt. Pariſ.

XIII. Raptores qui in rapiendo mortui fuerint abſque Canonica pœnitentia, non ſepeliantur, nec pro eis Miſſa dicatur. Concil. ſupra cit. c. 22.

XIV. Preſbyteri publicè fornicarij degradentur. Ibid. c. 9. & 10.

XV. Puellulæ vſque ad duodecim annos non nubant.

XVI. Nullus habeat licentiam retrahere beneficium ad ſe, vel ab anteceſſoribus ſuis, Eccleſiis collatum; & nec Clericos, vel Monachos in Curiam ſuam ad ſeculare judicium cogat venire; quoniam hoc rapina eſſet & ſacrilegium. Ibid. c. 7.

XVII. Nullus Epiſcopus alterius recipiat excommunicatum.

XVIII. Monachi nullomodo recipiant ad ſepulturam, aut ad quodlibet officium diuinum excommunicatos, vel raptores, aut interdictos.

Donatio terræ Rumiliaci facta ab HVGONE *Trecorum Comite, & vxore eius* CONSTANTIA. AN. CHR. 1101.

IV. CVM Scripturæ ſacræ ſit generale præceptum dicentis: *Facite Eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*; meritò nonnulli ſanctæ Eccleſiæ filij hac dominica voce diuinitus excitati ad ſuarum rerum contemptum facilè pertrahuntur; de ſuiſque facultatibus, vel poſſeſſionibus pauperibus Chriſti diſtribuere non verentur, dum pro caducis æterna, pro terrenis cœleſtia perpetuò adipiſci ſe cognoſcunt: de quorum numero vnum HVGONEM, ſcilicet ſtrenuiſſimum Trecorum Comitem, eiúſque nobiliſſimam conjugem CONSTANTIAM nomine ad medium deducimus, & quam S. MARIÆ, ſuiſque pauperibus ſibi in Eccleſia Moliſmenſi famulantibus, ſuarum rerum diuiſionem fecerint, ad poſteriorum memoriam literis mandare curamus. Hic ergo Comes prædictus, illius famoſi THEOBALDI Comitis filius, eiúſque conjux CONSTANTIA

Philippi Francorum Regis filia ; anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo primo, Indictione octaua, Epacta decimâ octauâ, Concurrente primo, ad Cœnobium S. MARIÆ Moliſmenſis deuotionis ſimul & orationis gratiâ cum multis nobilibus viris quadam Paſchali ſolemnitate, pari conſenſu conuenerunt, Fratrum orationibus deuotè ſe commendauerunt, & de quadam ſua poteſtate, quæ Rumiliacus vocatur, hanc conceſſionem prædictæ Eccleſiæ Moliſmenſi fecerunt. Conceſſerunt ergo ad præſens in vita ſua medietatem totius prædictæ poteſtatis, & nemoris ad eam pertinentis, & omnium juſtorum, & conſuetudinariorum reddituum terræ cultæ, & incultæ, cenſorum, & pratorum, & curuatæ ruſticorum, & de labore quem ſui boues fecerant, & quidquid per juſtam conſuetudinem de prædicta villa procedit, medietatem S. MARIÆ, vt dictum eſt, conceſſit; alteram quandiu ipſe viueret ſibi retinuit: ita tamen vt ſi antè non vellet, poſt eius diſceſſum hæc eadem pars ad Eccleſiam retinuit, eámque ſine alicuius contradictione jure perpetuo poſſideret. Quòd ſi propriis carrucis noſtris aliquam ponere inibi voluerimus, ponemus quantas placuerit, & quicquid laborauerint noſtrum erit. Prætereà præfata Comitiſſa quædam in ſua proprietate poſſidebat, quatuor ſcilicet boues, & laborem eorum, cum aliqua terræ & pratorum portione, ſibi à Comite ſeparata, quæ omnia hæc venerabilis S. MARIÆ conceſſit. Pro his & alijs innumeris beneficijs ab eis ſibi multimodè collatis ſtatuerunt pro eis Fratrum orationes priuatas & communes, & tantumdem beneficij pro quolibet eorum ſe acturos, quantum pro vno ex Fratribus ſi moreretur, ſpoponderunt: & inſuper duos pauperes in Eleëmoſyna Monaſterij deinceps ſuſtentandos pro eis poſuerunt. Patrem quoque & matrem eius, & vtroſque Fratres, hujus beneficij participes non minus conceſſerunt.

Acta ſunt apud Moliſmum tempore PHILIPPI Regis Francorum, tempore PHILIPPI Epiſcopi Trecorum, ROBERTI Epiſcopi Lingonenſis Eccleſiæ, ROBERTI primi Cœnobij Moliſmenſis Patris. Hujus rei teſtes fuerunt,

Hvgo Comes Riſvelli, Pontivs de Ponto, Gavfredvs filius Otranni, Otrannvs filius eius, Achardvs nepos Achardi filius, Herbertvs filius Dodonis, Walterivs de Curte Airardi, & Ysoardvs de Plaiotro, Bartholomævs de Barro, Odardvs, Wandelbertvs, Flodovevs, Albertvs, Milo & Osamardvs Capellani Comitis, Milo Vicecomes, Hvgo Comes de Rameruco, Hvgo Seneſcalcus Ducis.

CONCILIVM TRECENSE,

Approbat Donationem ab Hugone Trecenſi factam Eccleſiæ Moliſmenſi.

An. Chr. 1104. d. 1. April.

V. IN nomine ſummæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ego Hvgo Comes Campaniæ, Comitis Theobavdi filius, notum volo fieri omnibus ſanctæ Eccleſiæ Fidelibus, quòd excellentiori vſus conſilio ampliare & honorare de meis proprijs retinentijs Moliſmenſem *, quæ in honore B. Mariæ ſemper Virginis fundata eſt, propoſui Eccleſiam, credens & certiſſimè ſciens tantò me in cæleſtibus partem habere potiorem, quantò eandem B. Mariam interuentricem præmittere procurauero meliorem. Trado igitur & gratanti animo concedo Deo, & eidem Eccleſiæ ex poſſeſſionibus mei juris Villam quæ dicitur Rumiliacus, cum poteſtate & juſtitia ejuſdem Villæ, poſt deceſſum meum, tam in nemoribus, quàm in agris, pratis, paſcuis, & aquis, ſeruis & ancillis (excepta vxore Leobaudi de Trecis, & infantibus eius) & in omni vſu conſuetudinario, & in præſenti pro veſtiturâ dimidiam partem reddituum. Prætereà concedo redditus venditionis ſalis, id eſt, Salagium de Barro ſuper Albam, & juſtitiam ejuſdem Salagij, ſi quis inde foris fecerit. Concedo etiam in poſſeſſione Iſtenſi ea quæ & pater meus conceſſit, videlicet Villam ſancti Theobaudi de Volua, & duo Molendina ſuper ripam Sequanæ ſita, culturam quoque meam ex integro, quæ vulgariter Cumina vocatur; aliáſque agrorum partes quæ juri meo atti-

* Gal. Moleſme.

Digitized by Google

nent: pratum etiam muro Trecenſi adjacens, quod Frater meus ODO Comes Eccleſiæ ſancti Quintini dedit perpetualiter poſſidendum. Concedo item apud Iſlas furnum bannalem. Concedo Molendinum quoque de Larricurte ſicut teneo; & quandam culturam apud caſtrum Vallis coloris; & tertiam partem in molendino, & tertiam in furno huic dono adijcere diſpoſui. Ne hoc autem aliquando caſſaretur, vel tergiuerſatione alicujus calumniatoris infringeretur, conjugem meam CONSTANTIAM filiam Regis Francorum, necnon Comitiſſam ADELAM vxorem fratris mei Comitis Stephani, nepotes quoque meos filios eius, conceſſores ſpontaneos & laudatores huic meæ legitimæ dationi adhibui.

In territorio verò Rhemenſi Villam ſanctæ Walburgis, quæ alio nomine Diona vocatur, & juſtitiam eius cum appendicijs ſuis (ſicut in alijs chartis ſcriptum reperitur) eidem ſupradictæ Eccleſiæ Moliſmenſi jure perpetuo tenendam contradidi: hoc idem vxore mea Conſtantia, ex cujus parte in jure meo tranſijt, annuente, & fratre ſuo LVDOVICO approbante, & ſigillo proprio confirmante.

Huic conceſſioni meæ aſſenſum præbuit Dominus meus MANASSES Rhemenſis Archiepiſcopus cum Clero ſuo, ſuper his quæ ad eum pertinebant exoratus ſupplicationibus meis. Acta ſunt hæc apud Trecas quinto Nonas Aprilis,
1104. Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quarto, Indictione duodecima, Epacta vigeſimâ ſecundâ, Concurrente V. in ſede Romana vicem Apoſtolicam gerente Domino Papa PASCHALI, RICHARDO Albanenſi Epicopo, Apoſtolicæ ſedis Legato, de negotijs Eccleſiaſticis
Generale Concilium apud Trecas. in generali Concilio Trecis tractante, PHILIPPO Epiſcopo ejuſdem Eccleſiæ præſidente, Francorum Regnum PHILIPPO & filio eius LVDOVICO regente, HVGONE Comite filio Theobaudi Campaniæ Comitatum pacificè Dei gratiâ retinente, cujus largitione præſcriptarum rerum donatio conceſſa, authoritate corroborata, petitione in Eccleſia Trecenſi coram omni Synodo recitata, à præfato RICHARDO Cardinali approbata, & à conſedentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Abbatibus collaudata, immò tam

tam Clericorum, quàm Laïcorum judicio eſt generaliter confirmata; de quibus aliquos nominamus, & ad corroborationem hujus Cartulæ hîc inſcribendos judicauimus.

DAIMBERTVS Archiepiſcopus Senonenſis, RODVLFVS Turonenſis, Ivo Epiſcopus Carnotenſis, HVNBAVDVS Autiſſiodorenſis, HERVEVS Niuerneuſis, MARBODVS Rhedonenſis, ROTBERTVS Lingonenſis, NORGANDVS Eduenſis, HVGO Catalaunenſis, PHILIPPVS Trecenſis, RAIMANDVS * Præpoſitus, GIRARDVS, GOCELINVS, & DROGO Archidiaconi, & cæteri ejuſdem Eccleſiæ Canonici. Abbates hi interfuerunt, ILGONDVS Majoris Monaſterij Abbas, LAMBERTVS Pultarienſis, RODVLFVS ſancti Petri inſulæ Germanicæ *, OTHO Arremarenſis. De Laïcis fuerunt. MILO Comes de Barro *, MILO de Caceminco *, WIDO de Wangioni ſriuo, GAVFRIDVS filius Otranni, RAMERIVS de Caſtellione.

al. * Regaudus.

al. * Cellæ.

al. * ſuper ſequanam.

al. * Chacermaci.

His ita, vt præſcripſimus, in Trecenſi Concilio geſtis, eodem anno conuenimus Moliſmum Ego HVGO Trecenſis, & WELMVS * Comes Niuernenſis, pro quibuſdam negotiorum noſtrorum rebus tractandis, quos honorificè licet inuitos procedentes exceperunt; poſt proceſſionem verò, vt credo, diuinitùs tactus, in præſentia Domni ROBERTI Abbatis, cæterorúmque Monachorum adhuc in albis aſtantium, acceſſi ad Altare; & medietatem de Rumiliaco, quam mihi in vita mea retinueram, & poſt diſceſſum dare diſpoſueram (nam alteram medietatem tam * ex toto Eccleſia poſſidebat) extracto de proprio digito annulo, id donum de tota poteſtate ſuper Altare ponens, deinceps jure perpetuo poſſidendam contradidi. Teſtes ſunt GVILLELMVS Niuernenſis, WALTERIVS Vicecomes de Clamiciaco, HVGO de Tilio, ANDREAS Rameruci Comes, HVGO, cognomine Britto, filius eius, MILO Comes de Barro, GAVFREDVS filius Otranni, LEBAVDVS, & GRIMODVS Trecenſes, THEOBAVDVS tunc puer filius Comitis Stephani fratris mei.

* Vvillelmus.

* jam.

Poſteà denique Hieroſolymam tendens Moliſmum diuerti orationis cauſa, ibíque qui de poteſtate Rumiliaci apud Trecas morabantur omnes homines, & eorum mu-

Digitized by Google

lieres, dono ſuperiori addidi. Concedo igitur Deo & B. MARIÆ Moliſmenſi vniuerſos qui de poteſtate Rumiliaci degunt tam apud Trecas quàm & Iſlas, ne aliquid de poteſtate jamdudum conceſsâ minuiſſe, vel decidiſſe videar, excepta vxore Leobaudi & filijs eius. Concedo etiam ſaluamentum eorum omnium quorum capita ſunt S. MARIÆ Moliſmenſi in poteſtate Rumiliaci. Licet igitur hæc dona præſcripta diuerſis fuerint collata temporibus, in vnam tamen volui paginam vniuerſa congerere; vtque inconuulſa permaneant ſigilli mei impreſſione confirmare, & ſubſcriptis teſtibus corroborare decreui. Sed & hoc non prætereundum ſiquis de Caſamento meo aliquid Eccleſiæ Moliſmenſi dedit, vel in futurum dare voluerit, ratum & firmum concedo permanere, quod & jam omnibus Eccleſijs me confiteor conceſſiſſe; ſi quid verò minus inuentum fuerit ſcriptum in Cartula iſta de donis patris mei, & fratrum meorum, & meis, quàm jus popoſciſſet, non idcircò quæ ſcribi memorialiter non potuerunt, & tamen dudum conceſſa habentur à nobis, à confirmatione iſta remoueo, ſed ſicut ſcripta iſta inſcripta, quæ hactenus tenuit Moliſmenſis Eccleſia, fixa permanere decerno.

S. GVILLELMI Comitis Niuernenſis. S. AIRARDI Comitis Briniæ *. S. MILONIS Comitis Barri. S. HVGONIS Comitis Riſuelli. S. GVIDONIS Gannelyus. S ROGERII de Vinciuilla. S. HAMONIS Deſclouëes, & GAVFREDI de Calmonte *. BERTRANNVS Sine terrâ. GAVFREDVS Formerius. HATO de Moneta; PONTIVS de Triaguello *, HILDVINVS de Marrolas, Roso filius Albrëe, ACHARDVS Rhemenſis. Acta ſunt hæc & confirmata apud Caſtellionem, Anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo octauo. Ego Comes THEOBAVDVS omnia dona Auunculi mei Comitis Hugonis quæ in præſenti pagina continentur pro anima Patris mei, & Anteceſſorum meorum, laudo, & confirmo Moliſmenſi Eccleſiæ: & inſuper quidquid de Caſamento meo datum ei fuerit à Caſatis meis gratanter concedo, & ſigillo præſenti confirmo, cum ſubſcriptis teſtibus, S. MILONIS Comitis de Barro: S. GVIDONIS Wangionis Riui: S. RAGERII de Iouiſuilla:

f. * Brinæ, vel, Branæ.

f. * Caluomonte.

f. * Triagnello.

S. ANDREÆ de Baudimento : GAVFREDVS de Trecis, & OTRANNVS filius eius, ROSCELINVS de Vendobo *; MILO de Diumuilla, PONTIVS de Capis.

* f. Veudobera.

Idem Concilium approbat iterum præfatam Donationem.

AN. CHR. 1104. d. 2 April.

V. EGO Hugo Comes Campaniæ, Comitis Theobaldi filius, notum volo fieri omnibus ſanctæ Eccleſiæ Fidelibus præſentibus & futuris, &c. *vt ſuprà.*

His itaque in Trecenſi Concilio geſtis, & per excommunicationis ſententiam ne in poſterum poſſint infringi ſolemniter anteprædicatis, ego ipſe cum illuſtribus viris HVGONE Borrello Duce Burgundiæ, WILLERMO Niuernenſi Comite, dicto Comite de Barro, AIRARDO Briniæ Comite, HVGONE Riuelli Comite, IOFREDO Caluimontis Domino, ROGERIO Iouiſvillæ Domino, PONTIO Triagnelli Domino, Moliſmum adueni pro negotijs meis & eorum tractandis, meque & eos ROBERTVS primus loci illius Abbas cum Monachis ſuis honorificè excepit: poſt orationem verò ad magiſtrum Altare accedens aſtantibus dicto Duce & quatuor Comitibus, & Baronibus prædictis, medietatem Rumiliaci, quam mihi in vita mea, antequam Moliſmum veniſſem, retinueram, & ibi poſt diſceſſum meum dare diſpoſueram, nam aliam medietatem jam integrè poſſidebat Eccleſia, extracto de proprio digito annulo donum de tota poteſtate Rumiliaci ſuper Altare ponens, eidem Eccleſiæ contradidi jure perpetuo poſſidendam, dictam ſcilicet poteſtatem adijciens, quòd ſi quis de Caſamento meo aliquid eidem Eccleſiæ dare voluerit, liceat ei, ratúmque hoc & firmum concedo in perpetuum permanere, id ipſi dicti Niuernenſis, Barri, Briniæ, Riuelli Comites, & dicti Barones mecum aſſiſtentes ſicut prædictæ Eccleſiæ de Caſamento meo conceſſiſſe me viderunt, & ipſi exemplo meo compuncti, meiſque inducti precibus, ſinguli eorum vna cum dicto Duce eidem Eccleſiæ conceſſerunt perpetuò poſſidendum, quicquid de eorum Caſamento Eccleſiæ illius Monachi quoliber

modo in poſterum ſibi acquirerent: teſtes inde ſunt vnà mecum WALTERIVS Vicecomes de Clamceio, HVGO de Tilio, ANDREAS Ramereu Comes dator & conceſſor Eccleſiæ de Caſamento ſuo, quod alij, HVGO cognomine Brito filius eius, Gaufredus Otranni filius, Lebaudus, & Grimaudus de Trecis, Theobaldus puer filius Comitis Stephani fratris mei. Adjecit autem huic conceſſioni ſuæ dictus Comes Barri donans eidem Eccleſiæ aquarum ſuarum piſcariam apud Villam ſuam de Vertoil, &c. *vt in prædicta charta.*

AN. CHR. 1108.

HILDEBERTI Cenomanenſis Epiſcopi

EPISTOLÆ.

Scripta ſua mittit amico.

VI. GVILLELMO Dei gratia venerabili Wiceſtrenſi Epiſcopo ILDEBERTVS humilis Cenomanorum Sacerdos ſalutem & obſequiorum inſtantiam. In me mihi bene complacuit, ſi quid egi quod tuæ poſſit voluntati complacere: verùm & ſpiritus meus magno gauiſus eſt gaudio, cùm didici transfretaſſe nuntium tuum ad me, per quem poſtulares aliquid ex me: poſtulaſti etenim exarari tibi Opuſcula mea, & exarata tranſmitti. Quo audito hæſi diutiùs vel amicũ offendere metuens, vel riſum legentibus ſuſcitare. Si verò tibi non pareo, delinquo: ſi præſumo quod exigis, ridiculus inuenior. Cùm autem neceſſe eſſet in alterutrum incidere, malui legentes in me, quàm in amicum delinquere me. Illud ſi quidem incommodum eſt, hoc vitium: ibi perſona læditur, hîc natura: docente autem Philoſopho didici, miſerabiliorem eſſe qui facit, quàm qui patitur injuriam. Ex eo enim eſt quòd ſapiens æquanimiter injurias ſuſtinet, inferre autem vel offenſus ignorat. Hanc ergo pro te, Beatiſſime Præſul, indui ſapientiam, vt dum meo morigerarer amico; nihil lætitiæ meæ detrahant linguæ gratuitò detrahentes: ſucceſſum confiteor, ſi gratiam tuam vel his vel alijs promereor obſequijs. Hoc autem certum habeas, quia mihi vicem rependes ſi diligis me, & oras pro me. Vale.

E I V S D E M.

VII. SVccessisse confitebor ſi gratiæ veſtræ limen mihi contingat aperire; ad quod, niſi fallor, compendioſam inueni viam, cùm Simonem veſtrum colere decreuerim & amare. Vſus enim habet vt qui filium diligit diligatur à patre: diligo enim præfatum iuuenem cujus indoles & multæ mores gratiæ ſatis expetunt diligi, plus extolli. Quod vt fiat, dilatari vellem eius notitiam, eúmque eſſe Romanæ familiarem Eccleſię, in qua mores huiuſmodi & gratiam inueniunt, & mercedem acquirunt. Multis eam frequentaſſe profuit, qui promotionem, quæ pro conditione ſubtrahitur, pro vita conſequitur.

Deeſſe videtur initium. Gratulatoriè amico ſcribit

E I V S D E M.

AN. CHR. 1111.

VIII. IN lacrymis effluant eorum oculi, mi dilecte, quos dolore capitis caritas vulnerauit. Ad laudes iterũ te voluerã exhortari, ſed communis omniũ luctus gaudium impedit ſingulare. Ecce enim martyrium perpetratum ſeneſcentem rurſus ornat Eccleſiam, & rediuiua perfidæ crudelitatis inſania pereuntis mundi reliquias Filiorum Dei pretioſa morte confirmat. Graſſatur in plebem Chriſti funeſtus ſatelles, & de pietate pœnas exigit gladius impiorum. Datur in prædam Ciuitas Romanorum, & Apoſtolici ſedes faſtigij cruentis Saxonum direptionibus prophanatur. Adducitur Papa captiuus, & iniquorum pedibus Pontificalis infula conculcatur. Deſolata mœret Cathedra Sanctitatis, & cui tribus omnes & linguæ ſeruierunt Roma redigitur ſub tributo. Polluerunt Eccleſiam Dei canes immundi, & Germanorũ cruda barbaries diuinæ legis jugulat ſimul & captiuat miniſtros. Ita nimirum in Eccleſia Dei Scripturę ſacræ vaticinium adimpletur. *Facti ſunt hoſtes in capite.* Et rurſus in Euangelio dicitur: *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues gregis.* Non ergo ſine periculo Chriſtianæ Religionis id obueniſſe crediderim, vt Rector pariter & Magiſter Eccleſiæ ligaretur: fortiorem hoſtis per-

Deflet calamitates Eccleſiæ ab Imperatore inflictas.

Quantũ crudelitatis in Papam & Romanos exercuerint Imp. Satellites.

cuſſit, vt poſtmodum ei facilior de ſubjectis eſſet triumphus : præciſum eſt caput noſtrum, & membra cætera non areſcunt. Dux exercitus Chriſti ligatur, & miles imperterritus ſuſtinebit. IESV bone ! vbi eſt promiſſionis tuæ veritas, ſi cum Eccleſia tua non permanſeris in æternum ? aut quid prodeſt oratio tua, ſi fides Petri deficiat ? Confirma Chriſte, confirma fidem Eccleſię, pro qua rogaſti : mane nobiſcum, ſicut dixiſti. Porrò tamen eſto ſollicitus oratione, ne & ipſi circumueniamur à Sathana. Ecce enim quem heri laudum præconijs extollebas, quem dilectionis ſanctæ ſequebaris officio, duobus in mundo miraculis, ſi fas eſt dici, coruſcat : aut ſi tibi non diſplicet, duobus alligauit flagitijs, qualia nec in Gentibus ſunt audita : quis enim poſſet prætereum inueniri, qui ſuos Patres ſpiritualem pariter & carnalem ſubdola ceperit factione ? Iſte eſt qui præceptis domin cis in vtraque tabula contradixit : nam vt de his quæ actu priora ſunt primò dicam : patrem carnis ſuæ non honorauit, ſed eum captiuauit priùs, & deinceps expulit fraudulenter, & in Deum poſtmodùm & ejus Eccleſiam inſurrexit, & de ſede Petri in atrium vſque in vincula perturbauit. Felix ergo Papa PASCHALIS, & omni deuotione diligendus, qui ſic Apoſtolicam ſedem rexit, vt & Apoſtolicæ paſſionis imitator fieri mereretur. Felix vinctus IESV CHRISTI, cùm licet pedes & manus etiam vinciantur, verbum autem Domini nunquam eſt alligatum : qui autem hujus capitis eſſe membrum voluerit, capiti ſuo ſe debet æſtimare conjunctum : ſpectat enim in contumeliam filiorum, ſi qua patribus irrogetur injuria ; non enim eſt capitis hujus membrum, non eſt hujus patris filius, non eſt hujus Prælati ſubditus, qui non ſentit, qui non condolet, qui non inſultat.

Laudat Paſchalem Summum Pontificem, ob perſecutiones paſſas ab Imperatore.

EIVSDEM.

Tanquam apologeticas Paſchalis Papæ calumniam diluere ſtudet, probans quàm prudenter ille & præclarè ſe geſſerit.

IX. NVNQVAM feliciùs ad deſiderium meum ſortis aduerſæ reſpondit aſperitas, quàm cùm mihi de Papa, de Rege, & Romanis lamentatiunculam conſcripſiſti : adeò námque me, care meus, pagina tua nodis

cujuſdam neceſſitatis aſtrinxerat : vt ſi ad eius primum vellem impetum reſpondere, aut certè, quod non vellem, Regem Saxonum accuſarem ; aut contra te, quod non deberem, illam domi foríſque notiſſimam gratiam læderem caritatis. Inter has ergo jactatus anguſtias cùm nec contra Dominum tuum ducerem aſſentari, nec propter amicum honeſtatum refellere quod dicebas ; longiùs mecum quid agerem ſollicitus pertractaui. Ex imminentis tandem occaſione triſtitiæ materiam nactus ita domeſticis angariatus anguſtijs, vt de criminibus conqueri non vacaret, interim obtuli tibi pro reſponſione ſilentium. Sed ecce cùm veritas aperitur, & erumpit Canonicus rigor, diſciplina juſtitiæ, ſchola virtutum : & iniquitatis tamen, ſi non reſpondeo, & liuoris eſt, ſi non laudo. Cùm ergo fatorum vel pauliſper injuriæ ſiluerunt, & inter anguſtias licuit reſpirare, veritas ipſa ſuam quoque peragit actionem ; & juſtitiæ ſimul morem geramus Domino, & te quoque quoniam forſitan exacerbauimus complacemus. Quis fecerit ſtrages ? Quis ſacra polluerit ? Quis prophanauerit teſtamentum, & cum ſuperbia ſanctuarium Dei ſit ingreſſus, aut ſi hæc quiſpiam fecerit, hoc obſecro loco mihi liceat præterire : quæ ſingula ſanè tam copioſè & tam luculenter explanas, & tam ſolemnibus votiuè lacrymis comploraſti, vt earum me quoque riuulis irrorares, & inuitum tecum raperes in querelas. Licet profectò, licet ſimul Papę Paſchalis tecum præconia non tacere & non accuſare quos amo. Quàm felicem, ſicut ais, Papam Paſchalem, qui gradus ac nominis ſui ſic obtinuit ſanctitatem, vt quod & nominis ratio deſignaret, & ex officij Canone mandaretur vſque ad ſanguinem & docere, & facere non timeret. Benedictus Iesvs Christvs qui ſic nondum Chriſtianæ caſtra militiæ inter hoſtium cuneos dereliquit, vt non eis ſortem athletam & ducem optimum prouideret. Non ſortabitur in Iſraël amor eius, & de ſortis electæ pars inimica ſpolijs non gaudebit, dum Ioſue noſtri peruigilabit inſtantia : ſtabit ad eius nobis fixus in æthere ſol indefeſſus imperium, & nocturnæ caliginis abiget fœditatem, donec de vitijs nobile referat victrix turma trophæum. Sed quoniam inuidus in

Paſchalem Sum. Pontif. laudibus ex tollit.

maligno poſitus eſt, & amaritudinis multum eſt & liuoris in plebe, puto non deerit qui audeat in his verbis prorumpere: Ecce quomodò gloria & honore proſequeris, & adſidera laudibus effers, & virtutis inſignibus amplias, quem vidimus ante congreſſum in acie trepidantem, tubæ clangorem perferre non poſſe, deditionem moliri non ſanguinem, fœdus cum hoſtibus contra leges & jura ferire, & ad extremum ſigna relinquere, detrectare militiam, arma proijcere, fugere, & latere. Fortis athleta, qui in acie ſtare, congredi, vincere conſueuit: & hunc vocas ad præmium, ad coronam? Hoc perſuadere poteras ignoranti mihi quem viri fortiter facta non fugiunt: de Achar nunquam efficies Machabæum: angarijs talibus, aut longè majoribus, Chriſtum Dominum non ambigimus impetendum. Et ipſe qui in mundo ſpectaculum factus eſt & Angelis eius, fortiter omnia ſuſtinebit: nos verò, qui filios eius profitemur (in contumeliam ſiquidem ſuorum, ſicut ais, reſpicit filiorum, ſi qua patribus irrogetur injuria) in adjutorium eius & nos ipſos pro illo periculis exponentes, feſtinemus aſſurgere, & tanquam Herculi clauam de manibus extorquentes aſſertionibus ſuis inimicos juſtitiæ retundamus, vt proprijs ſæculi duriùs emolumentis eliſi grauiùs confundantur, & reuerentiùs erubeſcant. Vtinam autem ſic patienter ad audiendum aures nobis patulas præbeant, ſicut ardenter ad pungendum linguæ ſtimulos acuerunt. Si Papa Paſchalis pro jure, pro patria, pro teſtamento Apoſtolorum, pro republica Iesv Christi ſponte ſe manibus obtulit impiorum, ſi ceruicem ad ſecurim, quid ſanctius, quid melius potuit, debuit? quid vtilius proximo, quid honeſtius ſibi? nonne ſic oderat animam ſuam in hoc mundo, vt in vitam ſeruaretur æternam? nunquid ex Canone legiſlatoris attenderat, majoris ad proximum locum gratiæ non haberi, quàm ſi pro fratribus animam quis donaret? quis vnquam tribunum accuſabit ignauię, qui ſe primum conjecit in vincula, & pro milite obtulit poſtmodùm feriendum? quod ſi poſtmodùm ceſſit injurię, & tanquam fugiens vt à Sanctorum ſanguine & Ciuium ſtrage jamjámque vibrantis aciem dextræ reuocaret, vel ad horam his

quæ

rogabantur aſſenſit, & tanquam datis inducijs & fœdere collato, donec vrbis inſtrueret muros, machinas collocaret, conuocaret exercitum, anticiparet anguſtias, acies ordinaret; ictus ſuſpendit in aëre ferientis: quid prudentius? quid cautius Ducis induſtria facere poſſet? quis prudentiam condemnabit, quando ſic hoſtium cuneos exarmauit, ſic reuocauit ad propria, vt ab his quos acceperat vel minimus non periret? nunquid Dauid Rex ille ſanctiſſimus, & robuſtiſſimus prælior, ne vrbis ſanctæ mœnia ciuium ſanguine prophanaret, perſequentis filij rabiem fugit, explorantium æquanimiter injurias ferens; domo Iuda & fortibus Iſraël poſtmodum conuocatis, ipſum ſimul & complices acerbiùs fudit? Impetus ſanè proſperat, & non ſtatim peruenit ad coronam. Impatientia mox prorumpit, & more torrentis repentè ſiccatur: tormenta baliſtæ quò ampliùs retrahis, fortiùs feriunt: qui, ſicut aiunt, quæ ad horam licuit tolerare, cùm voluit, permutauit; ſi auditum fecit in plebe, & teſtamentum filijs dereliquit: & quoniam illud niſi in morte teſtatoris non confirmatur, renuntians domo, patriæ, rebus, officio, mortificandus in carne Pontianam inſulam commigrauit. Quid obſecro, quid habet in hac parte vel improbus liuor vt obloquatur, vt rodat? ſi verò inter extrema nobiſcum nouus infrequens rumor obtinuit, populi vocibus, & Cardinalium lacrymis reuocatus in Cathedram Apoſtolici culminis iterum moderatur habenas, voces exercet: ſi Sanctorum Synodum cogit, Eccleſiam conuocat, cætum facit, & à domo Dei omnium vult aſſenſu falce judicij ſcandala reſecare; quod æquum & bonum eſt ex juſtitia confirmare; quod differens eſt ex miſericordia tolerare, vel mutare; quod confractum eſt diſcretionis faſcijs alligare; ſi ſe Cleri plebíſque judicio ſic commiſit, vt ex eorum ſententia pendeat, an noua capitula cudat, an vetera deſtituat, aut quæ conſtituit roboret, aut temporum ratione ſic inconuulſa pertranſeant; in cathedra commoretur, aut deportetur exilio: nunquid hæc quoque lingua prauorum ſermonis aculeis non formidabit inceſſere, perſequi, condemnare? noli, noli quæſo, quiſquis es irrumpere temulenter, patrum

inſtituta diſcutere, carpere mores, accuſare doctrinam. Argue, ſed cùm primùm rei exitum comprobabis: accuſa, ſed cùm perpenderis aberraſſe, ſed & tunc in ſpiritu lenitatis: multa ex loco, ex tempore, multa ex perſonis differentiùs fiunt. Rector Eccleſiæ nunquam aut aut diſſimulabit aut faciet quæ accuſat: cùm viderit malum ſchiſmatis imminere, Canonum ſcita mutabit: debet ceſſare cenſura, cùm diſſoluitur vnitas, charitas læditur, pax vacillat. Audiſti quid legitur. *Turbati ſunt & commoti ſunt ſicut ebrius?* Delibutus vnguentis cruentum militem formidinis non accuſes. Neſcit plerumquè quid prohibere, aut diſſimulare, quid præcipere, quid indulgere debeat diſpenſator: ſeruus fidelis & prudens in tempore tritici menſuram conſeruis præcipitur erogare: ad menſuram triticus datur, cùm eadem caritas quæ rudibus annuit, fortibus negat; cùm primos exercet, & colat malos; cùm quod nunc ex rigore præceperat, poſt paulùm ex indulgentia relaxauit. Paulus Apoſtolus euacuator legis, & gratiæ Prædicator liberè proclamabat: *Si circuncidimini, Chriſtus vobis nihil prodeſt.* Is poſtmodùm quod vetuit fecit, quem nutriebat ex voto caput tondebat in Cenchreis. Neſcis, Frater, neſcis quàm diligenter, quàm ſollicitè patres faciunt quod mireris, quod arguas, quod condemnes. Deſine, inquam, ſpiritualium proſequi ſanctiones, ſecreta rimari, decreta damnare. In Canonibus legitur: Duces paſtorem arguere non præſumant. Quidquid neſcimus quo animo faciant, interpretemur in melius. Vniuerſas Epiſcopus omnium habet leges, & jura reſcindit: ad ipſos venio qui audeant aſpirare judicium, & tu homo .... formica Leonem ſollicitare non metuis? Differ, differ in tempus opprobria. Sententiâ Caim damnantur qui patribus injurias irrogarunt. Confitere commiſſum, pœnitentiam age, concute pectus, offenſas luctu & lacrymis laua, & recantatis opprobrijs palinodiam canta, tu ipſe argue, tu ipſe ſententiam judicis anticipare feſtina.

Sed ecce quid feci? dum Epiſtolam ordior, hiſtoriam texui. Libet igitur, libet hoc loco rei ſummam paucis & breuibus capitulis annotare, vt quod legentis excurſus ſeu

Digitized by Google

feſtinans ſeu faſtiditus pertranſijt, tanquam ſub verbis duobus artatum facili valeat etiam mens occupata lectione complecti. Captus eſt Dux exercitus Chriſtiani dum armatus hoſtibus occurriſſet : quiſquis es æmulus veritatis fortunam argue , non arma ; tribuum legem quam tulerat alligatus abſoluit diſſimulandi neceſſitate , non voluntate ; liber factus quod ante reciderat reſarciuit : fortis athleta poſt vulnera , poſt cruores , ſurgit acerbior , & cautiùs poſtmodum ictus excipere , & fortis reddere conſueuit. Præformatas leges , & jura conſcripta renuntians omnibus ad ſecreta migrauit , hæc eſt juſtitia perfectorum ; reportatur in cathedram vocibus ſubditorum. Viri , quæſo, manſuetudinem aduertamus , humilitatis & obedientiæ quod docebat primò in ſe proponebat exemplum egregius Prædicator, geſtabat in manibus gratiam, quam vocis officio filijs erogabat vniuerſalis Eccleſiæ ; vel communicandi, vel commorandi , ſeu reſcindendi quod fecerat , ſeu confirmandi ; publica manet * certáque ſententia , æqui boníque conſuluit. Satiùs igitur erit tibi , lingua doloſa, jugi ſilentio cum corpore * , quàm viri ſancti conſcientiam , quam neſcis , accuſare : Tu autem cor meum & gloria mea , deliciæ Regum , Principum gratia , decus in Clero , amor in populis , honeſti ſpeculum, gratiæ forma , & noſtrorum Orpheus ſæculorum pulſa fidibus , & modulos vocis dulces adjunge. Age quod agis , prædica virum ſanctum , conſtantem , diſcretum , qui ſic fugit vt vinceret, ſic vicit , vt victos abſolueret , ita pro ſubditis ſe proturbauit in vincula, vt Reges ſecum traheret vinculatos ad palmam. Poſce ſecretum , coge pierides , reſultantibus organis per varios vocis anfractus ac titulos eius dulcia cantica, laudes modulare ; inter fiſtulas concrepantes raucas tibias liceat, quæſo , & calamos quaſſatos obſtrepere , delicioſa varietas in vnam conueniat ſymphoniam . . . . & me de * animo facito ſuccentorem , ſi per * te per ſingula non valeo , vel dum reſpiras in clauſis , interim plauſibus potero perſonare.

f. * manens.

f. * te continere.

f. * amico.

f. * poſt.

Digitized by Google

EIVSDEM.

X. IOCVNDITAS mihi & exultatio exuberat quoties obſequio famæ vos bene valere cognoſco. Et etiam ſolemne mihi eſt vos colere, veſtrámque promotionem inter meos aſſignare ſucceſſus. Inde eſt vt mihi ad plenitudinem gaudij cedant, quæ circa vos proſpera ſunt, ad cumulum verò vos eſſe incolumes. Mendacij arguar ſi fruſtra poſtularis à me quod poſſit, & expediat amico erogari. Interim rogo vt ad me veſtra transferatur pagina, qua myſterium veſtræ voluntatis & ſalutis agnoſcam.

EIVSDEM.

XI. SVCCESSISE confitebor ſi gratiæ veſtræ limen aperiri mihi contingat: ad quod, niſi fallor, compendioſam inueni viam cùm Simonem veſtrum & colere decreuerim & amare: vſus etiam habet, vt qui diligit filium à patre diligatur, diligo autem præfatum juuenem, cujus indoles & multæ mores gratiæ ſatis expetunt diligi vel extolli: quod vt fiat dilatari vellem eius notitiam, eúmque fieri Romanæ familiarem Eccleſiæ, in qua mores hujuſmodi & gratiam inueniunt, & mercedem acquirunt: multis eam frequentaſſe profuit, qui promotionem, quæ pro conditione ſubtrahitur, pro vita conſequuntur.

EIVSDEM.

Conſilium ſubminiſtrat quomodò ſe gerere debeat Frater ad libidinem à Diabolo prouocatus.

XII. SI vera ſunt quæ de commiſſo tibi Fratre aſſeris, deſuper implorandum eſt ei auxilium; quærenda quibus dimicet arma; rogandus ab illo triumphus, qui non patietur ſupra id quod poſſit; ſed faciet cum tentatione etiam prouentum vt poſſit ſuſtinere. Porrò tentationibus fatigari ob diuinum obſequium nemo vel cùm audit ſtupeat, vel deſperet cùm tentatur, ſcriptum eſt enim: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei prepara animam tuam ad tentationem.* Hinc eſt quòd exeuntem de Egypto Iſraël Pharao

cum curribus & equis perſequitur; quòd Sathan egreſſurus ab eo quem tenuerat in vinculis ab infantia, diſcerpit eum grauiùs, & quaſi mortuum relinquit. Hæc ſunt prælia quæ neceſſe eſt præliari tyrones Chriſti: his velut quibuſdam zizanijs præfocare bonum ſemen inimicus homo conatur, oſtendens quanto illud oderit odio, cui & ortum inuidet & prouectum: hoc apud fratrem tuum importunus tentator perſequitur, hoc volucris cæli conculcat & commetit; hoc eradicare noua & inaudita audacia. Siquidem præter cæteras tentationes, quibus & alij plerúmque pulſantur, in illa fratris tui pugna aliquid eſſe accepi, quo ſicut illudi viro Dei ſine ſtupore non audio, ſic illuſionem ſine noxio contemptu vix credo ſuſtineri. Dicis enim quòd illum orandi gratiâ proſtratum ſpiritus nequam aggreditur, manus ad orantis genitalia mittit, nec priùs illa vel attrectare, vel carne carnem confricare deſiſtens, quàm ſic agitatum ſeminis effuſione compellat maculari; nec tamen vel cogitatione, vel in ſomnis hæc eum fatigat illuſio: totum hoc circa orantem quaſi vera manus hominis operatur. Quærenti mihi de conuerſatione fratris reſpondiſti eum virginem eſſe; inſuper hanc vixiſſe vitam, vt ignarus perrari ignibus edulij & vitijs hoſtem circumferret & carni. De hoc igitur quid ſentiam præſens pagina tibi declarabit. Ex qualitate tentationis & tempore facile eſt, ni fallor, agnoſci quid ab illo miniſter mortis extorquere deſideret, quibus bonis illius inuidia grauiore torqueatur, oratione, ſcilicet, & virginitate; pro quibus expugnandis tanta cum mortalibus pertinacia congreditur, vt eum ſæpiùs vinci non pudeat dummodò poſſit vnâ victoriâ gloriari. Ideò igitur in orante graſſatur, vt ei vel orationem omninò auferat, vel orationis horas interrumpat: Scit enim quia *Reſpicit Dominus in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum.* Scit quòd immutabilitatem mutat oratio; quòd judicem conuertit in patrem; quòd colligationes noſtrarum diſſoluit impietatum. Scit quòd Moyſes oratione diuinam frangit indignationem; quòd Ioſuë ſolis curſum figit; quòd Elias aufert & reddit imbrem; quod Ezechiel quindecim adijciuntur

Orationis efficacia.

anni ; quòd Paulo ducentæ ſeptuaginta quinque animæ condonantur in naue. Audis quanta ſit virtus orationis quæ non ſolùm de natura, ſed de Domino naturæ triumphat: hanc excuti ſeruo Dei, ſequeſtrem diuinæ pacis amittere eſt. Porrò qua ratione virginem eſſe dicas ignoro, quem aſtruis per attrectationem genitalium ſeminis effuſione maculari. Si quidem tentari poteſt aliquis nolens, ſtimulari poteſt nolens: ad hoc autem vſque pertrahi neſcio quomodò poſſit niſi volens: ſi ergo tentationi tentatus conſentit, Sathanas habet quo gaudeat: * cúmque videt ſibi proſtratum, quem ad flagitium fornicationis per conſenſum inclinauit: quòd ſi frater à conſenſu immunis eſt, det gloriam Deo; quia vnde hoſtis victoriam quærit inde victus ipſe ſuccumbit. Eſt igitur fratris illius propriam perſcrutari conſcientiam, & ſi ſe viriliter pugnaſſe cognouerit, orare non * cadat: ſi autem ſenſerit emerſum ex tentatione conſenſum, multò deuotiùs vt reſurgat eſt orandum, ſacris inſiſtendum jejunijs, per ſingulas noctes rigandum ſtratum ſuum, ſuſcipienda frequens & grauis diſciplina, caſtigandum cum Paulo corpus, & in ſeruitutem redigendum; membra quoque, de quibus hoſtis præter auditum præſumit, impreſſione Crucis munienda ſunt, & * ſalicibus benedictionis aſpergenda. Opus eſt armatura multiformi, qua multiformes ictus aduerſariorum retrudantur: promiſſam nobis agnoſce colluctationem hujuſmodi, cùm Moyſi Ioſüe ſubrogatus reſiſtens, alienigenas delere niteretur: Noluit enim Dominus hoſtes omnino deeſſe Iſraëli, ſed eis aduerſarios dereliquit, quominus filij eorum muliebrem declinantes inertiam, propulſare alienigenas vſu præliandi docerentur: vnde & eum noluiſſe quaſdam nationes delere, nec eas tradere in manibus Ioſüe, in primo libro Iudicum his inuenitur verbis: *Hæ ſunt Gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Iſraël, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum*; poſteà diſcerent filij eorum pugnare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi. Iſta profectò bella colluctationem filiorum Eccleſiæ figurabant, quæ nobis aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum

* eûmque vel, cum.

* ceſſet.

* laticibus.

harum, ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus derelicta. Eſt enim tanquam arena quædam tota hominis vita, vbi nobiſcum ſemper imminet anceps conflictus, vbi caſus frequens, & reſurgere difficilis; vbi vulnus innumerum nec cicatricem ex facili promittens; vbi rata & tanquam ſecura victoria. Inde eſt quod in ludicro hujus vitæ nunquam tuta eſt à lapſu Chriſtiana religio, ſemper præſto eſt quod ſemitas ad vitam perturbet, quod neminem tranſire permittat intentatum: ſemper & inopportunè ſuper ſacrificium Abrahæ volucres deſcendunt, ſemper Pharao mergit in flumine maſculos noſtros; ſemper Balac illecebrarum materiam tranſeunti populo diſponit; ſemper ſacra vaſa de templo Domini Baltazar aſportat. Aduerſus talium inſidias & impetus beſtiarum tuus Frater orationis hoſtiam multiplicet, lacrymis pugnet & ſuſpirijs; in lapſu ſpe confortetur; prætendat humilitatem in victoria; poſt illum clamans deſiderio, qui ſuis in Euangelio ait: *Nolite timere, ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.*

EIVSDEM.

XIII. INTER amorem huius mundi, & amorem Dei hæc eſt differentia, quòd huius mundi amor in principio eſſe dulcis videtur, finem habet amarum: amor verò Dei ab amaritudine incipit, ſed vltima eius dulcedine plena ſunt; quod pulcherrima ſimilitudine Euangelicus ſermo Dei nobis oſtendit, dicens cùm de ſponſi .... nuptijs decantaret: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint tunc id quod deterius.* Omnis homo, id eſt carnalis primùm bonum vinum ponit, quia in ſua delectatione falſam quandam dulcedinem ſentit, ſed poſtquam furor mali deſiderij mentem inebriauerit, tunc quod deterius propinat: quia ſpina conſcientiæ ſuperueniens mentem quam priùs delectabat grauiter cruciat: ſed ſponſus noſter poſtremò bonum vinum porrigit, cùm mentem, quam ſui dulcedine amoris replere diſponit, priùs tribulatione & compunctione amaricari ſinit, vt poſt guſtum amaritudinis, bibatur ſuauiſſimum poculum charita-

Amoris Dei, & amoris mundi differentiam adfert.

Digitized by Google

tis. Et hoc eſt primum ſignum quod facit IESVS coram Diſcipulis ſuis; & credunt in eum: quia peccator & pœnitens primùm de miſericordia Dei fiduciam habere incipit, quòd poſt longa mœroris tædia ſancti Spiritus conſolatione cor ſuum releuari ſentit.

EIVSDEM.

Impoſitam tibi cauſam inter Vvidonem de Credonio & vxorem eius cur definire non potuerit, rationem reddit.

XIV. HONORIO Dei gratia Reuerendiſſimo ac Sanctiſſimo Patri ſuo, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici ILDEBERTVS humilis Turonorum Miniſter integræ perſeuerentiam obedientiæ. Litteras ad nos, Beatiſſime Pater, veſtra dedit ſublimitas, continentes vt cauſam quæ de conjugio Widonis de Credone, & Agnetis vxoris ſuæ, ſuſcitata fuerat, vtraque parte conuocata canonicè ſatageremus terminare; quibus cùm diem agendi ex veſtro dediſſemus præcepto, ipſa Agnes & pro breuitate temporis, & pro loco ad quem ſuos deducere non poterat aduocatos, & maximè Guidonem de la Valle fratrem ſuum, cum Comite guerram habentem, ſe non poſſe ad cauſam venire prætendit. Præterea contigit vt ante diem quem poſueramus, Francorum Rex ad coronandum ſecundum filium ſuum & in Regem vnguendum nos inuitaret, & in eadem die quam vtrique dederamus egredi de noſtra ſede, nos tempore & conditione ire cogeremur. Proinde non exaudire Regem, cui poſtulatum obſequium, & quem vel ſic mitigandum ſperamus, in damnum Eccleſiæ ceſſurum, & in majorem aduerſus nos indignationem, nemo qui dubitet. Cùm igitur nos & excuſatione Agnetis, & vocatione qua vocati ſumus à Rege præſcripto, die cauſam terminare non poſſemus, competentem ei obtulimus diem, quem tamen ipſe omnino ſuſcipere recuſauit. Quod ideò, Pater ſancte, ſignificandum cenſuimus, vt ſi quis vobis id aliter deferret, vos & dilationis cauſam agnoſceretis, & rei veritatem. Conſeruet vos Dominus Eccleſiæ ſanctæ ſuæ, Pater.

EIVSDEM.

EIVSDEM.

XV. ET si quantas debemus non poſſumus, quas tamen poſſumus vobis gratias agimus, quia calciaſtis veſtros pedes in præparatione Euangelij pacis: optima enim miſiſtis ſandalia, in quibus & oſtenſa eſt amicitia, & oblata doctrina. Ea namque torporem noſtrum ſecretis excitant ſtimulis, & quaſi quadam manu pulſant vt euigilemus, & aſſumamus nobis pedes Euangelizantium bona. Placet nobis exhortatio hujuſmodi, & ex ea ſortiuntur ſandalia gratiam, licet ſandaliorum non ſeruent formam. Nimirum conſuetudinis eſt & rationis pertuſa deſuper eſſe ſandalia, vt totus appareat pes, nec totus ſit coopertus: prædicator enim nec abſcondere omnibus, nec omnibus Euangelica debet aperire ſacramenta: hinc eſt quod Apoſtolis Dominus ait: *Vobis datum eſt noſſe myſterium Dei regni; cæteris autem in parabolis: Vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Et alibi: *Nolite margaritas ponere ante porcos.* Inde etiam eſt quod manus ad Ezechielem mittitur, in qua erat inuolutus liber, qui & expanſus coram eo legitur, & ſcriptus intus & foris. Ex eo quoque traxit hanc Eccleſia conſuetudinem, vt textus quidem Pontifici apertus, cæteris autem clauſus ad oſculandum deferatur: nec nos velut vos doceamus hæc loquimur, ſed vt pariter & amico ſignificemus & Epiſcopo cujuſmodi formæ ſandalijs Eccleſia vtatur Gallicana. Quòd ſi apud te non integram . . . . . ſperem nihilominus in integris, ſcilicet exprimimus qua ratione vtamur.

Sandaliorum Epiſc. formam mittit, & quare textus Euangelicus Epiſcopo apertus, cæteris clauſus offertur, oſtendit.

Quid ſignant ſandalia.

STEPHANI Comitis Carnutenſis ac Bleſenſis ad vxorem ADELAM.

An. Chr. 1098.

XVI. STEPHANVS Comes ADELÆ dulciſſimę atque amabiliſſimæ conjugi, cariſſimiſque filijs ſuis; atque cũctis fidelibus ſuis tam majoribus, quàm minoribus, totius ſalutis gratiam & benedictionem. Credas certiſſimè, cariſſima, quòd nuntius iſte, quem dilectioni tuæ miſi, ſanum me

Refert vxori quæ in caſtris ante Antiochiam à Chriſtianis acta ſunt.

Digitized by Google

atque incolumem, atque omni proſperitate magnificatum Dei gratiâ dimiſit ante Antiochiam. Et jam ibi cum omni electo Chriſti exercitu ſedem * Domini IESV cum magna eius virtute per viginti tres continuas ſeptimanas tenueramus. Scias pro certo, mi Dilecta, quòd aurum & argentum, aliáſque diuitias multas duplo nunc habeo, quàm tunc quando à te diſceſſi mihi dilectio tua attribuiſſet. Nam cuncti Principes noſtri communi conſilio totius exercitus me dominum ſuum, atque omnium ſuorum actuum prouiſorem atque gubernatorem, etiam me nolente, vſque ad tempus conſtituerunt. Satis audiſti, quia poſt captam Nicæam ciuitatem non modicam pugnam cum perfidis Turcis habuimus, & eos Domino Deo ſubuenientе deuicimus primùm; poſthæc totius Romaniæ partes Domino adquiſiuimus: poſteà Cappadociã, atque in Cappadocia quendam Turcorum Principem Aſſãm * habitare cognouimus. Illuc iter noſtrum direximus: cuncta verò caſtra illius vi deuicimus, & eum in quoddam firmiſſimum caſtrum in alta rupe ſitum fugauimus; terram quoque ipſius Aſſãm vni ex noſtris Principibus dedimus, & vt prædictum Aſſãm debellaret cum multis Chriſti militibus ibi eum dimiſimus. Deinde per mediam Armeniam ſemper nos inſequentes nefandos Turcos vſque ad magnum flumen Euphratem fugauimus; & etiam ad ripam eiuſdem fluminis dimiſſis cunctis ſarcinis, & ſaumarijs ſuis, per medium flumen in Arabiam fugerunt. Ex ipſis verò Turcis audaciores milites nocte ac die curſu veloci in Syriam regionem intrantes, vt in Regiam vrbem Antiochiam intrare valerent ante aduentum noſtrum, feſtinarunt. Cunctus verò Dei exercitus hoc cognoſcens, cunctipotenti Domino gratias laudéſque dignas dederunt. Ad principalem prædictam vrbem Antiochiam cum magno gaudio nos properantes, eam obſedimus, & cum Turcis ſæpiſſimè ibi plurimas conflictiones habuimus, & in veritate ſepties cum ciuibus Antiochenis, & cum innumeris aduentantibus ad ſubueniendum ſibi auxilijs, quibus obuiam occurrimus, animis ferocioribus Chriſto præeunte pugnauimus, & in omnibus VII. prælijs prædictis Domino Deo

*Ideſt, * obſidionem. Gal. Siege.*

*ſ. * Aſſanem, ſiue Aſſanum.*

Digitized by Google

cooperante conuicimus, & de ipſis ſine omni numero veriſſimè interfecimus. In ipſis verò prælijs, & in plurimis in ciuitatem factis congreſſionibus, de Chriſticolis confratribus noſtris multos occiderunt, quorum verè animas ad paradiſi gaudia intulerunt.

Antiochiam verò vrbem maximam, vltrà quàm credi poteſt firmiſſimam atque inexpugnabilem reperimus. Audaces itaque milites Turci pluſquàm v. millia intra ciuitatem confluxerant, exceptis Saracenis, Publicanis, Arabibus, Turcopolitanis, Syris, Armenis, aliiſque gentibus diuerſis, quarum multitudo infinita inibi conuenerat. Pro his igitur inimicis Dei & noſtris oppugnandis multos labores, & innumera mala, Dei gratiâ hucuſque ſuſtinuimus. Multi etiam jam ſua omnia hac in ſanctiſſima paſſione conſumpſerunt. Plurimi verò de noſtris Francigenis temporalem mortem fame ſubiſſent, niſi Dei clementia, & noſtra pecunia eis ſubueniſſet. Per totam verò hyemem ante ſæpedictam Antiochiam ciuitatem frigora prænimia, ac pluuiarum immoderatas abundantias, pro Chriſto Domino perpeſſi ſumus. Quod quidam dicunt, vix poſſe pati aliquem in tota Syria ſolis ardorem, falſum eſt: Nam hyems apud eos Occidentali noſtræ ſimilis eſt. Cùm verò Caſpianus * Antiochiæ Admiraldus, id eſt Princeps & dominus, ſe adeò à nobis prægrauatum conſpiceret, miſit filium ſuum, Senſadolo nomine, Principi qui tenet Hieroſolymam, & Principi de Calep Rodoam, & Principi de Damaſco Docap: item miſit in Arabiam propter Bolianuth, & in Corathaniam propter Hamelnuth. Hi v. Admiraldi cum XII. millibus electorum militum Turcorum ad ſubueniendum Antiochenis ſubitò venerunt. Nos verò hoc totum ignorantes, multos de noſtris militibus per ciuitates & caſtella miſeramus. Sunt verò nobis per Syriam CLXV. ciuitates & caſtra in noſtro proprio dominio. Sed paulò antequàm ad vrbem venirent per tres leugas cum DCC. militibus in quandam planitiem ad pontem Ferreum * eis occurrimus. Deus autem pugnauit pro nobis ſuis fidelibus contra eos: nam ea die virtute Dei eos pugnando deuicimus, & de ipſis ſine numero, Deo ſemper

al. * Caſſianus, vel, Acxianus.

al. * Pons Fernæ, vel, Farfar.

pro nobis præliante, interfecimus, & etiam pluſquam c c. capita eorum, vt inde congratularentur Chriſtiani populi, in exercitum attulimus. Imperator verò de Babylonia miſit ad nos in exercitu nuntios ſuos Saracenos cum literis ſuis, & per eos firmauit pactum & dilectionem nobiſcum.

Quid nobis in hac Quadrageſima contigerit, tibi cariſſima, notificare diligo. Principes noſtri ante quandam portam, quæ erat inter caſtra noſtra & mare, caſtellum fieri conſtituerant: nam per eam portam quotidie Turci exeuntes, de noſtris euntes ad mare interficiebant (Vrbs enim Antiochia diſtat à mari per v. leugas) hac de cauſa egregium Boimundum, & Raimundum Comitem de S. Ægidio ad mare, vt inde Marinarios ad hoc opus juuandum adducerent cum L X. tantùm militum milibus *, miſerunt. Cùm autem cum eiſdem Marinarijs ad nos reuerterentur, congregato exercitu Turcorum noſtris duobus improuiſis Principibus occurrerunt, & eos in fugam periculoſam miſerunt. In illa improuiſa fuga pluſquam quingentos noſtrorum peditum ad laudem Dei perdidimus; de militibus noſtris nonniſi tantùm duos pro certo amiſimus. Nos verò eadem die vt confratres noſtros cum gaudio ſuſciperemus, eis obuiam exiuimus, infortunium eorum ignorantes. Cùm autem prædictæ portæ ciuitatis appropinquaremus, Antiochena turba militum ac peditum de habito triumpho ſe extollentes in noſtros pariter irruerunt. Quos noſtri videntes ad Chriſticola caſtra, vt omnes parati ad bellum nos ſequerentur, miſerunt, dum adhuc conuenirent noſtri, disjuncti Principes ſcilicet Boimundus & Raimundus cum reliquo exercitu ſuo aduenerunt, & infortunium quod eis magnum euenerat narrauerunt. Quo peſſimo rumore noſtri furore accenſi, in ſacrilegos Turcos pro Chriſto mori parati, pro fratrum dolore concurrerunt. Inimici verò Dei & noſtri ante nos confeſtim fugientes, in vrbem ſuam intrare tentauerunt; ſed res longè aliter Dei gratia euenit: nam cùm tranſire per pontem ſuper flumen magnum Moſcholo fundatum vellent, nos eos quominus inſequentes, multos ex ipſis antequam accederent ad pontem interfecimus, multos in flumen proiecimus, qui omnes necati ſunt;

* f. militibus, hoc eſt, equitibus.

multos verò ſupra pontem, plurimos etiam ante portæ introitum occidimus. Verum tamen dico tibi, mi Dilecta, & veriſſime credas, quòd eodem prælio XXX. Admiraldos, id eſt Principes, alióſque trecentos nobiles Turcos milites, exceptis alijs Turcis atque paganis, interfecimus. Computati ſunt ergo numero mortui Turci & Saraceni MCCXXX. de noſtris autem vnum ſolum non perdidimus.

Dum verò Cappellanus meus Alexander ſequenti die Paſchæ cum ſumma feſtinatione has litteras ſcriberet, pars noſtrorum Turcos inſidiantium victricem pugnam cum eis Domino præeunte habuerunt & fecerunt, & de ipſis LX. milites occiderunt, quorum cuncta capita in exercitum attulerunt.

Pauca certè ſunt, cariſſima, quæ tibi de multis ſcribo: & quia tibi exprimere non valeo, quæ ſunt in animo meo, Cariſſima, mando vt bene agas, & tibiæ tuæ egregiè diſponas, & natos tuos, & homines * tuos honeſtè, vt decet te, tractes, quia quàm citiùs potero me certè videbis. Vale.

* *Id eſt*, Fideles ſeu Vaſſallos.

HVGONIS CASTRINOVI.

Confirmat ea quæ conceſſerat Canonicis Regg. Abbatiæ S. Vincentij in nemore, Diœceſis Carnot. AN. CHR. 1132.

XVII. EGO HVGO Caſtrinoui dominus, omnibus ad quos præſentes litteræ peruenerint in Domino Salutem. Nouerint vniuerſi quod ego HVGO Caſtrinoui dominus apud ſanctum Vincentium in præſentia Domini GAVFRIDI Carnotenſis Epiſcopi conſtitutus, qui ibi tunc quoddam Altare in honore SS. Simonis & Iudæ conſecrauerat, Canonicis ibi Deo ſeruientibus multas Eleëmoſynas de meo proprio donaui, & multas à meis hominibus eiſdem Canonicis datas conceſſi, atque confirmaui, & in manu eiuſdem Gaufridi Epiſcopi miſi, exorans eum obnixè, vt de ſua propria manu jam dictas Eleëmoſynas eiſdem Canonicis daret, & auctoritate ſua confirmaret.

In primis itaque locum ſuum & Abbatiam liberam & quietam; exemptiones, venditiones, ab omni conſuetu-

dine liberas & quietas ; juſtitias terræ ſuæ cum litibus, percuſſuris, effuſionibus ſanguinum, homicidijs, furtis, ſeu quibuſlibet alijs forifactis, & belli etiam campo ſubmonendas, tractandas, determinandas, judicandas in curia eorumdem Canonicorum ſancti Vincentij procurantibus & dominantibus Canonicis, omni inquietudine ſepoſita decernimus. Donamus etiam de noſtro proprio eiſdem Canonicis nemus, quod eſt circa Abbatiam, vſque ad Vallembleuici, ſic vt non detur, non vendatur ad deuaſtationem nemoris, liberum & quietum ab omni violentia & oppreſſione, tam meâ, quàm meorum hominum, & foreſtariorum, omni conſuetudine remota. Donamus etiam eiſdem Canonicis totã terram ſiue in plano ſiue in nemore à Valle-Bleuici metante camino petroſo vſque ad Vallem Girardi, &c. & paſnagium porcorum ſuorum in foreſtis meis ; in Feſto SS. Simonis & Iudæ vnam feriam tribus diebus ab omni pedagio per totam terram meam liberam. In ſtagno Bleuici poſt obitum matris meæ vnam piſcationem in anniuerſario ſuo ; & alteram in anniuerſario meo poſt obitum meum, & hoc in perpetuum ; Decimam redditus mei de Normania ; in Caſtro nouo duos Burgenſes, & duos in Bruerolijs ; Capellani de Rebonuillari, cum decimis, & terris ad Capellam pertinentibus. Et ſi fortè contigerit hoſpites hoſpitari in nemore Grauoliæ, Parrochiatus & decimæ erunt Capellæ de Rebonuillari : apud Danamarchiam duos ſolidos per ſingulas ſeptimanas, & in vnaquaque feſtiuitate Beatæ MARIÆ, & Natalis Domini, & Paſchæ, & Pentecoſtes, & Omnium Sanctorum, tres ſolidos : decimam ſeptimanam pedagij noſtri de Drocis, & de Sorel ſimiliter : in omni ſexta feria vnum ſeruitium piſcium ; in quadrageſima, die Mercurij cineris viginti duas anguillas : terram inter duo caſtra, &c. Quòd ſi quis deinceps hominum noſtrorum aliquod beneficium eiſdem Canonicis donare voluerit nos concedimus & confirmamus.

Et vt hæc quæ ſupra ſcripta ſunt firma & inconcuſſa permaneant, ſigilli noſtri impreſſione roborare curauimus. Hoc factum eſt præſentibus & conſedentibus vxore mea

Alberedi, & matre mea ſenio jam detenta Mabilia, & filijs meis Hugone, Geruaſio, & Galeranno. Anno gratiæ milleſimo centeſimo trigeſimo ſecundo.

LVDOVICI VII. Francorum Regis.

AN. CHR. 1170. d. 28. Aug.

Aſſignat Rex Fratribus S. Ioannis de Sebaſte x x. libras annui reditus è Caſtro Nantonis percipiendas.

XVIII. IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum Rex omnibus in perpetuum. Saluatorem adorauimus in terra, vbi ſteterunt pedes eius, vbi in amore pariter & timore ſancta viſitauimus loca, & Eccleſiam Sebaſte ciuitatis vidimus, in qua Præcurſor Domini Beatus Ioannes Baptiſta, & cum eo multa corpora Sanctorum requieſcunt. Placuit nimirum ac pectori noſtro vehementer inſedit reuerendi ſanctitas loci; & ad diligendum Eccleſiam & Fratres, ipſorum Fratrum religio, & honeſta conuerſatio magnum nobis feruorem accendit. In hac adhuc deuotione perſiſtentes, Notum facimus tam futuris quàm præſentibus, quòd amore Dei, & B. Ioannis, in cujus interuentu plurimùm confidimus, Eccleſiæ videlicet Sebaſtenſi, & Fratribus inde ad nos tranſmiſſis, concedente filio noſtro Philippo, viginti libras in cenſu noſtro apud Caſtrum Nantonis, die ſolito annuatim recipiendas, in perpetuum donauimus, & inde inueſtimus Fratres, ita quod liberè & abſolutè, vt cùm aliquam in regno & poteſtate noſtra Eccleſiam eis contulerit Deus, Fratres in ea ſeruientes hoc habebunt beneficium: quamdiu verò nullam habebunt Eccleſiam, nihilominus tamen ad Eccleſiam Sebaſtenſem tranſmittetur. Si autẽ de viginti libris in cenſu illo defuerit, nos in eodem Caſtro in alijs redditibus noſtris reliquum eis competenter aſſignabimus. Eleëmoſynas etiam, quas juſtè vſque ad præſentem diem largita eſt eis fidelium deuotio, benignè concedimus, & præſentis ſcripti patrocinio confirmamus. Quod vt ratum ſit in poſterum, ſcribi & ſigilli noſtri authoritate communiri præcepimus. Datum ſolemniter Pariſijs, Anno Verbi Incarnati MCLXX. Die S. Auguſtini; aſtantibus in palatio noſtro quorum ſubſcripta ſunt nomina & ſigna,

S. Comitis THEOBALDI Dapiferi noſtri.
S. MATTHÆI Camerarij.
S. GVIDONIS Buticularij.
S. RADVLPHI Conſtabularij.
Data per manum HVGONIS Cancellarij.

AN. CHR. 1177.

Charta fundationis Carthuſiæ Luuigniacenſis.

XIX EGo GALTERVS Dei gratia Epiſcopus Lingonenſis Notum facio præſentibus & poſteris: Quòd pro animæ meæ & prædeceſſorum meorum ſalute Domum Luuigniaci à me fundatam, religionémque Carthuſienſem exemptam ab omni juriſdictione ordinaria profeſſam tradidi generali Capitulo dictæ Religionis in perpetuum corrigendam; & à Prioribus, & Fratribus, qui pro tempore ibidem fuerint, pacificè & liberè poſſidendam, cum omnibus prædijs, paſcuis, pratis, terris, ſyluis, finibus, & quicquid juris, juſtitiæ, aut dominij ibi habebant: & ſimiliter grangiam Vallis Vercellis, quam tradiderunt mihi Fratres de Longo Vado pro grangia de Grandi-Boſco, nihil omninò in his retinendo pro me, vel pro ſucceſſoribus meis, excepto hoſpitio cum meis proprijs expenſis, in quo etiam nolo vti carnibus quoquomodo. Dedi inſuper, & eiſdem Carthuſienſibus ibidem Deo ſeruientibus procuraui ab alijs Dominis & habitatoribus Villarum de Lengleio, de Chalma, de Leuxeio, de Fauerollijs, & de Receyo, paſturas per omnes fines dictarum Villarum ac Parrochiarum pro omnibus animalibus ſuis groſſis & minutis omni tempore, tàm in boſco quàm in plano, & aiſanciam omnium aquarum, me quoque Duce, & domino de Granceyo, & omnibus Dominis de dicta Villa de Receyo, eiſdem Fratribus concedentibus libertatem accipiendi vel acquirendi libere, & tenendi impoſterùm quaſcumque poſſeſſiones in Villa de Receyo & territorio eiuſdem, cujuſcumque conditionis exiſtant: quod ſimiliter conceſſi eiſdem per totam terram meam propter augmentum Religionis & diuini cultus, ad majorem etiam tranquillitatem Fratrum & emunitatem loci, dictam domum, Fratres, & totum

totum finagium eorum liberaui ab omni ſeruitute, & coſtumia, ſeu alia exactione, ita vt eiſdem & omnibus alijs liceat ibidem liberè vendere, emere, ac vti de menſuris conſuetis ſine renouatione vel redeuantia aliquo tempore facienda. Conceſsíque dictis Fratribus meis, vt impoſterùm vocatis vocandis, quoties neceſſe fuerit, poſſint vbique ſine altera licentia metas ponere inter poſſeſſiones ſuas, vel finagia: quia licet à finagijs de Eſſarreto, & de Receyo fines Luuigniaci bene ſint diuiſæ, tamen à finagijs de Fauerolliis, in quibus habent jus tanquam domini dictæ villæ, & de Leugleyo non ita planè: à Valle enim de fonte Hoigelot per Choceas & montem Eſcoth, ac Mombreciem, quadam parte ſupra le Fay remanente, de finagio prope Luuigniacum ſæpius circuiendo perueniunt *és Comelles* de Luxeyo. Dehinc ad metas quæ ſunt in Foreſtella de Lugleyo, & tendunt ad Cumbam quæ eſt in finibus communiæ Leugleij, & ſic per fundum eius contra Meridiem quaſi in ſummitate montis diuidunt nemus dictæ communiæ Leugleij: & illud nemus dictorum Fratrum quod eſt ſupra grangiam Vallis-Vercellis: ſícque per eminentiam montis circuiendo Chapagris & Valchenin tendunt ad rupem Ide Villepot, ac perueniunt ad locum vbi intrat riuus de Valuerner in Vxam. Hæc igitur omnia de aſſenſu Capituli Lingonenſis, ſigilli mei auctoritate confirmata, poſteris elucidare curaui, Anno gratiæ milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo.

RAYMVNDI COMITIS TOLOSANI.

An. Chr. 1243. 18 Aprilis.

Ab excõmunicatione à Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquiſitoribus prolata Epiſcopos appellat.

XX. Anno Domini MCCXLIII. Sabbato infra Octauas Paſchæ. Notum ſit vniuerſis præſentibus & futuris, quòd Raimvndvs Dei gratia Comes Tholoſæ conſtitutus in præſentia venerabilium Patrum Archiepiſcoporum Narbonenſis, & Arelatenſis: & Epiſcoporum Tholoſani, Lodouenſis, Agatenſis, Nemauſenſis, Carpentoratenſis, Maſſilienſis, Ruthenenſis, & Albigenſis, & aliorum plurimorum Abbatum, Prælatorum, & multorum virorum Eccleſiaſticorum in aula Epiſcopali

Biterrenſi; præſentibus etiam viris Religioſis Fratre Pontio Priore Prouinciali Fratrum Prædicatorum in Prouincia, & alijs Fratribus ſui Ordinis, qui ſe dicebant auctoritate Apoſtolica judices in terra noſtra contra peſtem hæreticam: patenter oſtendimus, quòd Frater *Ferrarius*, & Frater *Wilelmus* Raimundi eiuſdem Ordinis, qui dicunt ſe habere juriſdictionem auctoritate Apoſtolica ad inquirendum contra hæreticos in terra noſtra, poſt appellationem contra eos, & eorum juriſdictionem ad ſedem Apoſtolicam legitimè interpoſitam, & etiam contra juris ordinem manifeſtè tulere in perſonam noſtram grauem & erroneam excommunicationis ſententiam; per quam ſententiam perſonam noſtram apud magnos, multos, & graues & in locis plurimis grauiſſimâ infamiæ maculâ notauerunt. Cæterùm quia nos ad pacem & concordiam Domini noſtri Regis Francorum venimus,& voluntatem ac firmum propoſitum habemus, ſicut tenemur, purgare terram noſtram ab hæretica prauitate; procurantibus & aſſiſtentibus nobis in hoc facto Magiſtro *Wilelmo* Comberio & ſocijs ſuis Nuntijs Illuſtris Domini Regis Francorum ad hoc ſpecialiter deſtinatis; cùm inter nos ex vna parte, & dictos Fratres Prædicatores, tam ſuper appellatione noſtra, quam legitimam æſtimamus, quàm ſuper excommunicationis ſententia, quam dicti Fratres, ſicut nos credimus, in perſonam noſtram contra juſtitiam promulgarunt: tum quia, peccatis exigentibus vacante Romana Eccleſia, hæc quæſtio per Sedem Apoſtolicam non poteſt terminari; tum quia occaſione hujus negotium inquiſitionis contra hæreticos poteſt penitus impediri, niſi ſalubre conſilium apponatur, ne fortè apud Deum inculpari poſſimus, & apud homines diffamari propter zelum Catholicæ fidei, quam ſemper dileximus, & in perpetuum defendemus: & quia ſummoperè affectamus purgare terram noſtram ab hæretica fœditate, & ſemper, ſicut manifeſtum eſt, ad hoc in quantum potuimus, dedimus operam efficacem: & quia mora diſcuſſionis prædictæ appellationis, & periculum ſententiæ, maximè propter carentiam Domini Papæ, qui ſuper hoc tantùm poteſt eſſe judex: ad inſtantiam dictorũ Nun-

Digitized by Google

tiorum Illuſtris Regis Francorum, deliberato conſilio pro honore Dei, & exaltatione Catholicæ fidei, gratis & bona voluntate offerimus vobis prædictis Dominis Archiepiſcopis; vel ſi vos ſolummodò non vultis recipere, vobis & alijs omnibus Epiſcopis præſentibus, vel illis quos volueritis vobiſcum habere ſocios, vel omnibus Prælatis qui præſentes ſunt, vel illis quos vobis in hoc facto duxeritis ſociandos, quòd nos tam ſuper prædicta appellatione, quàm ſuper excommunicationis ſententia Fratrum Prædicatorum, ſimpliciter ſtabimus cognitioni & arbitrio veſtro, juſtitia mediante; &, plurimùm affectamus, vt hæc quæſtio mediante juſtitia terminetur; vel ſi fortè vobis & dictis Fratribus non placet vt terminetur per vos, juſtitia mediante, nos ad remouendum à nobis omnem malæ ſuſpicionis materiam, offerimus ex abundanti quòd ſuper præmiſſis ſimpliciter ſtabimus cognitioni, ordinationi, vel voluntati veſtræ, prout ſecundum Deum & honeſtatem veſtram omnes ſimul, vel vos Domini Archiepiſcopi vobis adjunctis quos volueritis, duxeritis ordinandum. Speramus enim de bonitate, & juſtitia, ac diſcretione veſtra, quòd in facto iſto perſonæ noſtræ; & negotio fidei taliter prouidebitis, quòd famæ noſtræ & perſonæ prouidebitur in futurum, & negotium inquiſitionis ſortietur effectum in omnibus exoptatum. Hujus rei ſunt teſtes prædicti Domini Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates Villæ-Magnæ, ſancti Tyberij, Graſſenſis, ſancti Poncij, de Quadraginta; Sancti Hilarij, ſancti Papuli Foxenſis, Appamiarum, Galliacenſis, Grandis ſyluæ, Fontis-frigidi, Bolbonenſis, & alij plurimi: Archidiaconi Bituricenſis, Narbonenſis, Magalonenſis, Nemauſenſis, Lodouenſis, Tholoſanus, Procuratores Carcaſſonenſis, Præpoſitus Arelatenſis, Nemauſenſis, Magalonenſis, Tholoſanus, & alij plurimi Prælati & Clerici, & etiam Milites & Laïci.

AN. CHR. 1315.

LVDOVICI X. Regis Francorum GAZONI Epiſcopo Laudunenſi.

Refert Epiſcopus literas quibus à Rege ſibi jubetur, vt Siluanectũ ad examinandam Petri Epiſc. Catal. cauſam conueniat.

XXI. VNIVERSIS præſentes literas inſpecturis GAZO miſeratione diuina Laudunenſis Epiſcopus, Salutem in Domino Noueritis nos anno Domini MCCCXV. die Mercurij in craſtino feſti Beatæ Mariæ Magdalenæ quaſdam literas recepiſſe, formam quæ ſequitur continentes. LVDOVICVS Dei gratiâ Franciæ & Nauarræ Rex dilecto & fideli noſtro GAZONI Epiſcopo Laudunenſi, Salutem & dilectionem. Cùm, ſicut accepimus, dilectus & fidelis noſter Archiepiſcopus Remenſis pro examinatione quorumdam criminum, ſuper quibus apud eum PETRVS Epiſcopus Cathalaunenſis his diebus delatus extitit, certo indigeat Epiſcoporum numero ſecundum Canonicas ſanctiones, ac hujuſmodi negotium perſonam noſtram plurimùm tangere dignoſcatur: Vos attentè requirimus & rogamus, vobis etiam ſub debito fidelitatis, quâ nobis tenemini, tenore præſentium injungentes, quatenus Siluanecti ſextâ die inſtantis menſis Auguſti, dicto Cathalaunenſi Epiſcopo per eundem Archiepiſcopum ad reſpondendum articulis ſuper dictis criminibus aſſignatâ, juxta requiſitionem ipſius Archiepiſcopi perſonaliter interſitis: ita quòd propter veſtri defectum (quod abſit) nequeat præfati examinatio negotij retardari. Datum Pariſijs x. die Iulij, Anno Domini MCCCXV.

In cujus receptionis teſtimonium præſenti transſcripto, ſigillum noſtrum duximus apponendum. Datum apud Pratellam domum noſtram, Anno & die Mercurij ſupradictis.

AN. CHR. 1316.

ROBERTI Archiepiſcopi Remenſis.

Rogat Archiepiſcopos quoſdam & Epiſcopos aliarum Prouinciarum, vt Siluanectum

XXII. REVERENDIS in Chriſto Patribus Dominis Rotomagenſi, Senonenſi, Bituricenſi, Lugdunenſi, Archiepiſcopis; Pariſienſi, Aurelianenſi, Carnotenſi, Eduenſi, Lingonenſi, Meldenſi, Autiſiodorenſi, Niuernenſi,

Claromontenſi, Mimatenſi, Lemouicenſi, Bethlemitano, Bajocenſi, Lexouienſi, Conſtantienſi, Ebroïcenſi, Briocenſi, Maclouienſi, Cenomanenſi, Andegauenſi, Pictauenſi & Santonenſi, Epiſcopis: ROBERTVS permiſſione diuina Remenſis Archiepiſcopus ſalutem & ſinceram in Domino caritatem. Cùm noſtrum Prouinciale Concilium à nobis & quibuſdam Suffraganeis noſtris, ac nonnullis aliarum Prouinciarum Epiſcopis, pro cauſa venerabilis Fratris Petri Cathalaunenſis Epiſcopi, ſuffraganeorum, & aliorum Epiſcoporum conſenſu vnanimi, ex certis & euidentibus cauſis tunc imminentibus, vſque ad nuper præteritam quintam decimam diem præſentis menſis Maij prorogaſſemus; & quia ipsâ die quintâ decimâ, & alijs duabus ſequentibus diebus, Epiſcoporum numerum, qui juxta Canonicas ſanctiones neceſſariò requiritur in hac cauſa, non potuimus habere completum propter aliquorum veſtrûm, & ſuffraganeorum noſtrorum ad hoc conuocatorum abſentiam, & Canonicum impedimentum, virtute prædictæ prorogationis, iteratò dictam quintam decimam diem menſis Maij ad diem Lunæ poſt inſtans feſtum Beatæ Mariæ Magdalenæ apud Siluanectum eo jure, quo potuimus, continuauimus & aſſignauimus; ac dicto Epiſcopo Cathalaunenſi, & hujuſmodi negotio aſſiſtenti præſentibus coram vobis, eandem diem & dictum locum aſſignauimus, eoſdem ad hoc perſonaliter citantes ad procedendum in hujuſmodi negotio ſecundum anteacta & agenda, vt jus erit; prout in proceſſu ſuper hoc confecto hæc & alia pleniùs continentur: Paternitates veſtras, ne hujuſmodi cauſa deſerta remaneat, vel forſitan indiſcuſſa, in juris ſubſidium requirimus & rogamus, quatenus dictis die & loco cum diebus ſequentibus ad hoc neceſſarijs, quandiu dicto negotio fuerit inſiſtendum, in eodem Concilio nobiſcum, & cum Suffraganeis noſtris, quos ob hanc cauſam citari decreuimus ac etiam conuocari, perſonaliter intereſſe curetis ad reſumendam dictam cauſam & proceſſum eius ſecundum retroacta, & agenda, & ad procedendum vlteriùs juſtitia mediante. In ſignum receptionis harum literarum noſtrarum ſigilla veſtra præſentibus apponatis. Datum ſub ſigillo noſtro,

petant, diſcutiendi gratiâ cauſam Epiſcopi Cataluanenſis.

Anno Domini MCCCXVI. die Lunæ ante Aſcenſionem Domini.

Pendent è tabulis ſigilla Archiepiſcoporum Rotomagenſis, Senonenſis; Epiſcoporum Carnotenſis, Eduenſis, Lingonenſis, Meldenſis, Autiſſiodorenſis, Niuernenſis, Claromontenſis, Mimatenſis, Lemouicenſis, Bethlemitani, Bajocenſis, Conſtantienſis, Ebroïcenſis, Briocenſis, Maclouienſis, Cenomanenſis. Perierunt tantummodò ſigilla duorum Epiſcoporum.

ÆGIDII Archiepiſcopi Rotomagenſis

LVDOVICO Regi.

Certas ob cauſas Regi notas Concilio Siluanectenſi intereſſe recuſat.

XXIII. SERENISSIMO Principi Domino ſuo cariſſimo, Domino LVDOVICO Dei gratiâ Francorum & Nauarræ Regi Illuſtri, Capellanus veſter ÆGIDIVS eiuſdem permiſſione Rotomagenſis Archiepiſcopus cum recommendatione ſe ipſum ad beneplacita veſtra paratum. Hac die Iouis poſt feſtum Pentecoſtes ſerenitatis Regiæ literas recepi, per quas me requiritis, ſicut nuper per quaſdam alias requirendum duxiſtis, vt die Lunæ poſt inſtans feſtum Beatæ Mariæ Magdalenæ apud Siluanectum pro cauſa Cathalaunenſis Epiſcopi intereſſe curarem. Verùm, Cariſſime Domine, ſcitis quòd diebus aſſignatis in dicto negotio non potui intereſſe propter cauſas ſecretas quæ non ſunt literis inſerendæ, quas in veſtri præſentia & Conſilij veſtri ſecretè apud nemus Viceniarum dixi alias, ſicut recordari poteſtis: nec aſſignandis diebus eſſe poſſem, nec potero aliquo modo propter cauſas eaſdem, niſi velim eſſe malus homo & præuaricator & id facere contra meam conſcientiam & honorem; quod non libenter facerem quouiſmodo; nec veſtra clementia, ſicut ſuppono, id vellet. Et ſub hac forma vobis reſcripſi per nuntium, qui dictas alias veſtras literas mihi nuper attulit, & literas Domini Archiepiſcopi Remenſis. In dierum longitudinem perſonam veſtram conſeruet Altiſſimus ſanam & incolumem felici regni ſui regimini cum augmento gratiæ & honoris. Datum Rungiaci die Iouis prædictâ poſt Veſperas.

CLEMENTIS Papæ VI.

JOANNÆ Reginæ Franciæ.

An. Chr. 1343. d. 18. Martij.

XXIV. Gratulabundus ſcribit Reginæ.

CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimæ in Chriſto filiæ IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia ſcimus te, Filia cariſſima, de proſpero ſtatu noſtro gaudere, ſcire beneuolentiam Regiam volumus, quòd licet ex incumbentibus varijs & diuerſis arduis negotijs ad Apoſtolicam ſedem inceſſanter confluentibus, curis continuis anxiemur; aſſiſtente nobis tamen diuina Clementia, corporali ſoſpitate lætamur: quod de te, Filia dilectiſſima, & cariſſimo in Chriſto Filio noſtro Philippo Rege Franciæ Illuſtri viro tuo, liberíſque Regijs, audire quàm plurimùm nos promptos, quantùm cum Deo poſſumus, ad tua & ipſorum commoda & honores delectat. Cæterùm tuam volumus celſitudinem non latere, quòd venerabiles Fratres noſtri Petrus Præneſtinus; & Anibaldus Tuſculanus Epiſcopi, de partibus Franciæ ad ſedem redeuntes prædictam: ac nobis, ac Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quæ geſta circa negotia, pro quibus miſſi fuerant, delectabiliter & plenariè in Conſiſtorio referentes, ad laudem & commendationem præfati Regis & tuam multa honorabilia, quæ lætificauerunt mentem noſtram non modicùm, relationi hujuſmodi adjecerunt. Rurſus pridem relatu quorumdam percepimus, quòd dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Maria, nata quondam Caroli Ducis Calabriæ, abſque amicorum conſilio matrimonium cum dilecto filio nobili viro Carolo Duce Duracij per verba de præſenti contraxit: an tamen ſit vera relatio hujuſmodi adhuc certitudinaliter ignoramus. Datum Auinioni quinto Calendas Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.

EIVSDEM.

IOANNÆ Reginæ Franciæ.

AN. CHR. 1347. d. 13. April.

Gratias agit Reginæ, quòd ipſa effecerit, vt ſententiam in Cardinales, ac eorum & Papæ familiares, qui beneficijs potiebantur, latam Rex abrogaret. Deinde agit de lite in Regem Angliæ mota.

XXV. CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Cariſſimæ in Chriſto filiæ IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtri Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Serenitatis tuæ, filia Cariſſima, literas læta manu recepimus, inter cætera continentes qualiter his, quæ dilectus filius Magiſter *Firminus de Coquerello* Decanus Eccleſiæ Pariſienſis, Cariſſimi in Chriſto filij noſtri *Philippi* Regis Franciæ Illuſtris ac tuus Conſiliarius, ſuper illis nouitatibus aduerſus Deum & libertatem Eccleſiaſticam per literas dicti Regis, neſcimus quorum minùs prouidis conſilijs, his diebus præteritis attentatis, tuæ Regiæ magnificentiæ pro parte noſtra expoſuit, intellectis: Tu filia benedictionis & gratiæ, apud Regem eundem ſuper reuocatione hujuſmodi attentatorum, eodem præſente Decano, precibus oportunis inſiſtens, tandem Rex ipſe præmiſſa quoad beneficia venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ac noſtrorum & ſuorum obſequentium & familiarium duxerat, inclinatus precibus hujuſmodi, reuocanda; quódque pro diuina reuerentia, honore Eccleſiæ, ac noſtri conſideratione, ſuper plena & integra reuocatione apud Regem ipſum inſiſtere intendebas. Nos igitur benignitatẽ tuam Regiam, quam erga Deum ſincera deuotione fulgentem, & ad Eccleſiam ſanctam ſuam eſſe propitiam, dum ſtatus nos haberet inferior, certâ probauimus experientiâ; & poſtquam ad ſummi Apoſtolatus apicem diuina miſeratio nos prouexit, euidentibus ſenſimus indicijs & ſentimus, cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino ſuper his commendamus. Sanè, Filia dilectiſſima, quia nouitates prædictæ aliàs inauditæ, ſi de illis ſcintilla remaneret aliqua, ſponſum eiuſdem Eccleſiæ Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM grauiter offenderent, & iram ipſius meritò prouocarent, ſaluti animæ dicti Regis ac celebritati ſui nominis & honoris, domúſque inclytæ Regiæ

Digitized by Google

Regiæ Franciæ obuia exiſterent, & alijs pernicioſa miniſtrarent exempla: Sublimitatem tuam rogamus, & in Domino attentiùs exhortamur, quatenus illius ſummi, & æterni Regis, qui opus perfectum diligit, & imperfectionem abhorret, te in hac parte filiam conſtituens ſpecialem, quod expediendum reſtat ſuper reuocatione attentatorum hujuſmodi, vt ad Dei & eiuſdem Eccleſiæ ſanctæ ſuæ honorem, Regis prædicti ſalutem, & dilatationem famæ ſuæ, plenum opus perfeciſſe læteris, apud Regem ipſum procures, ſicut ex tua oblatione benigna ſpem nobis dediſti, fauorabiliter expediri. In te quidem, prærariſſima Filia, illa Regina Eſter, quæ iniquum conſilium quod ad perdendum populum Dei Iſraël Rex Aſſuerus habuerat, imitari ſuis precibus promeruit in ſalutem, præfigurata in hoc caſu, non abſque magnæ laudis præconijs & meritorum cumulis poterit denotari. Nos autem venerabilibus Fratribus noſtris Paſtori Archiepiſcopo Ebredunenſi, & Guillelmo Epiſcopo Carnotenſi Apoſtolicę ſedis Nuntijs, quos propterea deſtinandos ad præfati Regis viri tui & tuam præſentiam prouidimus, expreſsè duximus injungendum, vt ad te recurrant principaliter, & juxta tui directionem conſilij habeant procedere in præmiſſis Scitura pro certo, filia prærariſſima, quòd per eos ad præſens non ſcribimus niſi caritatiuè & hortatoriè dicto Regi. Pro certo quidem tenuimus, cùm tenorem literarum nouitates prædictas continentium audiuimus, quòd ſi Rex ipſe contenta in eiſdem literis deliberatè ac pleniùs aduertiſſet, nullo modo eas permiſiſſet à ſua Curia emanare. Nihilominus confidentes quòd ipſe cùm ſuper hoc informatus exiſteret, nullatenus ſuſtineret quominus ad reuocationem procederet earundem; quódque talia, vel ſimilia ſic diuino & humano juri contraria non permitteret quomodolibet vlteriùs aduerſus Deum & ipſam Eccleſiam, & præſertim veſtris temporibus attentari.

Porrò ſuper his, quæ de faciendis proceſſibus contra Regem Angliæ nuper tua Excellentia nobis ſcripſit, breuiter reſpondemus, quòd amore pacis quam deſiderauimus & deſideramus feruentibus deſiderijs, & ne ipſius poſſet

impediri tractatus per Cardinales Nuntios à proceſſibus, prout nobis ſcripſerunt, ceſſatum extitit vſque modò. Nunc verò aliquos de nouo ordinari facimus diligenter: quibus breuiter ordinatis, illorum tibi mittemus copiam; & eos abſque cunctatione faciemus, nihil aliud expectando vlteriùs, expediri. Datum Auinioni Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri anno quinto.

An. Chr. 1351. d. 29. Aprilis.

EPISTOLÆ EIVSDEM CLEMENTIS Papæ VI. ad IOANNEM Regem Franc. & IOANNAM Reginam.

Seu

Priuilegia quædam Regibus Franc. impertita.

Quòd Rex & Regina in locis interdictis poſſunt facere celebrare.

XXVI Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimis in Chriſto filijs Ioanni Regi & Ioannæ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtrę ſinceritas promeretur, vt votis veſtris, his præſertim quæ ad veſtrarum animarum ſalutem valeant, quantum cum Deo poſſumus, fauorabiliter annuamus. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac veſtrum & eorum cuilibet, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, vt ſi forſan ad loca Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita vos contigerit declinare, liceat vobis & illis, in eis januis clauſis, excommunicatis & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, etiam alta voce Miſſam & alia diuina Officia in veſtra & familiarium veſtrorum, ac vos ſequentium perſonarum præſentia facere celebrare; dummodò vos vel illi cauſam non dederitis interdicto, nec id vobis, vel illis contigerit ſpeciatim interdici. Nulli ergo omnino

Digitized by Google

hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auinioni tertio Kal. Maij, Pontificatus noſtri anno nono.

EIVSDEM.

AN. CHR. 1351. d. 20. Aprilis.

Quòd poſſunt eligere Confeſſorem.

XXVII. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Benigno ſunt illa vobis concedenda fauore, per quæ, ſicut piè deſiderare videmini, conſcientiæ pacem, & ſalutem animæ, Deo propitio, conſequi valeatis. Hinc eſt quòd nos veſtris deuotis ſupplicationibus inclinati, vobis, & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac veſtrum & eorum cuilibet, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium in perpetuum indulgemus, vt veſtrum, & eorum quilibet aliquem idoneum & diſcretum Preſbyterum in ſuum poſſit eligere Confeſſorem, qui quotiens vobis & ſucceſſoribus veſtris opportunum fuerit, confeſſionibus veſtris, & eorum diligenter auditis, pro commiſſis vobis, & eis debitam abſolutionem impendat, & injungat pœnitentiam ſalutarem, etiamſi forſan talia fuerint propter quæ Sedes Apoſtolica ſit meritò conſulenda. Nulli ergo, &c. Si quis, &c. Datum duodecimo Calend. Maij, anno nono.

EIVSDEM.

AN. CHR. 1351. d. 20. Aprilis.

Quòd Confeſſor poteſt mutare vota, & juramenta eorum.

XXVIII. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Fran-

ciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Votis veſtris libenter annuimus, ijs præcipuè per quæ, ſicut piè deſideratis, pacem, & ſalutem animæ, Deo propitio conſequi valeatis. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis, & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac veſtrum, & eorum cuilibet, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium in perpetuum indulgemus; vt Confeſſor Religioſus, vel ſecularis, quem veſtrum & eorum quilibet duxerit eligendum, vota per vos forſitan jam emiſſa, ac per vos, & ſucceſſores veſtros in poſterum emittenda, vltramarino, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac caſtitatis & continentiæ votis duntaxat exceptis; necnon juramenta per vos præſtita, & per vos & eos prę ſtanda in poſterum, quæ vos & illi ſeruare commodè non poſſetis, vobis & eis commutare valeat in alia opera pietatis, prout ſecundùm Deum, & animarum veſtrarum, & eorum ſaluti viderit expedire. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum Auinioni XII. Calend. Maij, anno nono.

EIVSDEM.

Quòd Confeſſor in exercitu poteſt dare licentiam veſcendi carnibus.

XXIX. CLEMENS, &c. Cariſſimo in Chriſto filio IOANNI Regi Francię Illuſtri, Salutẽ & Apoſtolicam benedictionem. Prouenit ex tuæ deuotionis affectu, quo nos & Romanam Eccleſiam reuereris, vt petitionibus tuis, quantùm cum Deo poſſumus, fauorabiliter annuamus. Cùm itaque ex tenore tuæ petitionis nobis exhibitæ nunc accepimus pro guerris imminentibus ſæpe contingat ad loca, quæ non multùm abundant piſcibus, te cum tuo exercitu declinare, nos tuis ſupplicationibus inclinati, vt Confeſſor tuus, & ſucceſſorum tuorum Regum Francię, qui pro tempore fuerint, quem tu vel illi duxeris eligendum, tibi & eis, ac tuis, & illorum familiaribus, & omnibus alijs qui tecum, & cum eis in eiſdem guerris fuerint,

veſcendi carnibus, quandiu in hujuſmodi guerris fueritis, tu & illi, etiam diebus quibus earum eſus à ſacris Canonibus eſt communiter interdictus, ſextis Ferijs, ac Quadrageſimâ; nec non Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis, Beatæ MARIÆ Virginis, & Beatorum Ioannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum, ac Laurentij Martyris, & ſolemnitatibus Omnium Sanctorum, Vigilijs duntaxat exceptis, dum modò tu vel illi juramento vel voto ad abſtinentiam eius hujuſmodi diebus illis aliàs non ſitis adſtricti; licentiam auctoritate Apoſtolica concedere valeat, cùm id Confeſſor hoc probabiliter expedire viderit; ſui ergo ipſius conſcientiam oneramus: quibuſcunque ſtatutis & conſuetudinibus ac conſtitutionibus & priuilegijs Apoſtolicis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tibi, & eiſdem ſucceſſoribus, indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum Auinioni, anno nono.

EIVSDEM.

Quòd Confeſſor diſpenſare poteſt de jejunijs, &c. de conſilio Medicorum, de abſtinentia carnium.

XXX. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtræ ſinceritas promeretur, vt votis veſtris, quantùm cum Deo poſſumus, fauorabiliter annuamus. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis, & ſucceſſoribus Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, ac veſtrum, & eorum cuilibet, auctoritate præſentium indulgemus, vt Confeſſor idoneus Religioſus, vel ſecularis, quem quilibet veſtrum habet, vel vos, & eos impoſterum habere contigerit, vobiſcum, & cum eis, vt diebus quibus jejunia per Eccleſiam inſtituta ſunt, jejunare minimè teneamini: ac etiam prædictis, & alijs diebus, quibus eſus carnium eſt prohibitus de conſuetudine, vel de jure, carnibus veſci poſſitis, de conſilio tamen Medicorum, quotiens Confeſſor, & Medici prædicti hoc vobis, & eis

videbitur expedire. Quorum videlicet Confeſſoris & Medicorum conſcientias oneramus: Conſtitutionibus Apoſtolicis contrarijs nequaquam obſtantibus, auctoritate noſtra valeat diſpenſare. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſuprà.*

EIVSDEM.

Quòd Rex ingredi poteſt Monaſterium incluſarum.

XXXI. CLEMENS, &c. Cariſſimo in Chriſto filio IOANNI Regi Franciæ Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ deuotionis ſinceritas, quam ad nos & Romanam geris Eccleſiam, promeretur, vt quæ à nobis ſuppliciter poſtulas affectu tibi beneuolo concedamus. Hinc eſt quod nos ſupplicationibus tuis inclinati, tibi, & ſucceſſoribus tuis Regibus Franciæ, qui fuerint pro tempore, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, vt quotieſcunque tu, & dicti ſucceſſores, volueritis pro ſpirituali conſolatione veſtra cum quibuſcunque perſonis maturis & honeſtis, quas ad hoc duxeritis eligendas, Monaſteria Religioſorum, & Religioſarum, etiam incluſarum, quorumcunque Ordinum exiſtant, quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis ac Statutis, Conſuetudinibus Monaſteriorum & Ordinum prædictorum contrarijs, nequaquam obſtantibus, liberè ingredi, ac inibi comedere & bibere, ac in eiſdem Monaſterijs Religioſorum pernoctare licitè valeatis, dummodò ad id accedat aſſenſus eorum, vel earum, qui, vel quæ Monaſterijs ipſis præſunt. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſuprà.*

EIVSDEM.

Quòd Rex poſſit facere celebrare ſuper Altare portatile in præſentia ſui, & gentium exercitus ſui.

XXXII CLEMENS, &c. Cariſſimo in Chriſto filio IOANNI Regi Franciæ Illuſtri, Salutem &

Digitized by Google

Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ deuotionis ſinceritas, quam ad nos & Romanam geris Eccleſiam, promeretur vt petitionibus tuis, illis præſertim quas ex deuotionis feruore prodire conſpicimus, quantùm cum Deo poſſumus, fauorabiliter annuamus. Hinc eſt quòd nos tuis deuotis ſupplicationibus inclinati, vt liceat tibi, & ſucceſſoribus tuis Regibus Franciæ, qui pro tempore fuerint, habere Altare portatile cum debita reuerentia & honore, ſuper quo quotieſcunque pro gubernatione & defenſione Regni tui Franciæ te, & illos, perſonaliter eſſe contigerit in expeditione guerrarum, in tentorijs veſtris, in locis tamen aliàs congruentibus & honeſtis, poſſitis per proprios, vel alios Sacerdotes idoneos, Regulares vel ſeculares, Miſſam, ac alia diuina Officia, ſine juris alieni præjudicio, in tua & gentium tui exercitus & eorum præſentia facere celebrare, tibi, & eiſdem ſucceſſoribus tuis in perpetuum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd Prælatus celebrans coram Rege, ſeu Regina, conferre poteſt vnum annum & quadraginta dies Indulgentiæ.

XXXIII. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Vt erga Deum & ſedem Apoſtolicam eò ampliùs veſtræ creſcat deuotionis affectus, quo ſedem ipſam benigniorem in veſtris opportunitatibus vos ſenſeritis inueniſſe. Deuotionis veſtræ precibus inclinati, vt quotieſcunque aliquem Prælatum in Pontificalibus ſolemniter in veſtra, & ſucceſſorum veſtrorum Regum, & Reginarum Franciæ, qui pro tempore fuerint, & cujuſlibet, & veſtrum, & illorum præſentiâ Miſſam contigerit celebrare; idem Prælatus vobis, & eis, ac omnibus ibidem aſtantibus Miſ-

ſam hanc deuotè audientibus, verè pœnitentibus & confeſſis vnum annum & quadraginta dies de injunctis, vobis & eis, pœnitentijs auctoritate Apoſtolica relaxare valeat, vobis & eiſdem ſucceſſoribus in perpetuum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd Confeſſor Regis & Reginæ, eis ſemel in mortis articulo, & quotieſcunque pro Regni defenſione imminet periculum, plenam remiſſionem peccatorum indulgere poſſit.

XXXIV. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Deuotionis veſtræ ſinceritas, quam ad Deum & Eccleſiam Romanam geſſiſſe hactenus & gerere comprobamini, meritò nos inducit, vt veſtris petitionibus, illis præſertim quæ deuotionis augmentum, & animarum veſtrarum ſalutem reſpiciunt, quantùm cum Deo poſſumus, fauorabiliter annuamus. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, vobis, & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, & veſtrum & eorum cuilibet auctoritate præſentium indulgemus: vt Confeſſor, quem veſtrum & eorum quilibet duxerit eligendum, omnium peccatorum veſtrorum & ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fueritis, plenam remiſſionem vobis, in ſinceritate fidei & vnitate Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & deuotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtentibus, ſemel in mortis articulo & etiam quoties pro Regni veſtri defenſione imminere vobis, & eis mortis periculum veriſimiliter formidabunt, auctoritate Apoſtolica concedere valeat: ſic tamen quòd idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio facienda, eam vobis, & eis per vos; vel

Digitized by Google

vel per ipſos, ſi ſuperuixeritis; vel per hæredes veſtros, & eorum, ſi tunc vos & illi fortè tranſieritis, faciendam injungat, quam vos, vel illi facere teneamini, vt præfertur. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam reddamini procliuiores ad illicita in poſterum admittenda, volumus quòd ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua fortè committeretis, quòd ad illa prædicta remiſſio vobis & alijs nullatenus ſuffragetur. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd Rex & Regina, eorúmque liberi, ſub patria poteſtate exiſtentes non poſſunt excommunicari, aut interdici ab aliquo.

XXXV. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ob veſtrorum exigentia meritorum, quibus vos largitor bonorum omnium inſigniuit, libenter illa vobis concedimus, per quæ non ſolùm veſter, ſed & ſucceſſorum veſtrorum ſtatus tranquillo pacis munimine fulciatur. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, vt nullus in veſtras, & ſucceſſorum veſtrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, & veſtrorum & eorum natorum, exiſtentium ſub patria tamen poteſtate, perſonas excommunicationis aut interdicti ſententias promulgare, aut vobis ſeu ipſis ingreſſum Eccleſiæ interdicere valeat abſque Sedis Apoſtolicæ ſpeciali mandato, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de hac indulgentia mentionem, vobis & eiſdem ſucceſſoribus in perpetuum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd Rex & Regina poſsunt facere celebrare ante diem circa diurnam lucem, & altâ voce, cùm qualitas negotiorum exigit, parcè tamen vtendo.

XXXVI. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Sinceræ deuotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur vt votis veſtris fauorabiliter annuamus; illis præſertim per quæ, ſicut piè deſideratis, diuinis Officijs intenti exiſtatis, & ſpiritualis ſalutis vobis proueniat incrementum. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vt Miſſam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, cùm qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, liceat vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac veſtrum & eorum cuilibet per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum in veſtra, & eorum præſentia, etiam altâ voce facere celebrari; ita quòd id nec vobis, nec illis, aut Sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari; vobis, & eiſdem ſucceſſoribus veſtris in perpetuum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ſpeciali gratiâ indulgemus: prouiſo quòd parcè hujuſmodi conceſſione vtamini, quia cùm in Altaris Officio immoletur Dominus noſter Dei Filius IESVS CHRISTVS, qui candor eſt lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, ſed in luce. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd Clerici Jurati, & familiares Regis & Reginæ non poſsunt propter participationem cum excommunicatis excommunicari majori excommunicatione, niſi communicent in crimine criminoſis.

XXXVII CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Progenitorum veſtrorum, qui fide præclari & deuotione ſinceri fuerunt orthodoxæ fidei & libertatis Eccleſiaſticæ præcipui defenſores, memoriam recolentes; & intuentes quòd in his veſtigia imitamini eorundem, libenter veſtris votis annuimus, & vos in deſiderijs quantum cum Deo poſſumus præuenimus. Cùm igitur, ſicut ex parte veſtra noſtris eſt auribus intimatum, nonnulli Prælati Regni Franciæ, & eorum Officiales, & Iudices à Sede Apoſtolica, & à Legatis ipſius delegati, & executores hujuſmodi perſonarum, cùm aliquos ſibi obedire nolentes vinculo excommunicationis aſtringunt, in participantes excommunicatis hujuſmodi non ſolùm in crimine, ſed alio modo, excommunicationis & interdicti præſumunt ſententias promulgare: veſtris precibus inclinati auctoritate Apoſtolica vobis, & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, tenore præſentium indulgemus, vt ſi quando veſtros, & dictorum Regum & Reginarum Capellanos, & Clericos juratos ad veſtram & eorum familiam, hujuſmodi excommunicatis communicare contingat, propter hoc majoris excommunicationis laqueo, vel etiam interdicto nequaquam ligari poſſint, dummodò non communicent in crimine criminoſis. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd Rectores Eccleſiarum, ad quos Rex & Regina declinant, poſsunt Sacramenta eorum familiaribus miniſtrare.

XXXVIII. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ deuotionis affectus, quem ad nos & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur; vt in his quæ perſonarum vobis obſequentium animarum ſalutem reſpiciunt, votis veſtris quantum cum Deo poſſumus fauorabiliter annuamus. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vt Parochialium Eccleſiarum, ad quarum Parochias vos, & ſucceſſores veſtros Reges & Reginas Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac veſtrum, & eorum quemlibet, cum gentibus & familiaribus veſtris, & ſuis contigerit declinare, Rectores, vel eorum locum tenentes, gentibus & familiaribus ipſis, quoties expedierit, miniſtrare valeant Eccleſiaſtica Sacramenta, quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Statutis Synodalibus, aut alijs contrarijs nequaquam obſtantibus, jure Eccleſiæ cujuslibet alterius ſemper ſaluo: Vobis, & eiſdem ſucceſſoribus, auctoritate præſentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd orantibus pro Rege & Reginâ centum dies de injunctis pœnitentijs qualibet die relaxantur.

XXXIX. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Sinceritatis veſtræ vota ſi præclaris poſſe effectibus adjuuari promerentur deuotis & pijs Chriſticolarum interceſſio-

Digitized by Google

nibus apud omnium bonorum largitorem ; vt igitur, eorum adjuti ſuffragijs, hujuſmodi interceſſionum effectum multiplicatis interceſſionibus faciliùs conſequi valeatis: Nos conſiderantes veſtræ deuotionis affectum, quem ad nos & ad Romanam geritis Eccleſiam, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui deuotis orationibus pro ſingulis veſtrum, & ſucceſſorum veſtrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, quandiu vos & illi vixeritis, pro incolumitate veſtra, & poſt veſtrum & illorum deceſſum, pro veſtrarum & illorum animarum ſalute diuinam miſericordiam implorabunt, ſingulis diebus, quibus apud Deum hujuſmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, centum dies de injunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd eligere poſsunt Confeſsorem, qui eos abſoluant ſi excommunicationis ſententiam inucurrerint propter manuum injectionem in Clericos.

XL CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Veſtræ deuotionis ſinceritas, quam ad nos & Romanam Eccleſiam geritis, promeretur, vt deſiderijs veſtris, in his potiſſimè quæ animarum veſtrarum ſalutem reſpiciunt, opportunis fauoribus annuamus. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ qui fuerint pro tempore, ac veſtrum & eorum cuilibet, aliquem diſcretum & idoneum Preſbyterum, Religioſum vel Secularem, in veſtrum & eorum poſſitis eligere Confeſſorem, qui vos & eos à ſententia excommunicationis, ſi quam vos & ipſos contigerit incurrere propter manuum injectionem in Clericos & perſonas Eccleſiaſticas, etiam vſque ad effuſionem ſanguinis incluſiuè, citra tamen mortem vel membri mutilationem, auctoritate noſtra juxta

formam Eccleſiæ abſoluere valeat, injunctis vobis & eis ſuper his pœnitentia ſalutari, & alijs quæ de jure fuerint injungenda. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd nemo poteſt in terram Regis & Reginæ interdicti ſententiam promulgare abſque auctoritate Apoſtolica.

XLI. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Illo caritatis affectu Regalem excellentiam amplexamur, & ſic vos tanquam ſpeciales & deuotos Eccleſiæ Romanæ filios ſincero corde diligimus, vt votis veſtris fauorabiliter annuentes, petitiones Regias (quantum cum Deo poſſumus) ad exaditionis gratiam admittamus. Hinc eſt quòd nos veſtris deuotis ſupplicationibus benignum impertientes aſſenſum, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, vt nullus poſſit in terram veſtram, & eorum interdicti ſententiam promulgare abſque mandato vel licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali: volumus tamen conceſſionem noſtram hujuſmodi ad terras Baronum, & aliorum, quæ à Rege Franciæ, qui eſt & qui erit pro tempore, tenentur aut tenebuntur in feudum, & ad terras quas Reginæ Franciæ pro tempore exiſtentes habent, & habituræ ſunt de patrimonio proprio, aut aliàs; niſi forſan peruenerint ad eaſdem aut causâ donationis propter nuptias, aut dotalitij ratione, aliquatenus non extendi: diſtrictiùs inhibentes, ne ſi aliqui forſan contra conceſſionem hujuſmodi venientes in hujuſmodi veſtras, aut eorundem ſucceſſorum terras, interdicti ſententiam promulgarent, occaſione promulgationis hujuſmodi quouis pallio ſeu colore quæſito, per Curiam Regiam trahantur in cauſam, aut emenda propter ea ab eis aliqua exigatur. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

Digitized by Google

EIVSDEM.

Quòd non teneantur ad reſtitutionem bonorum, niſi his qui ad notitiam eorum venerint, ſed eleemoſynis compenſanda.

XLII. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm in vobis ſalutem hominis vtriúſque ſexus totis deſiderijs affectemus, nos volentes conſcientiæ veſtræ ſuper reſtitutione bonorum (ſi quæ ad vos ex progenitorum veſtrorum ſucceſſione, vel aliàs fortè peruenerit) faciendâ his quorum ſunt, (licet, ſicut aſſeritis, neſciatis ad reſtitutionem aliquam bonorum hujuſmodi aliquibus vos teneri) paternâ diligentiâ prouidere: vobis, & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ qui pro tempore fuerint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, vt eleëmoſynæ, quas vos & illi facitis, & facietis in futurum, cedant loco reſtitutionis dictorum bonorum. Veruntamen ſcire vos volumus, quòd ſi vobis conſtiterit vos teneri ad reſtitutionem bonorum talium; & perſonas, quibus reſtitutio fieri debeat, ad veſtram notitiam peruenire contingat, vos ipſis bona eadem reſtituere nihilominus oportebit. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Quòd poſsint eligere Confeſſarium, qui illis, & militibus, indulgentiam, auditis Confeſſionibus, valeat impertire.

XLIII. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Benigno ſunt vobis illa concedenda fauore, per quæ, ſicut piè deſideratis, vobis obſequentes animarum ſuarum ſalu-

tem Deo propitio conſequentur. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac veſtrum & eorum cuilibet, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium in perpetuum indulgemus; vt quotieſcunque in guerris vnà cum veſtro & eorum exercitu, vos & illos contigerit intereſſe, Confeſſor ſecularis vel regularis, quem quilibet veſtrum & eorum duxerit eligendum; vel eius ſocius; aut veſtræ aut illorum Capellæ principalior Capellanus; ſeu ille vel illi Sacerdotes idonei, quos ipſi vel eorum alter ad hoc duxerint deputandos: quoties fuerit opportunum omnium de exercitu, & in ſeruitijs veſtris exiſtentium, confeſſiones diligenter audire, eiſque de commiſſis abſolutionem impendere, & injungere pœnitentias ſalutares: (niſi forſan talia fuerint, propter quæ ſit Sedes Apoſtolica meritò conſulenda) eiſque miniſtrare valeat Eccleſiaſtica Sacramenta; felicis recordationis Clementis Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, & quibuslibet alijs Conſuetudinibus Apoſtolicis contrarijs nequaquam obſtantibus: Iure Parochialium Eccleſiarum, & cuiuslibet alterius, in omnibus ſemper ſaluo. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupr.s.*

EIVSDEM.

Nulli liceat Capellas Regias interdicto ſupponere.

XLIV. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Illa filialis deuotio, & dilectio ſingularis, quam claræ memoriæ progenitores veſtri circa prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices & Romanam Eccleſiam habuerunt, & in qua vos illis velut hæredes legitimi hæreditario jure ſucceditis, nos in eo conſtituit propoſito voluntatis, vt in his quæ à nobis veſtra Celſitudo Regia duxerit poſtulanda, fauorem velimus vobis Apoſtolicum impertiri. Ea propter veſtris deuotis precibus benignum impertientes aſſenſum, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium firmiter inhibemus,

mus, vt nulli liceat Capellas veſtras, & ſucceſſorum veſtrorum Regum, & Reginarum Franciæ, qui pro tempore fuerint, & cujuſlibet veſtrum, & eorum in perpetuum, Eccleſiaſtico ſupponere interdicto, niſi de licentia Sedis Apoſtolicæ ſpecialj. Volumus autem quòd inhibitio noſtra hujuſmodi ad illas duntaxat Capellas Reginarum Franciæ, quæ ſunt & erunt pro tempore, extendatur, quæ conſiſtunt & conſiſtent in terris quas dictæ Reginæ habent & habituræ ſunt tantummodò, aut cauſa donationis factæ, vel ipſis faciendæ propter nuptias, aut dotalitij ratione. Diſtrictiùs inhibentes ne ſi aliqui forſan contra Conceſſionem hujuſmodi venientes, in hujuſmodi veſtras & eorundem ſucceſſorum Capellas interdicti ſententiam promulgarent, occaſione promulgationis hujuſmodi, quouis pallio ſeu colore quæſito, per Curiam Regiam trahantur in cauſa, aut emenda propterea ab eis aliqua exigatur: Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſuprà.*

EIVSDEM.

Indulgentia conceditur vnius anni & 40. dierum quando dedicationi vel conſecrationi Eccleſiæ intereſſe contigerit.

XLV. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ charitatis zelus, quam ad vos & veſtram Domum inclytam gerimus, noſtrum inſtanter ſollicitat animum, vt vos & illam prælucidis meritorum titulis inſignitos, prærogatiua fauoris & gratiæ proſequentes, circa ea nos faciles & beneuolos impendamus, per quæ vobis & eis, Domini fauente clementiâ, honoris & exaltationis grande proueniat incrementum. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, quotieſcunque vos & ſucceſſores veſtros Reges & Reginas Franciæ, qui pro tempore fuerint, & quilibet veſtrum & eorum, ad alicuius Eccleſiæ vel Capellæ dedica-

tionem vel conſecrationem ire vel intereſſe ibidem contigerit, vobis & eis, ac obtentu veſtro & eorum, omnibus alijs verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad eandem Eccleſiam vel Capellam cauſa deuotionis acceſſerint, illa die de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, vnum annum & quadraginta dies de injunctis vobis & eis pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſuprà.*

EIVSDEM.

Prædicator qui coram Rege & Regina verbum Dei proponit, poteſt audientibus vnum annum & 40. dies de pœnitentijs injunctis relaxare.

XLVI. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Conſideratione ſalutaris veſtræ affectionis inducimur: vt in his, quæ tam vobis, quàm alijs ad ſalutem proſequimini, admitti de benignitate Sedis Apoſtolicæ debeatis. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, vt quotieſcunque diebus & feſtis præcipuis, in quibus ſecundum vſum Regum Franciæ conſuetum eſt coram ipſis prædicare, & proponere Verbum Dei, coram ipſis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, & quolibet eorum infra Miſſarum ſolemnia prædicari, & ipſum proponi contigerit; tam vobis, quàm omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui vobiſcum ibidem interfuerint, ipſúmque verbum audierint reuerenter, vnum annum & quadraginta dies de injunctis vobis & eis pœnitentijs, idem proponens miſericorditer relaxare valeat, auctoritate Apoſtolica vobis & eiſdem ſucceſſoribus in perpetuum tenore præſentium indulgemus. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

Digitized by Google

EIVSDEM.

Eſus carnium permittitur Religioſo Regis ac Reginæ Confeſſario, diebus ab Eccleſia non prohibitis.

XLVII. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Vota veſtra perpetuò paterna proſequentes in Domino caritate, eis libenter annuimus, in illis præſertim quæ ex affectu veſtræ deuotionis procedere dignoſcimus. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac veſtrum & eorum cuilibet, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, vt Confeſſor Religioſus quem nunc habetis, ac vos & illi habebitis in poſterum, eiúſque ſocij, veſtris aut obſequijs eorum inſiſtendo, quibus eſſet eſus carnium ſecundum ſtatuta ſui Ordinis interdictus, licitè poſſint in veſtra comitiua veſci carnibus, illis diebus quibus à ſacris Canonibus eſus hujuſmodi minimè prohibetur; ac idem Confeſſor Fratribus & Religioſis ad hoſpitium veſtrum declinantibus, quibus ſimiliter eſt eſus hujuſmodi interdictus, veſcendi carnibus in dicto hoſpitio diebus prædictis duntaxat; ac loquendi in menſa, auctoritate noſtra licentiam valeat elargiri. Conſtitutionibus, prohibitionibus, ordinationibus, obſeruantijs, & ſtatutis quoruncunque ordinum contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſupra.*

EIVSDEM.

Sequentes Curiam Regiam cenſentur eſſe in ſua Eccleſia Parochiali quoad Sacramentorum adminiſtrationem.

XLVIII. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi & IOANNÆ Reginæ Franciæ

Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Etſi quælibet vota veſtra Regia libenter fauore Apoſtolico proſequamur, promptiùs tamen eis annuimus quæ veſtrorum & veſtrarum etiam ſalutem reſpiciunt animarum. Cùm itaque, ſicut petitio pro parte veſtra nobis exhibita continebat, vobiſcum veſtrâ Curiâ ad diuerſa loca & diœceſes multoties declinante, ſuper confeſſionibus, & Sacramentorum Eccleſiaſticorum miniſtratione pericula, & dubia, & tædia multa inter Curiam ipſam ſequentes, & Rectores Eccleſiarum, ad quos ſic eos declinare contingit, inſurgant; nobis humiliter ſupplicaſtis, vt prouidere vobis & eidem Curiæ ſuper hoc paternâ diligentiâ curaremus. Nos igitur periculis & dubijs ac tædijs hujuſmodi paternâ ſollicitudine obuiantes, veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus, vt eandem veſtram ac ſucceſſorum veſtrorum Curiam ſequentes quoad Eccleſiaſtica Sacramenta, in cauſa neceſſitatis duntaxat, perinde ſint & cenſeantur Diœceſano loci, & Rectori Parochialis Eccleſiæ, ad quem ſeu quam eos, vos & illos ac eandem Curiam ſequendo, declinare continget, quandiu ibi manebunt (in omnibus ſaluo aliarum Parochialium Eccleſiarum jure) ſubjecti, quacunque Conſtitutione contraria non obſtante, ac ſi de locis ipſis exiſterent oriundi. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſuprà.*

EIVSDEM.

Omnibus Curiæ Regiæ licentiam eligendi ſibi quem voluerint Confeſſarium dat facultatem.

XLIX. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ deuotionis ſinceritas, qua Deum & Romanam Eccleſiam reueremini, promeretur, vt in his, &c. quæ perſonarum vobis obſequentium animarum ſalutem con-

Digitized by Google

tingunt, petitionibus veſtris fauorabiliter annuamus. Veſtris itaque ſupplicationibus inclinati, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui pro tempore fuerint, ac veſtrum & eorum quilibet, auctoritate præſentium indulgemus, vt veſtrum & ſucceſſorum ipſorum cujuſlibet Confeſſor; aut eius ſocius ſecularis vel regularis; vel veſtræ, vel eorum Capellæ principalis Capellanus, omnium & ſingulorum veſtrorum & ſuorum familiarium domeſticorum confeſſiones audire; ac illos à peccatis omnibus, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, (præterquàm in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis) juxta Eccleſiæ formam abſoluere, injunctâ ſibi pro illis pœnitentia ſalutari; nec non Euchariſtiæ ac alia Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare valeat, felicis recordationis Clementis Papæ V. prædeceſſoris noſtri; & qualibet alia, Conſtitutionibus contrarijs nequaquam obſtantibus, jure Eccleſiæ Parochialis in omnibus ſemper ſaluo. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſuprà.*

EIVSDEM.

Clerici Regis & Reginæ poſſunt à quocumque Epiſcopo Ordines ſuſcipere.

L. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Vt erga Sedem Apoſtolicam eò ampliùs veſtræ creſcat deuotionis affectus, quò eam vobis ſenſeritis magis propitiam & benignam, Veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ, qui fuerint pro tempore, ac veſtrum & eorum cuilibet, tenore præſentium indulgemus, vt Clerici & Capellani veſtræ & eorum propriæ Capellæ, ac alij veſtri & eorum familiares & domeſtici Clerici, præſentes & poſteri, veſtris & eorum obſequijs inſiſtentes, omnes minores & ſacros Ordines à quibuſcunque Archiepiſcopis vel Epiſcopis Catholicis gratiam & communionem dictæ ſedis habentibus, temporibus

à jure ſtatutis, licitè recipere : quódque hi Archiepiſcopi vel Epiſcopi eis & eorum cuilibet, dictos Ordines auctoritate noſtra conferre liberè valeant, dummodò ſint ad hoc idonei, & aliud Canonicum non obſiſtat, Conſtitutionibus, vel ſtatutis in contrarium editis, non obſtantibus quibuſcunque. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſuprà.*

EIVSDEM.

Clericis, Capellanis etiam Religioſis, commenſalibus Regis ac Reginæ, permittitur recitare diuinum officium ad vſum Eccleſiæ Pariſienſis.

LI. CLEMENS, &c. Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Sinceræ deuotionis affectus, quam ad nos & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur vt petitiones veſtras, quantùm cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vt veſtri, & ſucceſſorum veſtrorum Regum & Reginarum Franciæ qui pro tempore fuerint, Capellani ac Clerici commenſales, etiam Religioſi cujuſcunque Ordinis ſint, quandiu veſtris & eorum inſiſtent obſequijs, & non vltrà, poſſint diuina Officia dicere & celebrare ſecundum morem & vſum Eccleſiæ Pariſienſis, vel coram Regibus Franciæ qui fuerint pro tempore, aut eorum liberis, hactenus obſeruatos : nec interim ad alia dicenda ſeu celebranda Officia ſecundum aliquarum aliarum Eccleſiarum conſuetudinem, in quibus etiam obtinent beneficia, teneantur; neque ad id à quocunque compelli poſſint inuiti (niſi forſan eſſent per plures dies in aliqua Eccleſiarum ipſarum in quibus beneficia, vt præmittitur, obtinent, reſidentes) Conſtitutionibus ac ſtatutis Eccleſiarum ipſarum contrarijs non obſtantibus quibuſcunque : Vobis, & eiſdem ſucceſſoribus veſtris in perpetuum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus : prouiſo quòd dicti Capellani & Clerici conſuetudinem earundem Eccleſiarum in quibus, vt præmit-

Digitized by Google

titur, beneficia obtinent, in dicendis Horis hujuſmodi obſeruare ſtudeant, quotieſcunque ipſos in eiſdem Eccleſijs hujuſmodi Horis Canonicis contigerit, vt præmittitur, intereſſe. Nulli, &c. Si quis, &c. Datum, *vt ſuprà.*

EIVSDEM.

Indulgentiam centum dierum concedit omnibus Regni Franciæ incolis, qui pro Pace orauerint. An. Chr. 1344. d. 5. Iunij.

LII. CLEMENS, &c. Vniuerſis Chriſti Fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cupientes vt Regnum Franciæ, à quo originem traximus, & ipſius Regnicolæ in vera pacis tranquillitate lætentur; ac ſperantes in Domino, qui eſt vera pax, quòd ſublatis diſſidiorum incommodis, aſſiduis pulſatus Fidelium deprecationibus, pacem dabit. Vt Fideles ipſi eò deuotiùs pro pace hujuſmodi intercedant, quò ex hoc dono cœleſtis gratiæ conſpexerint ſe refertos: omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui deuotis orationibus pro bona pace dicti Regni diuinam miſericordiam implorabunt, ſingulis diebus quibus apud Deum hujuſmodi orationes effuderint, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, centum dies de injunctis eis pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Datum Auinioni Nonis Iunij, Pontificatus noſtri anno tertio.

EIVSDEM.

Quòd Beneficiarij addicti obſequijs Regis ac Reginæ, ad reſidentiam non teneantur, beneficiorum tamen prouentus percipiant.

LIII. CLEMENS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimis in Chriſto filijs IOANNI Regi, & IOANNÆ Reginæ Franciæ Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ deuotionis ſinceritas, quam ad nos &

Romanam geritis Eccleſiam, ſublimiſque ſtatus veſtri eminentia promerẽtur, vt illâ vos gratiâ fauorabiliter proſequamur, quæ perſonis vobis obſequentibus exiſtere valeat fructuoſa. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis & ſucceſſoribus veſtris Regibus & Reginis Franciæ qui fuerint pro tempore, ac veſtrum & eorum cuilibet, auctoritate præſentium in perpetuum indulgemus; vt veſtri & ſucceſſorum ipſorum omnes Capellani & Clerici præſentes & poſteri, veſtris & eorum obſequijs inſiſtentes, fructus, redditus & prouentus omnium beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, etiamſi dignitates, perſonatus, vel officia fuerint, & curam habeant animarum; (etiamſi dignitates hujuſmodi in Cathedralibus poſt Pontificales, majores; & in Collegiatis Eccleſijs principales exiſtant) quæ nunc in quibuſvis Eccleſijs ſiue locis obtinent & in poſterum obtinebunt, cum ea integritate quandiu hujuſmodi obſequijs inſtiterint liberè percipere valeant (quotidianis diſtributionibus duntaxat exceptis) cum qua illos perciperent, ſi in ejuſmodi Eccleſijs ſiue locis perſonaliter reſiderent; ac interim ad reſidendum in eis minimè teneantur, neque ad id à quoquam inuiti valeant coartari: non obſtante ſi idem Capellani & Clerici primam in eiſdem Eccleſijs non fecerint perſonalem reſidentiam conſuetam, quam facere teneantur ab hujuſmodi obſequijs recedentes: & quibuſcunque Apoſtolicis, ac Prouincialibus & Synodalibus Conſtitutionibus, ac Statutis, & Conſuetudinibus ipſarum Eccleſiarum contrarijs, juramento confirmatione Apoſtolica, vel quacunque alia firmitate vallatis: etiam & de illis ſeruandis & non impetrandis Literis Apoſtolicis contra ea, & ipſis Literis non vtendo, etiam à dictis Capellanis & Clericis, aut alio, vel alijs impetratis, ſeu quouis alio modo conceſſis; & idem Capellani & Clerici per ſe vel Procuratores ſuos præſtiterint hactenus, vel eos in poſterum præſtare contigerit forſitan juramentum: ſeu ſi locorum Ordinarijs à Sede Apoſtolica ſit conceſſum, vel in poſterum concedi contingat, quòd Canonicos & perſonas Eccleſiarum ſuarum ciuitatum & Diœceſium, etiam in dignitatibus & perſonatibus aut officijs conſtitutos,

Digitized by Google

tutos, per ſubſtractionem prouentuum ſuorum Eccleſiaſticorum, vel aliàs compellere valeant ad reſidendum perſonaliter in eiſdem; aut ſi eiſdem Ordinarijs, ac dilectis filijs Capitulis earumdem Eccleſiarum, vel quibuſvis alijs communiter vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, vel medio tempore contigerit indulgeri, quòd Canonicis & perſonis earundem Eccleſiarum, etiam in dignitatibus vel perſonatibus aut officijs conſtitutis, non reſidentibus in eiſdem; vel qui primam in illis hujuſmodi reſidentiam non feciſſent, fructus, redditus, & prouentus beneficiorum ſuorum Eccleſiaſticorum miniſtrare minimè teneantur; & ad id compelli non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam & de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; ac quibuſdam priuilegijs, indulgentijs, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri: & de quibus quorúmque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis: prouiſo quòd beneficia hujuſmodi debitis non fraudentur obſequijs, & animarum Cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur; ſed per bonos & ſufficientes Vicarios, quibus de beneficiorum ipſorum prouentibus neceſſaria congruè miniſtrentur, diligenter exerceatur, & deſeruiatur inibi laudabiliter in diuinis. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auinioni duodecimo Kalend. Maij Pontificatus noſtri anno nono.

EIVSDEM.

Deputat Commiſsarios qui curent vt beneficiorum ſuorum prouentus percipiant Capellani Regij.

LIV. CLEMENS, &c. Venerabili Fratri Epiſcopo Pariſienſi, & dilectis filijs ſanctæ Genouefæ Pariſienſis, ac S. Dionyſij in Francia, Monaſteriorum Abbatibus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Eximiæ deuotionis ſinceritas, &c. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut vnus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios eiſdem Capellanis & Clericis vel Procuratoribus ſuis eorum nomine faciatis auctoritate noſtra hujuſmodi fructus, reditus & prouentus juxta hujuſmodi noſtræ conceſſionis tenorem integrè miniſtrari, non obſtantibus omnibus ſupradictis: ſeu ſi eiſdē Ordinarijs & Capitulis, vel quibuſvis alijs, communiter vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem: contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum, *vt ſuprà.*

AN. CHR. 1375. d. 25. Nouemb.

GREGORII PAPÆ XI.

Quòd Capellam Montis Caluariæ in Ieruſalem Rex Carolus V. conferre poſſit.

LV. GREGORIVS, &c. Cariſſimo in Chriſto filio CAROLO Regi Francorum Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ingens tuæ ſerenitatis deuotio promeretur, vt ea quæ ad honorem Dei animæque tuæ ſalutem deſideras, votis tuis benigniùs annuamus. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, tibi, tuiſque ſucceſſoribus Regibus Francorum, Capellam Montis Caluariæ in Eccleſia ſancti ſepulchri Dominici in Ieruſalem conſtituta

conſiſtentem, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuò concedimus ac indulgemus, quòd tu, & ijdem ſucceſſores, aliquos Sacerdotes honeſtæ conuerſationis & vitæ, ſeculares vel Religioſos cujuſcunque, etiam Mendicantium Ordinis exiſtant, ad celebrandas Miſſas in dicta Capella eligere, & cum teſtimonio & licentia Superiorum hujuſmodi Religioſorum, ad eandem Capellam mittere ipsámque tenere continuò, Conſtitutionibus Apoſtolicis contrarijs, ac Patriarchæ Ieroſolymitani exiſtentis pro tempore, & cujuſcunque alterius conditione non obſtantibus quibuſcunque, liberè valeas. Nulli ergo omnino hominum, &c. Si quis, &c. Datum Auenioni VII. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri, Anno V. De Mandato Domni noſtri Papæ. *Franciſcus.*

URBANI PAPÆ V.

Quòd Confeſſarius Regi, quem ipſe in mortis articulo elegerit, valeat indulgentiam omnium peccatorum impertiri.

AN. CHR. 1370. d. 17. Septemb.

LVI. VRBANVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio CAROLO Regi Francorum Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Prouenit ex tuæ deuotionis affectu, quo nos & Romanam Eccleſiam reuereris, vt petitiones tuas (illas præſertim quæ animæ tuæ ſalutem aſpiciunt) ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc eſt quòd nos tuis ſupplicationibus inclinati, vt Confeſſor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum de quibus corde contritus, & ore confeſſus fueris, ſemel tantùm in mortis articulo plenam remiſſionem tibi in ſinceritate fidei, vnitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & deuotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium perſiſtenti, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, deuotioni tuæ tenore præſentium indulgemus: Sic tamen quòd idem Confeſſor his de quibus

fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam tibi per te, ſi ſuperuixeris, vel per heredes tuos, ſi tunc fortè tranſieris, faciendam injungat; quam tu, vel illi facere teneamini, vt præfertur. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiã reddaris procliuior ad illicita in poſterum committenda, volumus quòd ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua fortè committeres, quoad illa prædicta remiſſio tibi nullatenus ſuffragetur: quódque ſi tibi remiſſionem hujuſmodi ſemel aut pluries concedi contigerit, ſi tunc mors non fuerit ſubſecuta, propterea indultum hujuſmodi non expiret: ſed remiſſionem prædictam plenum effectum ſortiri volumus, cùm poſt conceſſionem hujuſmodi te migrare contigerit ab hac luce. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Auenioni v. Nonas Octobris, Pontificatus noſtri anno octauo. G. De Bosco.

GREGORII PAPÆ XI.

An. Chr. 1376. d. 23. Februar.

Eſus ouorum, lactis, butyri, & caſei tempore Quadrageſimæ Regi ac Reginæ permittitur.

LVII. Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimis in Chriſto filijs Carolo Regi, & Ioannæ Reginæ Francorum Illuſtribus, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Sinceræ deuotionis integritas quam ad Deum ac Nos & ſanctam Romanam geritis Eccleſiam, promeretur vt petitionibus veſtris, præſertim quas opportunas vobis fore conſpicimus, benignis & gratioſis fauoribus annuamus. Hinc eſt quòd nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vt Confeſſor veſter idoneus Religioſus vel ſecularis, quem veſtrum quilibet duxerit eligendum vobiſcum, vt ſingulis diebus quadrageſimæ, quandiu vitam duxeritis in humanis, ouis, lacte, butyro, & caſeo veſci poſſitis, de conſilio tamen Medicorum (quorum videlicet Confeſſoris & Medicorum ſuper hoc conſcientiam oneramus) quibuſcunque Conſtitutionibus contrarijs nequaquam obſtantibus, auctoritate noſtra diſpenſare valeat, vobis & veſtrum cuilibet tenore præſentium indulgemus. Et

inſuper, vt hi qui hujuſmodi oua, lac, butyrũ & caſeum ſeu fercula ex eis parabunt,& etiam illi qui de eis vobis ſeruient duntaxat, pro proba facienda guſtare de ipſis valeant, concedimus per præſentes. Nulli ergo,&c. Si quis,&c. Datum ſeptimo Kalend. Martij, Pontificatus noſtri anno ſexto. De mandato Domini noſtri Papæ. R. FRONTALIS.

PILEI DE PRATA ARCHIEPISCOPI RAVENNATIS S. R. E. CARDINALIS ad Ludouicum Comitem Flandriæ.

AN. CHR. 1378. d. 15. Decembr.

LVIII. ILLVSTRIS Princeps, & Domine confidentiſſime. Experientia rerum magiſtra mihi de veſtra benignitate monſtrauit Catholicum Principem vos ſemper fuiſſe, ac fore Eccleſiæ ſponſæ Chriſti zelatorem & brachium ſingulare, veritatis defenſorem, reproborum damnatorem, juſtitiæ & æquitatis ſpeculum & exemplar. Hæc in cauſa fuerunt omnia, vt Excellentiæ veſtræ clarè aperiam mentem meam, vt veritatem loquar, vt abſconſa patefaciam, ne ex facti ignorantia & Schiſmaticorum quorundam Cardinalium detractionibus eorúmque ſequacium, canonicæ electionis & inthronizationis ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri D. Vrbani diuinâ prouidentiâ Papæ VI. veritas tanto Principi & eius ſubditis atque beneuolis occultetur. Hinc eſt, Sereniſſime princeps, quod Chriſti vnica & inconſutilis tunica ſcindi quæritur ab his qui erant ſuæ cuſtodiæ deputati, templúmque pretioſiſſimum Dei in deriſum Fidelibus ponitur; & quæ priùs ſedebat ornata in thalamo, planctu & dolore veſtitur, &, proh dolor! à Miniſtris Templi, qui debebant contra quoſcunque nefarios proprio ſanguine juxta piorum prædeceſſorum veſtigia defenſare. O ſacra Petri ſedes ſolita dudum à Regibus & Principibus defenſari, cur ſic ab illis ſcindi quæreris, qui te vnicam ſine parcendo ſuæ vitæ, ſi fuiſſet expediens, ſeruare debebant; qui tibi de Sponſo juxta cor tuum & populi tui prouiderant. O Chriſti Catholici Principes! ô fortia Eccleſiæ brachia quid dormitis? quid

Scribit quæ geſta ſunt in electione Vrbani VI. & Comitem hortatur ad eius partes tuendas.

tardatis eorum furorem compescere, qui suæ salutis immemores sanctissimam Christi fidem destruere, tanto quondam per orbem totum progenitorum vestrorum sanguine propagatam? Vbi est fides, vbi prudentia, vbi fortitudo, vbi magnanimitas, vbi caritas, vbi spes, vbi omnis strenuissima virtus vestra? Cur sic (si mihi cum reuerentia vos arguere liceat) à claris priscorum vestrorum operibus ob tantam inertiam deuiatis? Respicite cum lacrymarum profluuio, supplex oro, & intelligite totius negotij veritatem, ac demum exurgite ad sanctissimi Domini nostri præfati, & Sponsæ Christi defensionem, & tanti erroris purgationem ne in derisum populis Mater Fidelium exponatur.

Clareat nanque Celsitudini vestræ, Magnanime Princeps, quòd Sede Apostolica vacante Pastore Domini Cardinales Vltramontani sæpiùs antequàm Conclaue intrarent (vt de jure tenentur) inter eos de nouo Pontifice eligendo tractarunt, patriæ suæ ac sanguini potiùs quàm Christiano populo prouidere volentes. Inter quos orta fuit dissensio, Lemouicibus quærentibus pro vno ipsorum Papatum habere, alijs Vltramontanis resistentibus eis & volentibus pro aliquo eorum Apostolicam Sedem cum maximis industrijs obtinere. Sed immensa Christi bonitas, quæ volebat virtuti & non sanguini de ipsius Vicariatu disponere, eos in tanta & tali dissensione passa non est diutiùs perdurare, ita vt meretricis illius more quilibet ipsorum dixerit, nec mihi nec tibi, sed de illo cujus sit in Conclaui fortiemur. Nam tunc pars quælibet illorum, præcipuè Lemouicensium, ad Italicum se dispositi eligendum: ita vt sanctissimo Domino nostro præfato, quem posteà elegerunt, per secretos nuntios notum fecerint, antequam introissent Conclaue, quòd eum Romanum eligerent in Pastorem. Ista est purissima veritas, Fidelissime Princeps, sicut Christus veritas est & Filius Dei Patris. Deinde existentes in Conclaui licet Romanum Romani velle se Pontificem acclamarent, nihilominus ipsi dictum sanctissimum Dominum nostrum concorditer & canonicè elegerunt, nemine excepto, nisi Florentino, qui elegit Dominum sancti Petri, & demum Domino nostro præfato per acces-

Digitized by Google

ſionem conſenſit: hanc electionem tenendo ſecretam vt poſſent interim cum Romano populo concordare, & vt Domini noſtri perſona in tuto eſſet ne à populo læderetur; & tamen diutiùs quod factum fuerat celari non potuit, etſi primò vox inſonuit in populo de Domino S. Petri, tamen ſecundariò quòd Barrenſis eſſet electus, in populo vox inſurrexit, ad quam vocem Romani furere cœperunt, & Conclaue frangere violenter; quod videntes Domini Cardinales & periculum perſonale timentes indui fecerunt Papaliter Dominum S. Petri, fractóque Conclaui, & Romanis eum videntibus vt Papam, à furia quieuerunt, & DD. Cardinales Conclaue exierunt, quorum Gebennenſis ad caſtrum Sagaroli, quod eſt Domini Agapiti de Columna diſtans à Roma per ſex milliaria; Dominus S. Angeli ad Rocam Ardiæ tutiſſimam Monaſterij S. Pauli juxta mare; Domini de Vrſinis & S. Euſtachij ad caſtrum Vici-Varri tutiſſimum dicti Domini de Vrſinis pariter confugerunt, quod millibus . . . . . diſtat ab Vrbe. Octo ex alijs Dominis prælibatis caſtrum S. Angeli tutiſſimum & inexpugnabile intrauerunt; quatuor in Vrbe remanſerunt, videlicet Florentinus, Mediolanenſis, de Arragonia, & Majoris Monaſterij, quibus nulla moleſtia prorſus facta fuit, maximè ſubſedente & populo totaliter quietato. Officiales Vrbis ſe inermes ad Palatium vt Domino S. Petri tanquam Summo Pontifici reuerentiam facerent, contulerunt. Quòd cùm dictus recolendæ memoriæ Dominus S. Petri vidit, eos fortiſſimè increpauit, dicens ſe nullum in Papatu habere juris titulum quoquomodo, & ideò perſuadebat eiſdem quòd dimiſſis eorum opinionibus prauis irent ad eidem vero Papæ reuerentiam exhibendam, Domino ſcilicet dudum Barrenſi. Quibus auditis ſtatim nullâ intermediâ morâ dicti Domini Officiales ad Dominum noſtrum olim Barrenſem acceſſerunt, eidem vt Summo Pontifici volentes reuerentiam exhibere, qui Dominus omnino inhibuit eis, dicens quòd ipſe de ſua electione certus non erat, volebátque ſcire à Dominis Cardinalibus ſi erat canonica, ſi erat libera, ſi erat ſolemnis: & propterea antequam clarus eſſet, ab eis non permitteret ſibi reuerentiam

exhiberi. Statim igitur pro illis quatuor Cardinalibus, qui remanſerant, miſſum fuit, qui venerunt ſine mora, & videntes quòd Dominus S. Petri dicebat ſe in Papatu jus nullum habere, ſtatim miſerunt ad illos de caſtro quòd liberè vellent venire, quia Dominus S. Petri de Papatu nullatenus contendebat: qui reſponderunt non audere ſe venire, quia licet Dominus S. Petri taliter eſſet diſpoſitus, tamen dubitabant ne conſanguinei ſui & populus totus quod de eo factum fuerat ad injuriam recepiſſent; ſed ex tunc committebant eis quòd dictum Dominum noſtrum inueſtirent liberè de Papatu, & eum inthronizarent omnium vice cum omnibus cæremonijs conſuetis: quia ipſi dicebant & confitebantur ipſum veriſſimum & liberum Chriſti Vicarium, & Romanum Pontificem. Ad fidem præmiſſorum ſinguli Cardinales prædicti ſe in dicta commiſſione proprijs manibus ſubſcripſerunt.

Hoc non obſtante dictus Dominus noſter, & Cardinales cum eo præſentes iterum remiſerunt ad eos, quòd nec de populo nec de alio debebant dubitare, quia Dominus S. Petri jam eidem vt Summo Pontifici reuerentiam exhibuerat, & exhibebat, & populus erat totaliter quietatus, nec de iſta materia volebat ſe ampliùs impedire. Qui Domini his auditis ſtatim de caſtro tutiſſimo deſcenderunt, & ad Papale palatium venerunt, & ſtatim vnà cum alijs quinque Cardinalibus in Capellã Conclauis concorditer intrauerunt vnà cum Domino noſtro. Quibus Dominus noſter dixit quomodò erat ſibi relatum quòd eum in Papam elegerant, & propterea de meritis electionis informari volebat: ſed ante omnia ſupplicabat quòd de digniori prouidere deberent, quia ipſe erat indignus ad tantum onus Eccleſiæ ſupportandum. Qui Domini Cardinales facientes vltra duas partes Collegij reſponderunt, quòd erat ipſe canonicè electus & liberè, & cum omni ſolemnitate, & etiam verus Paſtor Eccleſiæ, & Vicarius Iesv Christi, & quòd pro Deo vellet electioni liberè conſentire. Et ipſo Domino noſtro iterum replicante, quòd pro Deo de digniori prouiderent: reſponderunt concorditer quòd eum pro digniſſimo elegerant, & quòd pro Deo aſſentiret ſi non

volebat

volebat & fidem & populum Chriſtianum in periculo ponere. Túncque Dominus noſter cum omni humilitate & lacrymis acceptauit,& voluntati acquieuit eorum. At Domini Cardinales cantantes,*Te Deum laudamus*,pulſatâ campanâ eum habitu Papali induerunt, & eum inthronizauerunt cum omnibus cæremonijs conſuetis, ipſúmque adorauerunt vt Chriſti Vicarium, & ſuper Altare poſitum populo exhibuerunt, vt eidem tanquam Chriſti Vicario reuerentiam exhiberent; & tunc Romanus populus ad eius pedes corruit. Híſque omnibus per alios Dominos Cardinales ſcitis qui extra Vrbem ad ſupradicta caſtra confugerant, ſcientes quòd ceſſerat Dominus ſancti Petri, non vocati, non requiſiti per literas, nullâ morâ factâ redierunt ad Vrbem, & antequam proprias domos intrarent, ad dictum Dominum noſtrum cum omni gaudio acceſſerunt ad ſuæ Sanctitati reuerentiam exhibendam, congratulantes quòd Dominus ſancti Petri ſanctè & juſtè recognouerat veritatem. Et ſic ex tunc cum plena concordia incœperunt de ſua coronatione tractare, & concorditer terminauerunt in die Dominicæ Reſurrectionis fieri debere. Interim autem in Hebdomada ſancta cum eo in proceſſionibus ordinarijs, quæ fiunt . . . fer . . . majoris hebdomadæ Pontificaliter induti aſtiterunt; eidem Domino noſtro, ſicut ſæpiùs eſt de more, nobiliſſima annulorum dona & jocalia donauerunt, ſpecialiter Dominus de Agrifolio,& Dominus Gebennẽſis. Iſto etiam tẽpore medio ab eius Sanctitate plura beneficia petierunt & obtinuerunt: ſed quod potentius eſt,& in quo nulla cadere poteſt excuſatio metûs, eidem Domino noſtro abſolutionem à pœna & culpa de ſuis criminibus concorditer petierunt, ſicut fuit ſemper de more per nouos Pontifices Cardinalibus concedi debere, & ſic Dominus noſter Summus Pontifex prænominatus eiſdem gratiosè conceſſit.

Denique in die ordinato ſanctiſſimæ Reſurrectionis ipſum cum omni ſolemnitate & cæremonijs conſuetis ante fores Baſilicæ ſancti Petri, circunſtantibus quaſi omnibus nationibus Chriſtianorum, qui ad ſacram Vrbem pro deuotione acceſſerant, publicè coronauerunt. Priùs tamen

factis officijs conſuetis, idem Dominus noſter Romanus Pontifex ſuper Altare ſancti Petri Miſſam ſolemniter & deuotè in Pontificalibus celebrauit; in qua omnia ſecundum formam rubricæ fuerunt obſeruata: & vltimò omnes Diaconos Cardinales ſua manu pretioſo Corpore & Sanguine Chriſti communicauit, ſicut de more Summorum Pontificum ſemper fuit; Sícque eum coronatum, Pontificalibus indutum ipſi Domini Cardinales Pontificaliter induti cum equis albo panno coopertis, & tota proceſſione in ſimili habitu Pontificalium & equorum, ac etiam Religioſorum, Clericorum, & Laïcorum per ſacram Vrbem cum maxima tripudiatione & feſtiuitate Romani Populi, & cunctarum Fidelium nationum ibidem aſtantium, exultatione atque lætitia ad Lateranenſem Eccleſiam conduxerunt, ibíque eum in ſedibus ordinatis ſecundum formam Romanæ Eccleſiæ, cæremonijs omnibus obſeruatis, inthronizauerunt, & cuncta ibi ſeruauerunt quæ debebant de conſuetudine ſeruari. In eadémque Eccleſia certum numerum monetarum, quæ in coronatione Summi Pontificis conſueuerunt Cardinalibus dari, receperunt: & deinde Pontificem cum eadem ſolemnitate ad Papale palatium reduxerunt omnibus Cardinalibus ſecum prandentibus, vt eſt moris. Et poſt hæc dicti Cardinales in Conſiſtorijs & ſingulis Concilijs, vbi facta Imperatorum, Regum, & Principum ſunt tractata, promotiones Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum factæ ab eodem Domino noſtro pro eorum conſanguineis, Capellanis, & Familiaribus Archidiaconatus & dignitates petierunt & Beneficia, & obtinuerunt, nec in hoc poſſunt aſſerere metum. Et inter cæteros Gebennenſis, qui Petri ſedem velut alius Lucifer nititur occupare, Epiſcopatus plures pro ſuis & petijt & habuit, faciens Epiſcopos ex illis in ſua Capella, in qua moram trahebat, ex priuilegio ſpeciali Domini noſtri particulariter conſecrari. Vltra hæc omnia ſecundùm morem antiquum Domino noſtro rotulos pro beneficijs & gratijs obtinendis pro ipſorum conſanguineis, Capellanis, & Familiaribus, & amicis ſuis ſecundùm placitum ſuum cuilibet dedit; nec poſſunt in hoc metum ali-

Digitized by Google

quem allegare, & quod plus eſt, Catholice Princeps, Dominus Cardinalis Glandatenſis Epiſcopatum Oſtienſem qui tunc vacabat, à Domino noſtro petijt, & ſeruatis omnibus ſolemnitatibus Dominus noſter ipſum conceſſit eidem: poſt quam conceſſionem ex commiſſione ſua Epiſcopos & Archiepiſcopos conſecrauit, Abbates benedixit, Ordines fecit, Diaconos, Subdiaconos, Preſbyteróſque faciendo tanquam verus Epiſcopus Oſtienſis, & tandem ad ſuam Eccleſiam Oſtienſem acceſſit, ibíque pueros confirmauit, & cætera Epiſcopalia exercuit, & reditus ſui Epiſcopatus pro cenſu annuo adfirmauit. Ad majorem autem affirmationem prædictorum Dominus Ambianenſis, qui Nuntius Apoſtolicus in Tuſcia morabatur, ad Vrbem poſt dicta tempora venit, & Dominum noſtrum Romanum Pontificem in publico Conſiſtorio adorauit tanquam verum Vicarium Iesv Christi, & eidem vt vero Pontifici reuerentiam fecit.

Superuenerunt demum, Excellentiſſime Princeps, calores æſtiui, & ſub primo calore Cardinales à Domino noſtro licentiam eundi Anagniam petierunt, vbi reſidentia Curiæ pro æſtiuo tempore per ſuum prædeceſſorem fuerat ordinata, quam eis liberè & bona fide conceſſit, & ſic cum eius verbo receſſerunt ab Vrbe. Ipſis autem exiſtentibus in Anagnia ſæpe Domino noſtro tanquam Vicario Chriſti literas reſcripſerunt, & ab eo beneficia & dignitates plurimas petierunt, & de aliquibus obtinuerunt petita. Demum inimicus humanæ naturæ, qui nunquam ceſſat in agro Domini zizania ſeminare, eos in reprobum ſenſum duxit; & contra ipſorum factum proprium cœperunt in diſputationem reuoluere de Pontificatu Domini noſtri, & ad tantam deuenerunt inſaniam, quòd per eorum patentes literas proruperunt Dominum noſtrum non eſſe verum Pontificem, ſed intruſum; & ſubſequenter creſcentes inſania ad electionem Anti-Papæ, immò potiùs Anti-Chriſti, damnabiliter proceſſerunt, & Gebennenſem quondam Cardinalem in Anti-Papali immò Luciferi ſede tenent intruſum.

Iſta eſt facti veritas, Dux Excelſe, quæ omni veritate

vallatur, quam ſi velitis inquirere, inuenietis, vt præfertur, eſſe ſine vnius apicis vel jota diminutione quaquam. Nunc igitur, Generoſiſſime Princeps, notum eſt vobis quare Petri nauicula fluctibus expoſita eſt in mari per nautas illos, qui eam ſtabilem in portu quietis tenere debebant, hoc agentes in Chriſti Redemptoris injuriam, Petri piſcatoris offenſam, & totius Chriſtiani populi contumeliam grauiſſimam, & jacturam. Non ergo, non ſanguis, non parentela, non aliqua particularis affectio Veſtram Celſitudinem tardent, quin immò ardentiſſima fides & deuotio veſtra chriſtianiſſima ſurgant omni tarditate remota ad ſanctam Dei Eccleſiam ſuſtinendam, & veriſſimum Dominum noſtrum Summum Pontificem à cunctis conatibus impiorum veſtro fortiſſimo brachio defenſandum, & tanti ſceleris patratores, ne virus eorum Catholicum gregem inficiat, ad exemplum cunctorum pœnâ debitâ caſtigandum: qui ideò ad hanc deuenerunt inſaniam, quia ſanctiſſimus Dominus noſter præfatus erga eos bono & ſancto zelo potitus, pro quorundam correctione vitiorum alloqui eos cœpit, vt ſanctè & honeſtè viuerent, vt exemplum virtuoſum alijs præberent: quod cum nulla patientia eorum animus potuit tolerare: & ſic ſanctiſſimus Dominus noſter pro verbo veritatis ab eis perſecutionem patitur, quæ tamen actore Deo in eorum capita reuertetur. Concludendo igitur ex omnibus Celſitudini veſtræ, Dux Chriſtianiſſime, ſupplico quatenus Dei juſtitiæ, honoris, ac perpetuæ famæ veſtræ intuitu dignemini juxta poſſe tanto Schiſmati obuiare, & hanc veritatem per me ſcriptam inueſtigare, & pro viribus facere quod ſacro-ſancta Mater Eccleſia libera maneat & quieta cum ſanctiſſimo Domino noſtro præfato Vicario Iesv Christi: aurea quondam ſæcula reuertantur, ne prædicta nefariorum opprobria & ſpiritualiter & temporaliter tantùm ignominioſa fidei noſtræ perdurent, quæ tractu temporis poſſent, quod abſit, inexcogitabilia diſpendia parere cuncto populo Chriſtiano, & potiſſimè Regibus, Ducibus, & cunctis Principibus Orthodoxis, quos ſemper oportet ſuo ſanguine proprio tutores eſſe & pugiles fidei Chriſtianæ.

Digitized by Google

Hanc autem veritatem, Inclyte Domine, recolendæ memoriæ Dominus ſancti Petri, dum adhuc in humanis ad finem poſitus in extremis ageret, toti mundo notam & clariſſimam fecit per publica inſtrumenta, de quo non eſt veriſimile quòd tam ſanctæ famæ, támque Catholicus vir & dominus æuo pleniſſimus immemor fuerit ſalutis æternæ, præſertim in tanto negotio vbi periculum vertebatur omnium animarum, & ideò hanc eſſe puriſſimam veritatem nullus debet Catholicus dubitare. Cæterùm, Illuſtris Domine, noueritis me de mandato Domini noſtri præfati greſſus meos dirigere verſus Cæſaream Majeſtatem, reſcripturus exinde Magnificentiæ veſtræ quæcunque cognouero reſcribenda, eidem me intimè recommendans, quam fœliciter conſeruare dignetur Altiſſimus juxta vota. Datum Venetijs die xv. Menſis Decemb. primæ Indictionis.

RESPONSIO

Congregationis Prælatorum, & aliorum virorum Eccleſiaſticorum, per Ducem Bedfordiæ, tunc aſſertum Regentem Franciæ, Pariſios vocatorum ſuper præbendo eorum conſenſu & aſſenſu leuandi ſubſidia ſuper Clero ſicuti ſuper Laïcis.

An. Chr. 1406.

LIX. AD Requeſtam factam per Illuſtriſſimum Principem Dominum Ducem Bedfordiæ per organſum primi Præſidentis Parlamenti, die Lunæ decima octaua Octobris, pro præbendo conſenſu Eccleſiæ vt imponantur, & exigantur à Clero ſubſidia ſolita exigi à Laïcis perſonis; Reſpondet Congregatio Prælatorum, & aliorum virorum Eccleſiaſticorum propter hoc Pariſios vocatorum, in modum qui ſequitur.

Videlicet quòd humiliter ſupplicat Serenitati ipſius Excellentiſſimi Principis præfata prædictorum Prælatorum & virorum Eccleſiaſticorum Congregatio, quatenus patienter & non ægrè ferat eadem ſua Serenitas quòd conſenſum pridie petitum non præſtitit, neque præſtat, quo-

niam ſaluâ conſcientiâ, ſaluis juramentis ſuis & libertatibus Eccleſiæ, ſaluo honore Regis & Regni, & præfati Illuſtriſſimi Principis, conſenſum ſuum ad talia onera Eccleſiæ imponenda præbere non poteſt, propter rationes & motiua quæ inferiùs adnectuntur.

Primò, Quia pauci huc viri Eccleſiaſtici vocati ſunt longè; quia major pars illorum quos tam magnum poteſt tangere negotium, quæ ad præſentem Congregationem vocata eſt, minimè comparuit, quamobrem huic præſenti Congregationi ſecurum non videtur tam ſolemnem Eccleſiæ partem poſſe repræſentare, aut quod per eam actum extiterit, approbari debere.

Item, Attentè debet conſiderare præfatus Illuſtriſſimus Princeps, qualiter apud Principes infideles & idolatras tanta fuit libertas Sacerdotibus & Miniſtris veri Dei, quem tamen Principes ignorabant, quod eximebantur ab omnibus vectigalibus populo impoſitis, etiam in neceſſitatibus magnis. Vnde Geneſis 47. ſcribitur, quòd cùm Ægyptij terram ſuam, pecora, & finaliter ſeipſos tempore ſeptennis famis Pharaonis ſeruituti pro victualibus habendis ſubijci cogerentur, Sacerdotes non ſolùm terram ſuam & poſſeſſiones ſuas vendere non ſunt compulſi, ſed etiam eis alimenta ſibi & ſuæ familiæ ſufficientia ex Regis & publicis horreis donata ſunt. Similiter Rex infidelis Artaxerxes cum omni populo Iudæorum per Nabuchodonoſor captiuato atque populo ſuo multa tributa & vectigalia imponeret, Sacerdotes Iudæorum ab illis angarijs exemptos eſſe voluit. Vobis, inquit, notum facimus de vniuerſis Sacerdotibus, Leuitis, Cantoribus, Ianitoribus, & Miniſtris domus Dei, vectigalia, & annonas & tributum non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos, Eſdræ 6. Cauſa quare Sacerdotes eximere voluit præfatus Rex prædicto paſſui ſtatim inſeritur, cùm dicitur; Ne fortè iraſcatur Deus contra regnum Regis, & filiorum eius.

Item, Et quòd nobiles omnes qui magis ſtatum Laïcalem quàm Sacerdotes appropinquant aut Clerus, ab omnibus vectigalibus talibus etiamſi perſonaliter in armis non ſeruiant, eximuntur. Quapropter multùm abſurdum vide-

Digitized by Google

tur, quòd Eccleſia Deo ſeruiens pro ſalute Reipublicæ, Regis & Regni, & cui propter honorem Dei omni debetur à Principibus reuerentia, talibus angarijs, quod nec infideles Principes voluerunt facere, ſub Catholicis Principibus premeretur.

Item, Et quia bona Eccleſiarum ſunt bona Dei, quorum Eccleſiaſtici ſolùm habent adminiſtratoris diſpenſationem, & ſic viris Eccleſiaſticis tales angarias imponere, eſt à Deo tributum aut vectigal exigere, quod quantum pias aures etiam ſolo auditu offendat, videant qui ad id agendum Principes excitarunt.

Item, Multùm debet conſiderare Princeps magnas ſubuentiones, quas viri Eccleſiaſtici ad deliberationem plurium particularium locorum portauerunt, ad quorum ſubuentionem propter inopiam ſuarum Eccleſiarum vaſa ſacra atque Reliquias, & alia jocalia cultui diuino conſecrata, fuerunt venditioni exponere compulſi, immò & Prælati aliqui & multi Sacerdotes etiam habitibus Eccleſiaſticis pro prædictorum ſolutione priuati, & non habentes perſonaliter capti & detenti. Quòd neque infideles in ſuis ſacris immò execrabilibus Sacerdotibus vnquam perpetraſſe leguntur. Quare contentari debet Princeps, cùm pene jam omnia plerarumque Eccleſiarum bona his ſubuentionibus exhauſta ſint.

Item, Aduertere debet Princeps miſerias & calamitates, ad quas Principes plurium Regnorum, qui Eccleſiam Dei pretioſo ſanguine ſuo à diaboli ſeruitute liberauit, talibus angarijs afflixere deuenerunt, quorum nonnulli gladio perierũt, aliqui ad captiuitatem perducti, cæteri dominio ſuo præclariſſimo priuati ſunt. Quoniam non debent ſe diuinæ majeſtatis gratiam putare promereri, qui ſponſam eius Eccleſiam in ſeruitutem redigere conantur.

Item, Quòd temporibus retroactis, quando non currebant etiam ſuper Laïcali populo ſubſidia, nec erat adhuc obedientia noſtra ita ampla, & in prouentibus abundans ſicut nunc eſt, major exercitus multo quod nunc continuè habebatur, ſtatus Dominorum Regum ſuſtinere oportebat, & optimam in armis diſciplinam ſeruabant; ita etiam

vt arma ſequentibus prædandi licentia interdicta eſſet, & tamen talia ab Eccleſiaſticis Rex Henricus Angliæ nunquam poſtulaſſe legitur, immò & magnam partem Regni Franciæ ab hujuſmodi exactionibus, & alijs oneribus exemit.

Item, Vt ad Bullam veniamus, quæ ſuper neceſſitate Principis fundamentum ſuum videtur aſſumere, clarum eſt quòd tanta non poteſt eſſe neceſſitas, attento quòd ſolius Principis ſtatum ſuſtinere habemus, atque vnicum exercitum, qui quidem à paucis diebus ſolutus eſt in Anglia vſque ad primam Ianuarij. Domanium autem Regni jam eſt amplum & magnum : currunt generaliter ſubſidia communia & talliæ particulares aſcendentes ad magnas pecuniarum ſummas. Anglia quolibet anno quaſi pro media parte anni armatam ſtipendiat, nihilominus adhuc currunt particulares ſubuentiones in regionibus circumſtantibus & locis vbi obſidiones poni deberent, nihilominus prædicta omnia ſubſidia ſunt leuata : propter quod manifeſtè apparet quod tanta non eſt de præſenti neceſſitas, vt oporteat vel Eccleſiã ad tantam Laïcorũ adducere ſeruitutem.

Item, Quia in militia præſenti ſeu moderna ceſſauit adeò diſciplina, ac ſibi eſt permiſſa prædandi impunè licentia, quòd non obſtante eorum ſolutione nihil poteſt viris Eccleſiaſticis & alijs extra munita loca remanere, quod ab armatorum violentia non tollatur ; cùm hæc jam in Regno hoc inualuerit corruptela, vt militiam inſequentes non niſi terras Eccleſiaſticas quas defendere tenentur ſi eas inuenire potuerint, perſequentur, propter quod terræ Eccleſiæ deſertæ & abſque habitatore remanere coguntur, & ita adeò eſt depauperata Eccleſia ; quòd non habet ſuſtentari; propter quod pluribus Regni locis à diuinis longo jam tempore ceſſatum eſt.

Item, Sunt multi Laïci & Communitates aliquæ ſeculares, quæ tales impoſitiones & angarias ſoluere non coguntur; propter quod multum abſurdum videtur Clericos velle vltra Laïcos tali ſeruituti ſubijcere.

Item, Quia Bulla videtur cauſare pro quiete populi, propter quod manifeſtè apparet contrarium, quia populares

lares jam mirabiliter murmurant quòd Eccleſia Dei ſeruituti ſimiliter cum eis ſubjaceat, exiſtimantes has angarias ſuper ſe perpetuò remanſuras, cùm eas vſque ad Eccleſiam audiunt aduenturas.

Item, Non poteſt eſſe quies in aliqua politia aut Republica, niſi ordo debitus inter ſtatus obſeruetur; ſi enim caput ſeorſum ſuper terram poneretur, nihil homine, qui eſt pulcherrima creatura, inueniretur difformius. Si ergo Eccleſia quæ eſt ſupremus mundi ſtatus ad ſeruitutem Laïcorum poneretur, nihil Republica confuſius, præſertim cùm, vt dictum eſt, Nobiles qui ſunt in inferiori ſtatu à talibus angarijs eximantur.

Mouent etiam prædictam Congregationem juramenta per Illuſtriſſimos Principes Reges Franciæ & Angliæ vltimatè defunctos facta de prærogatiuis, priuilegijs & libertatibus Eccleſiæ, & virorum Eccleſiaſticorum conſeruandis: ordinationes inſuper per Concilium Eccleſiæ Gallicanæ notabiliter Pariſijs congregatum, & per prædictum Illuſtriſſimum Regem Franciæ vltimatè defunctum cum conſilio & aſſenſu nonnullorum Principum de Regia ſtirpe progenitorum, & plurimorum aliorum Principum, Ducum, Procerum & Baronum factæ, laudatæ & probatæ Pariſijs decima octaua Februarij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto.

His igitur attentis quæ animum veſtrum obligare poſſunt & mouere debent, Reuerendi in Chriſto Patres & Domini, qui à ſancta Sede Apoſtolica ad executionem præſentis negotij eſtis judices delegati, ſupplicat præfata Prælatorum, & aliorum Eccleſiaſticorum Congregatio, quatenus non velletis, prout nec jure debetis, ad executionem literarum Apoſtolicarum hanc materiam tangentium procedere, ſed magis animum hujus potentiſſimi Principis prout ex officio tenemini ad obſeruandum libertatem Eccleſiæ inducere, parata eſt enim Eccleſia orationum aſſidua ſuffragia pro ſalute & proſpero ſtatu Regni hujus ac Principum, & veſtrarum paternitatum apud Dei clementiam abſque intermiſſione fundere. Poſt hæc fuit appellatio interjecta per gentes Eccleſiaſticas.

EPISTOLA

Regi directa per Prælatos Eccleſiæ Gallicanæ Biturcijs exiſtentes in menſe Septembri, Anno Domini 1415. ad finem obtinendi exemptionem & libertatem ſubſidij quadraginta ſolidorum ſupra qualibet cauda vini de nouo impoſiti.

Chriſtianiſſimo Francorum Regi Domino noſtro ſupremo.

LX. CHRISTIANISSIME ac Excellentiſſime Princeps, ſupreme Domine noſter, diuinæ legis noui & veteris Teſtamenti, ſacrorúmque jurium auctoritate colligimus, Patrum & prædeceſſorum noſtrorum exemplis ſalutaribus prouocamur, vt libertatis Eccleſiaſticę materiam, quam & injuncti nobis miniſterij juramentis ſana & ſalua conſcientia, & abſque grauiſſimarum cenſurarum periculis prætermittere non poſſumus, verbo, ſcriptis, & nuntijs apud veſtram Regiam majeſtatem perſequamur, pro qua glorioſorum martyrij Sanctorum plurimos legimus ſubiiſſe triumphum, qui ſe murum firmiter pro domo Domini opponentes plus formidarunt æternum quàm temporalem offendere principatum. Sed Deo major obſecrandi nobis datur occaſio, quòd experientia manifeſtè cognoſcimus veſtram Celſitudinem majoribus quàm nunc opprimi ærumnis, neceſſitatibúſque depreſſam, nullatenus voluiſſe vt in libertate prædicta quidquam attentaretur ſcandaloſum, veſtrorum Chriſtianiſſimorum progenitorum veſtigijs inhærendo, qui pro quacunque aduentitia neceſſitate capitiuitatis Regiæ perſonæ tributariam facere Eccleſiam minimè voluerunt. De quibus refert Gregorius in Regiſtro, quòd propter defenſionem libertatis Eccleſiæ amplificatum eſt terris Regnum, conceſſa diuinitus victoria triumphalis, & ab omni clade cœlitus præſeruatio repromiſſa: confidimus

Digitized by Google

igitur atque ſperamus, Princeps Chriſtianiſſime, quòd qui cœpit in vobis, & glorioſiſſimis progenitoribus veſtris opus bonum Eccleſiæ protectionis Deus omnipotens, in cujus manu cor Regis eſt, perficiet, & ab hoc ſancto vos non permittet propoſito declinare; nec à veſtra Regali memoria excidere illam ſanctiſſimam & honeſtam profeſſionem veſtro ſolemni in Regalis diadematis, & ſanctiſſimæ vnctionis ſuſceptione juramento firmatam, in ingreſſu Pariſienſis Eccleſiæ roboratam, qua libertatem Eccleſiaſticam & Eccleſiaſticorũ priuilegia promiſiſtis perpetuis temporibus obſeruare, perpetuis precibus ſanctam & ſinceram deuotionem veſtram ad Deum & ſanctam Eccleſiam, quæ inter acerrimas quas Regnum patitur moleſtias, ſingulare quoddam nobis ſolatium miniſtrat & juuamen; ſinceris cogimur exorare precibus, & pauca de multitudine auctoritatum ſcripturæ ſacræ & jurium ad veſtræ clementiæ memoriam reducere, & quaſi ante oculos Majeſtatis veſtræ, non nos ipſos ſed à tergo Patres noſtros: inter quos Ieremias deplorat Eccleſiam fieri ſub tributo, immò & ipſam Eccleſiam ad veſtra, vt ita dicam, genua prouolutam inſtituere deprecantem abundare jura, & ſacrarum teſtimonia Scripturarum allegare volentibus, ſed quia deuotiſſimum & doctiſſimum alloqui pauca hîc breui tacta compendio ſufficiant.

In primis ergo ab æterna & diuina lege, per quam Reges regnant, & qua inuiolabili ſanctione Eccleſiæ priuilegia primitùs ſunt conceſſa, ſumentes exordium, id duximus commemorandum, quod in Geneſi ſcribitur de Pharaone, ſeruituti ſubjectis omnibus Sacerdotes & poſſeſſiones eorũ in libertate dimiſit, & eis de publico alimoniam miniſtrauit, ex tunc, vt dicunt, glorioſo Domino pronuntiante Sacerdotes in omni genere liberos eſſe debere. Quod & Rex Cyrus ſecutus, vt legitur in Eſdra, voluit Sacerdotes pro templi ædificatione tributis non onerari, ne & in Regem & eius filios diuina vltio deſæuiret. Non arbitrandum igitur ſub veſtro deterioris conditionis effici Sacerdotium imperio, quàm ſub illis Regibus qui diuinæ legis notitiam non habebant, dicente Domino: Nolite tangere Chriſtos meos; & in Prophetis meis nolite malignari, non enim

Sacerdos vt populus, non æqua vtriſque conditio. Nam vt anima corpori,& ſpiritualia temporalibus;ſic Sacerdotes ſunt popularibus præferendi, qui & Angeli Domini exercituum dicuntur & Dij nuncupantur, lege quippe Moſaïca, diuina immò potiùs cautum eſt, vt eorum portio ab oneribus libera permaneret. Narrare libet illam diuinæ oſtenſionis euidentiam Heliodorum Templi & Sacerdotum perturbatorem acerrimum; cui templum Domini irruenti, & vt in libris Machabæorum legitur, apparuiſſe de cœlo fertur equus terribilem habens ſeſſorem, & cum eo juuenes duo ſpecioſi amictu, qui plagis multis afflictum Heliodorum,& quaſi in exterminio palpitantem compulerunt Regi diuina magnalia demonſtrare. Et cùm Rex alium mittere cogitaret, fertur dixiſſe Heliodorus: ſi quem habes Regni inſidiatorem mitte, & flagellatum recipies, nam qui habitat in cælis viſitator eſt Templi & Miniſtrorum eius, & violatores percutit & perdit.

Sed quid in hac re Canonicæ ſtatuant ſanctiones placeat attendere. Non enim vnus Pontifex Summus,ſed tota vniuerſalis Eccleſia in celeberrimo Lateranenſi Concilio ſub anathematis pœna tallias exigi ab Eccleſia inhibet & tributa, exactores & factores præmiſſa monitione decernit excommunicationi eo ipſo ſubiacere, à qua non niſi plenaria reſtitutione præhabita non veniunt abſoluendi. Quòd ſi Eccleſiaſtici quidquam voluntariè duxerint conferendum, Romanum Pontificem ſtatuit conſulendum. Sunt & alia jura multa ididem ſentientia, & ſacrilegorum pœnis decernentia tales exiſtere premendos.

Quid autem in legibus Imperatorum ſit, & ciuilibus breuiter inſumendum occurrit. Omnis, inquit Imperator Iuſtinianus, à Clericis tributorum injuria & exactionis repellatur improbitas. Et cùm negotiatores ob neceſſitatem publicã ad exactiones vocantur, in Clericis omnis talis ſtrepitus, omnis moleſtia penitùs conquieſcat, tantáque eis prærogantia ſuccurrat, vt Sacerdotũ miniſtri immunes ab oneribus perſeuerent. Vnde Conſtantius & Valentinus Imperatores plurima Eccleſiæ libertatum priuilegia condonantes,dicebãt: Gaudere & gloriari ex fide volumus,ſcien-

tes magis religionibus, quàm tributis & laboribus noſtram Rempublicam conſeruari. Apud veſtram Regiam majeſtatem perſuaſione non eget quid Carolus Magnus, Carolus Caluus, Robertus, & Sanctus Ludouicus veſtri Chriſtianiſſimi progenitores, hac in re ſancierunt. Tantis igitur auctoritatibus & exemplis commoniti veſtræ Regiæ cogimur dicere majeſtati, quod Ambroſius ad Imperatorem de Eccleſiaſtica protulit libertate: Nil Regi honorificentius quàm quod filius dicatur Eccleſiæ, verba quæ debet Regi ſuo Sacerdos, conſulere Regum ſaluti oportet, ne quidquam illi potius quam vt ab Eccleſia immunis ſit: hæc Beatus Ambroſius. Condolemus Princeps Chriſtianiſſime, & Regni & veſtris neceſſitatibus quàm plurimùm, quas ore veſtro nobis cum ſumma animi benignitate detectas, non ſine magnis lacrymis ac dolore audiuimus. In veſtro namque periclitamur periculo, & in veſtris ruinis corruimus. Sed non niſi cum vita jubemur libertatem Eccleſiaſticam relinquere indefenſam, nec pro tranſitoria pace mundi perdere ſempiternam: cùm non in multitudine victoria belli, ſed de cœlo fortitudo ſit. Orante namque Moyſe legimus viciſſe populum, & ceſſante ſuccubuiſſe. Arma veſtræ militiæ lacrymas & orationes offerimus, dicentes cum Pſalmiſta; Hi in curribus & hi in equis, nos autẽ in nomine Domini inuocabimus. Hortamur igitur & obſecramus veſtram Regiam majeſtatem per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ad ſummæ Trinitatis prouidentiam animum erigens, & magis in Dei adjutorio & Eccleſiæ precibus, quàm bellorum ducibus, multitudine & viribus confidens, libertatem ſanctæ Eccleſiæ protegendo Deum ſibi quærat propitium. Ingreſſuri namque Romani bella Deos ſibi placatos reddere hoſtiarum immolatione ſtudebant, ſi quid in templo illatum moleſtię primitùs reparantes. Narrátque Valerius eo maximè Dionyſium Regem corruiſſe quòd nullam diuino cultui & miniſtris ſeruari prærogatiuam cenſuiſſet. Hanc noſtram orationem Regia veſtra manſuetudo ſupportet, & noſtras preces clementer exaudiat: nec pro modica quantitate quæ parum vobis emolumenti adijciet, nondum apertam tam periculoſam

viam aperiat, ne modicum fermenti totam maſſam corrumpat: Deo igitur gratias agentes in immenſum quòd talem nobis dederit Regem, qui pura mente tanto charitatis feruore Eccleſiam diligit, & omnes Eccleſiaſticos in diuino cultu præcellit: Obſecramur Cunctipotentem, vt qui ſpecialem vos Eccleſiæ protectorem elegit, ſua vos protectione cuſtodiat, & greſſus veſtros feliciter dirigat, Amen.

Ex veſtra ciuitate Bituricenſi, die Natiuitatis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, octauâ menſis Septembris.

Subſcriptio. Veſtræ Regiæ majeſtatis humiles & deuoti Oratores Prælati & alij viri Eccleſiaſtici, & vniuerſitates de eiuſdem mandato Bituricis Congregati.

An. Chr. 1444. d. 3. Febr.

Fœdus Pacis initum cum Electoribus Romani Imperij, & Rege Angliæ.

LXI. Carolvs Dei gratiâ Francorum Rex, vniuerſis & ſingulis præſentium ſeriem inſpecturis, Salutem. Vt verus & perfectus amor, & ingentis beneuolentiæ nexus, qui ſemper inter Chriſtianiſſimos Francorum Reges, progenitores noſtros, & Illuſtres Principes Romani Imperij Electores, laudabiliter viguerunt, ad nos non quidem minori dilectionis feruore, ſed quantum fieri poterit majori, vt decet, propagetur & extendatur, cum Illuſtribus Principibus Federico Romani Imperij Archimareſcallo & Electore, nec non Williermo, Germanis Ducibus Saxoniæ, Landgrauijs Turingiæ, Marchionibus Miſniæ, ac Burgrauijs Aldeburgenſiæ, conſanguineis noſtris cariſſimis, nouum fœdus, vt fixa conficiatur amicitia, iniuimus in vim, formam, & effectum qui ſequitur.

In primis quòd nos ſtatum, honorem, decus, & commodum prædictorum Ducum Federici, Williermi, ad vitam ipſorum toto poſſe procurare, tractare, & in hac parte ad conſeruationem earundem pro viribus concurrere, ac damnum, jacturam, moleſtiam, & ſtatus diminutionem euitare tenebimur, quantum cum honore facere poterimus. Item, quòd ad deffenſionem & offenſionem

Digitized by Google

Domini præfati Duces vexarentur, & nos requiſiti fuerimus, concurrere; amicos quoque ipſorum pro amicis, & inimicos pro inimicis habere tenebimur: ita tamen quòd nos nullum, qui dictorum Ducum ſubditus aut vaſſallus fuerit, pro amico dicere, nominare, vel reputare poterimus, nec ſub amicitiæ velamine, vbi contra talem ſuum ſubditum ſiue vaſſallum ipſorum Ducum guerram mouere placuerit, aliquid in contrarium dicemus, proponemus, vel allegabimus; ſed ſi opus fuerit, & per ipſos Duces nos requiri contigerit, auxilium, ſuccurſum, aut fauorem pro viribus elargiri tenebimur: quantum hæc, vt præferuntur, per nos cum requiſiti fuerimus cum honore fieri poterunt. Item, vbi per antedictos Duces contra communem noſtrum & ipſius ſubditum, ſiue vaſſallum, guerram moueri contigerit, nos contra talem vaſſallum & communem ſubditum fauorem dare non tenebimur, ſed licitè valebimus in hoc caſu à ſuccurſu & auxilio abſtinere. Item, ſubditos ſeu vaſſallos dictorum Ducum, qui nobis minimè ſubijciuntur, pro amicis reputabimus, ita quòd contra tales nobis guerram facere non licebit, aut moleſtiam inferre. Item, dominia, ditiones, terras, caſtra, oppida, villagia, ciuitates, & loca dictorum Ducum præſentia & futura, cum armatorum copia, ſeu armorum gentibus non ingrediemur, neque gentes noſtræ armatæ ingredientur, niſi ad ſuccurſum vocati per ipſos Duces, aut eorum licentia concederetur. Item non obſtante hujuſmodi confœderatione liberum erit omnium rerum & victualium, præterquam armorum, commercium, etiam inter hoſtes & diffidatos, nec per hujuſmodi commercium inter hoſtes noſtros, & dictos Duces hæc confœderatio in aliquo violata cenſebitur: ita quòd ſubditi & vaſſalli noſtri, aut dictorum Ducum, per terras & aquam mercari, & merces hinc inde ferre, emere, vendere, & permutare, inter hoſtes, & loca hoſtium, vt præfertur, poterint pro libito voluntatis. Item, præfati Duces ſuccurſum à nobis petentes, illum habere debebunt & à nobis conſequi, ſuis quidem ſumptibus & expenſis ad rationem pro quolibet armorum homine, & archerijs conſuetis, juxta ritum Franciæ, & morem hacte-

nus in guerris obſeruatum, vt ſubſequitur: videlicet pro quolibet armorum homine ad rationem quindecim francorum, & pro quolibet archerio ad rationem ſeptem francorum cum dimidio per menſem, & quilibet .... vni archerio æquiparetur.

Item, nos expreſsè perſonas Summi Pontificis, & Illuſtriſſimorum Hiſpaniæ, Siciliæ & Scotiæ Regum præſentium & futurorum, ac Illuſtrem Principem filium noſtrum cariſſimum Sigiſmundum Auſtriæ Ducem, eorúmque & cujuſlibet ipſorum dominia excipimus, ita quòd nulli præſcriptorum, ac terris, locis, caſtris, & dominijs ſuis per dictos Duces guerra moueri debebit aut moleſtia inferri, ſed vt amici vtriuſque partis eſſe cenſebuntur, horum prædictorum exceptorum numero dilectum Conſiliarium & Cambellanum noſtrum Ioannem Dominum de Feneſtrangis Militem, eius terras & dominia ſubjungentes, ita quòd dictis Ducibus eidem Cambellano noſtro, ſuíſque dominijs guerram inferre minimè liceat, ſed vt amicus & confœderatus hinc inde cenſeatur. Item, quoniam optima eſt & quaſi ſpes pacis indubitata inter nos & Illuſtriſſimum Angliæ Regem, communi noſtro & dictorum Ducum conſenſu, idem Rex Angliæ pro excepto habebitur; ita quòd nec nobis ipſorum Ducum auxilium & fauorem, neque ipſis Ducibus noſtrum auxilium & fauorem contra Angliæ Regem implorare licebit; nobis quoque non licebit eidem Angliæ Regi contra ipſos Duces, nec ipſis Ducibus contra nos præfato Angliæ Regi ſuccurſum aut fauorem quouis modo elargiri.

Præmiſſa omnia & ſingula nos bona fide, & in verbo Regio loco præſtiti juramenti, præſentium tenore præfatis Ducibus pollicemur firmiter obſeruare quantum cum honore poſſumus, dolo, & fraude prorſus excluſis. In cuius rei teſtimonium præſentes literas exinde fieri, & ſigillo noſtro juſſimus communiri. Datũ Nancei in Lotharingia, die vigeſima tertia menſis Februarij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, Regni noſtri vigeſimo tertio. Per Regem in ſuo conſilio. CHALIGAVT.

PROPOSITIO-

Digitized by Google

PROPOSITIONES

Ad dirimendum ſchiſma tempore Amedei, Felicis Papæ V. nuncupati, exortum, ac pacem Eccleſiæ conciliandam.

Circa An. Chr. 1447.

Ex Autographo D. d'Herouual.

LXII. ADVISAMENTA pro pace & vnione in Eccleſia dandis.

Primò, Quòd Dominus FELIX det ſuas literas in bona & ſecura forma, de renuntiando Papatui in Baſilienſi Concilio ſtatim habitis literis ſuper ſecuritatibus, & alijs infrà ſcriptis.

Secundò, Habeantur literæ Domini NICOLAI, per quas omnes priuationes, ſuſpenſiones, inhabilitationes, proceſſus, ſententiæ, cenſuræ, & pœnæ contra præfatum Dominum Felicem, contra Baſilienſe Concilium, ſeu illos qui ſunt aut fuerunt in Baſilea, ac eis adhærentes & obedientes cujuſcunque dignitatis, præeminentiæ, aut ſtatus, etiamſi Pontificalis, Ducalis, Cardinalatus, aut Regalis exiſtant: nec non communitates, ciuitates & oppida, præſertim Baſilienſe, occaſione huius diuiſionis per olim EVGENIVM in ſuis Ferrarienſi ac Florentina, aut quauis alia, ſub nomine generalis Concilij, congregationibus, aut alterius, vel per ipſum Dominum Nicolaum, aut alium, ſeu alios ipſorum, vel alicuius eorum auctoritate factas aut fulminatas; decernet effectum ſortiri non debere, ſed perinde haberi ac ſi non emanaſſent: fiántque abſolutiones, diſpenſationes, habilitationes, & reſtitutiones hinc inde ad cautelam.

Tertiò, Habeantur literæ ipſius Domini Nicolai in meliori forma, per quas omnes priuati & ſpoliati ſuis Eccleſijs Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Dignitatibus, Monaſterijs, Prioratibus, Beneficijs, & Officijs Eccleſiaſticis; necnon terris, feudis, poſſeſſionibus, & rebus alijs quibuſcunque, ratione & ad cauſam prædictę diuiſionis, in priſtinum plenè & in integrum reducantur, & reponantur; & ſuper hoc habeantur literæ in for-

tiori forma, velintque Reges & Principes dare fauores & operam efficacem, vt hujuſmodi literæ ſuum ſortiantur effectum.

IV. *Item*, Quòd omnes Domini Cardinales vtriuſque obedientiæ cum honoribus, prærogatiuis, præeminentijs, emolumentis debitis & conſuetis remaneant, vt tales habeantur, reputentur, & honorentur. Quòd ſi duo vel plures in eodem titulo concurrerint, prouideatur quemadmodum in Conſtantienſi Concilio actum extitit.

V. *Item*, Quòd omnes Officiarij actu in Curia dictorum Domini Felicis, & Baſilienſis Concilij reſidentes, in ſuis officijs remaneant, & ad eorum exercitium liberè, & ſine aliqua contradictione admittantur. Vbi autem duo in eodem officio concurrerint, qui officium non obtinebit, habeatur recommiſſus.

VI. *Item*, Dabit præfatus Dominus Nicolaus literas ſuas, per quas actualiter & irreuocabiliter ex tunc conuocet, quantum in eo eſt, Concilium generale, in aliquo loco nationis Gallicanæ, prima die ſeptimi menſis, poſtquàm adimplenda per Baſilienſe Concilium & dictum Dominum Felicem fuerint executioni demandata & adimpleta, inchoandum : promittétque ipſe Dominus Nicolaus ipſam conuocationem per vniuerſas prouincias publicare modo conſueto, & hoc infra tres menſes poſtquàm prædicta fuerint adimpleta. Etiam ſtatim poſt adimpletionem huiuſmodi mittendo literas conuocatorias cum omnimoda diligentia, vt conſuetum eſt ; in bullíſque ſuis apponentur omnes clauſulæ, & cautelæ poſſibiles, etiam cum juramento, pollicitatione, & voto de non reuocando, prorogando, mutando, vel impediendo dictam celebrationem Concilij in huiuſmodi termino.

VII. *Item*, Dabit literas approbatorias & confirmatorias, prouiſionum Eccleſiarum Patriarchialium, Metropolitanarum, Cathedralium ; diſpoſitionum, collationum, Monaſteriorum, dignitatum in Metropolitanis & Cathedralibus poſt Pontificales majorum, aut in Collegiatis principalium, beneficiorum ſecularium & regularium, commendarum, adminiſtrationum, penſionum, diſpenſatio-

Digitized by Google

num, indulgentiarum, priuilegiorum, incorporationum, vnionum, & aliarum quarumcunque conceſſionum, gratiam aut juſtitiam quomodolibet concernentium in locis, perſonis, & rebus obedientiæ præfati Domini Felicis, vel Baſilienſis Concilij, per ipſos Dominum Felicem & Concilium, aut Legatos eorundem, & quoſcunque alios de ipſorum auctoritate & mandato conjunctim & diuiſim factarum. Et hoc quoad poſſeſſores Eccleſiarum, & beneficiorum, commendarum, adminiſtrationum & penſionum prædictorum, rejectis, caſſatis, & annullatis per literas hujuſmodi quibuſcunque poſſeſſionibus per olim Eugenium, per ipſum Dominum Nicolaum, aut quoſcunque alios de eorum auctoritate factis; vnicuique tamen jure ante hujuſmodi diuiſionem quæſito, ſemper ſaluo: verùm ſi in vna obedientia duo vel plures ſuper vno, vel pluribus beneficijs litigarent, conditio poſſeſſoris non poſſidenti nullatenus præjudicet, ſed cuilibet ſuum jus illæſum permaneat. Per eaſdem etiam literas aboleantur & caſſentur ſententiæ in curia ſui prædeceſſoris & ſua, contra obedientes præfato Domino Felici & Baſilienſi Concilio inauditos vel indefenſos, qualitercunque poſt hanc diuiſionem ſubortam latæ.

VIII. *Item*, Si aliqui poſſideant Eccleſias aut beneficia, quarum vel quorum caput in vna obedientia, & aliqua membra in altera exiſtant, membra reducantur ad caput; ſine tamen præjudicio illorum qui in Eccleſijs & beneficijs ante hujuſmodi diuiſionem jus habebant, in quo & poſſeſſione ſua conſeruentur.

IX. *Item*, Dabit præfatus Dominus Nicolaus literas, per quas promittet habere ratam & gratam prouiſionem rationabilem, honeſtam, & condecentem pro ſtatu, honore, ac quiete Domini Felicis, per Baſilienſe Concilium rationabiliter ac honeſtè aduiſandam & concludendam, in alio Concilio futuro approbandam & confirmandam. Quibus quidem præmiſſis literis in extenſiori, fortiori, & meliori forma habitis, præfatus Dominus Felix decernet omnes ſuſpenſiones, priuationes, inhabilitationes, proceſſus, fulminationes, ſententias, cenſuras, pœnas nomine & au-

ctoritate ſuis, vel alicuius ab ipſo auctoritatem habentis, emanatas occaſione huius diuiſionis contra quoſcunque cujuſcunque dignitatis, etiamſi Papalis, Imperialis, Regalis, Cardinalatus, Ducalis, Pontificalis, aut alterius exiſtant, effectum ſortiri non debere; ſed perinde haberi ac ſi non emanaſſent: fiántque abſolutiones, diſpenſationes, habilitationes, & reſtitutiones, hinc inde ad cautelam. Quantum autem ad poſſeſſores, conceſſiones, & collationes Eccleſiarum, Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, dignitatum, beneficiorum, ſecularium, & regularium, commendarum, adminiſtrationum, penſionum quarumcunque validæ firmæque maneant, approbentur, & ratificentur, &c. Dummodò hujuſmodi Eccleſias, beneficia, & adminiſtrationes, penſiones & commendas, per priuationem occaſione iſtius diuiſionis ſubortæ, ipſi poſſeſſores non acquiſiuerint. Et ſuper hoc habeantur literæ in meliori forma.

X. *Item*, Poſt prædictarum ſuſpenſionum, priuationum, inhabilitationum, &c. caſſationem, & annullationem, ad ſtatum ipſe Dominus Felix, facta priùs nominatione loci pro generalis Concilij in Natione Gallicana celebratione, habitis literis ſupradictis, renunciabit actualiter & effectualiter Papatui in Concilio Baſilienſi: quod quidem Concilium, poſtquàm ipſe Dominus Felix renuntiauerit, ſimiliter decernet omnes ſuſpenſiones, priuationes, inhabilitationes, proceſſus, fulminationes, & cenſuras, & pœnas nomine & auctoritate ſuis, vel alicuius ab ipſo auctoritatem habentis, emanatas occaſione huius diuiſionis contra quoſcunque cuiuſcunque dignitatis, etiamſi Papalis, Imperialis, Regalis, Cardinalatus, Ducalis, Pontificalis, aut alterius exiſtant, ... effectum ſortiri non debere, quinimò quòd perinde habeantur ac ſi non emanaſſent. Quantùm autem ad poſſeſſores, conceſſiones, & collationes Eccleſiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, dignitatum, beneficiorum ſecularium & regularium, commendarum, adminiſtrationum, penſionum quarumcunque validæ firmæque maneant, approbentur, & ratificentur .... Dummodò hujuſmodi Eccleſias & beneficia,

Digitized by Google

adminiſtrationes, penſiones, & commendas per priuationem occaſione iſtius ſubortæ diuiſionis ipſi poſſeſſores non acquiſiuerint: & ſuper hoc habeantur literæ in meliori forma.

XI. *Item*, Idem Concilium Baſilienſe ordinabit, bonis reſpectibus & conſiderationibus latiùs exprimendis, & præſertim propter pacem & vnionem Eccleſiæ, quòd præfatus Dominus Nicolaus pro Summo Pontifice habeatur, ſtatuendo & ordinando quòd faciat & adimpleat ea quæ Summus Pontifex facere tenetur: mandabitque eidem tanquam Summo Pontifici ab omnibus Chriſti Fidelibus obediendum eſſe.

XII. *Item*, Poſt hoc, ipſum Baſilienſe Concilium ſtatim ſe diſſoluet modis debitis, ac juxta formam decretorum, ſaluis tamen infrà dicendis.

XIII. *Item*, Quòd cum literis præfati Domini dentur literæ ex parte Sereniſſimorum Dominorum Regum Franciæ & Angliæ, & aliorum, de beneplacito Domini Nicolai; per quas in verbo Regio, & quantùm in eis eſt, promittent quòd non poterit idem Dominus Nicolaus hujuſmodi ſuæ promiſſioni ſeu conuocationi contrauenire, reuocando hujuſmodi conuocationem, prorogando, mutando, obmittendo, vel quomodolibet celebrationem Concilij impediendo. Nihilominùs eo caſu mittent ſuos ad locum hujuſmodi, tempore ad hoc præfixo, tanquam ad Concilium generale, alióſque ſuorum dominiorum & adhærentium venire inducent; adhærebúntque illi, & obedient tanquam vero Concilio, dando ſaluos conductus conſuetos, faciendo, jubendóque fieri omnia & ſingula quæ pro celebratione & manutentione dicti Concilij neceſſaria videbuntur. Quòd ſi iſta vel alia ſufficiens ſecuritas haberi non poſſit, in eo defectu dictum Baſilienſe Concilium non tenebitur ordinare quòd prædictus Dominus Nicolaus pro Summo Pontifice habeatur, nec ſe diſſoluere citiùs quàm à prima die celebrationis vniuerſalis Concilij præfati. Ordinabit tamen ipſum Concilium ſtatim habitis literis Domini Nicolai, quòd illa prima die inchoationis futuri Concilij adueniente ceſſabit, & cenſebitur eſſe ipſo

facto diſſolutum : mandabítque ipſi Domino Nicolao ab illa prima die præfati Concilij actualiter inchoati tanquam Summo Pontifici per omnes fore obediendum ; Statuendo etiam & ordinando quòd ipſe Dominus Nicolaus facere debeat quæ Summus Pontifex facere tenetur : & de hoc habeantur literæ præfati Concilij in meliori forma. Si autem dictus Nicolaus directè vel indirectè impediret quominùs dictum Concilium futurum celebraretur , eo caſu renunciatio & ordinatio ſupradictę pro infectis habeantur.

An. Chr. 1447. d. 18. Iunij.

Com. D. d'Herouual.

PRO PACE ECCLESIÆ

Propoſitiones ad cogendum Concilium generale.

LXIII. ADVISATA in facto pacis Eccleſiæ, in quibus Reuerendiſſimus in Chriſto Pater & Illuſtriſſimus Princeps Dominus IACOBVS Archiepiſcopus Treuerenſis pro ſe, ac Illuſtribus Principibus Dominis T. Archiepiſcopo Colonienſi , L. Comite Palatino Reni Duce Bauariæ, & Friderico Duce Saxoniæ, ſuis Coëlectoribus , ſe conformare voluit Sereniſſimo & Chriſtianiſſimo Domino Regi Francorum in modum qui ſequitur.

Primò enim deſiderant ipſa Regia Majeſtas, & præfati Domini quatuor Electores ſui confœderati , quòd bona pax & tranquillitas vigeat inter viros Eccleſiaſticos vbique per orbem, ex qua cæteri ſtatus meliùs diſponentur, & magna bona vniuerſæ Chriſtianitatis proueniant : intendúntque efficaciter laborare , quòd diuiſiones & differentiæ modernis temporibus exiſtentes in Eccleſia Dei primitùs ſedentur & pacificentur: quódque vnum Concilium generale pro bono Eccleſiæ celebretur ; in quo magna bona , Deo concedente, procurabuntur ; nec non quòd Conciliorum generalium auctoritas refloreat , & ab omnibus indebita reuerentia & obſeruatione habeatur.

Et quoniam hactenus magnæ & penè inextricabiles altercationes interuenerunt inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. & Concilium Baſilenſe, ac eos qui eidem interfuerunt ; variíque proceſſus , ſiue cenſuræ , pri-

Digitized by Google

uationes,& pœnæ, hinc inde occaſione præmiſſorum emanarunt, & adhuc aliqui in Baſilea, aliqui in Laterano ſe Concilium habere dicunt, quibus altercationibus finem expedit imponere, vt citiùs & conuenientiùs pax in Dei Eccleſia haberi, nec non ad pacatam & fructuoſam celebrationem vnius Concilij generalis perueniri poſſit. Conſiderantes Rex, & præfati Principes Electores, quòd Catholica vniuerſalis Eccleſia diffuſa per orbem & communitas Fidelium, vt plurimùm hujuſmodi proceſſus, ſententias, cenſuras, priuationes, & pœnas, &c. hinc inde emanatas, non recepit, nec gratas habuit, licet jam ad informationem de ijs habendam magnũ tempus effluxerit: Volentes inniti ipſe Rex,& prædicti Domini Principes Electores auctoritati & obſeruationi ipſius vniuerſalis Eccleſiæ, & eam inſequentes, atque efficere ſatagentes quæ eiuſdem Eccleſiæ paci congruunt, ſicuti pacem ipſam proſequi intereſt Principum & Prælatorum, viſum eſt diſponendum & ordinandum, firmitérque obſeruandum, etiam quantum ad Dominum Ducem Sabaudiæ & dominia ſua, qui diſpoſitioni & ordinationi Regis ſtare promiſit, atque apud omnes vbi opus erit proſequendum, quòd ſicut communior Eccleſiæ obſeruatio huc vſque habuit, præfati proceſſus, ſententiæ, cenſuræ, priuationes & pœnæ, occaſione præmiſſorum, & omnium ex eis dependentium. Eſto etiam quod in hujuſmodi cenſuris priuationibus, &c. aliæ cauſæ adderentur hinc inde emanatæ, & quæcunque mandata, ordinationes ſeu dicta conſcripta, aut quomodolibet acta ſeu geſta in hujuſmodi rerum proſecutione, cujuſcunque, vel quorumcunque aduerſus quemcunque, vel quoſcunque, omniſcunque ſtatus, gradus, dignitatis vel conditionis, etiam ſi Papalis, Cardinalatus, Archiepiſcopalis, vel Epiſcopalis, exiſterent; ſeu quocunque nomine etiam Papæ vel Concilij hæc facta ſunt, pro non factis habeantur: quorum omnium tenores hîc habeantur pro expreſſis, etiamſi talia ſint de quibus mentio ſpecialis de verbo ad verbum habenda foret. Eſto etiam quòd talia vniuerſalem Eccleſiam & auctoritatem Conciliorum vniuerſalium, aut Sedis Apoſtolicæ concernant quouiſmodo:

omníſque diſſenſio, diuiſio, & ſciſſura occaſione horum proueniens, penitùs auferatur & dimittatur, & ac ſi nunquam prædicta facta fuiſſent. Tractatus pacis & concordiæ inter præfatum Papam Eugenium, & omnes & ſingulos qui Concilio Baſilienſi interfuerunt, ſeu tanquam eidem Concilio, aut geſtis eius adhærentes, cum eo, ſeu ipſe cum eis, aliquas differentias habuerunt, aduiſatus per ipſum Chriſtianiſſimum Dominum Regem Francorum continuetur & perficiatur. Reſpectu S. D. N. Nicolai Papæ V. cui per eoſdem qui Concilio Baſilienſi, aut geſtis eius quouiſmodo adhæſerunt, fauerunt, aut obediuerunt, & per quoſcunque alios qui præfato Eugenio aut ipſi S. D N. Papæ Nicolao contrariati fuerint, omnis honor, reuerentia, & obedientia, eíſque per ipſum S. D. Papam Nicolaum omnis amor & paterna dilectio abſque prædictorum recordatione exhibeatur. Quódque deinceps ab appellatione Concilij generalis, tam in Baſilea, quàm in Laterano (quæ appellatio non jam vnitati Eccleſiæ de cætero proficeret, ſed obeſſet) penitùs ceſſetur, vt ſic omni impedimento ſublato ad Concilium generale, ſicut præmittitur, habendum, quod ab omnibus Chriſtianis in vnanimitate & concordia reputetur, peruenìri poſſit.

Non tamen intendunt præfati Domini, quòd per prædicta, decretis acceptatis cum ſuis modificationibus tam in Imperio, quàm in Regno Franciæ, aliquod intelligatur præiudicium generari.

Item, Quòd vnicuique volenti habere literas ſuper prædictis, expediantur in forma meliori.

Dignum inſuper arbitrantur Regia Majeſtas, & Principes Electores præfati, & ad hoc operam cum effectu impendent, quòd Patri Domini Ducis Sabaudiæ ſe prædictæ obſeruationi communis vniuerſæ Eccleſiæ diffuſæ per orbem conformanti, & promiſſionem eiuſdem Domini Ducis filij ſui præfato Chriſtianiſſimo Regi factam, quæ ipſo Patre ſciente & non cõtradicente nec prohibente in dubio facta præſumitur, amplectenti cum effectu; atque pro tanto bono pacis Eccleſiæ omninò nomen & titulum Papatûs dimittenti honor exhibeatur, ac ſtatum, honorabilémque

prouiſionem

Digitized by Google

prouiſionem in Eccleſia habeat : necnon etiam quòd per eum promoti ad dignitates & honores Eccleſiaſticos, qui eos acceptarunt, & ad beneficia quæcunque, qui ipſorum beneficiorum poſſeſſionem pacificam habent, in ſua obedientia eadem aſſequantur & obtineant. Et ſimiliter de ijs qui ſub nomine generalis Concilij Baſilienſis promoti ſunt in eorum obedientia, officiarijs quoque ſuis omnis conſolatio poſſibilis fiat, qui tam in Romana Curia, quàm ſub adminiſtratione Domini Patris præfati Ducis Sabaudiæ habebuntur recommiſſi : aliqua tamen ſuper prædictis priuationibus & promotionibus aliquos particulares tangentia, bonum huius negotij concernentia intendit Rex aperire & moderare in concluſiones huius concordiæ.

Vltra prædicta ſuper loco & tempore futuri Concilij videbatur prædictis Dominis Principibus Electoribus, quòd haberet fieri in vno quinque locorum in Almania nominatorum, ſed Domino Regi Franciæ propter rationes quamplures videtur, & iſta inſtare intendit, quòd locus Concilij rebus gerendis accommodus determinetur in ſuo Regno : Veruntamen quantum ad tempus aduiſatum eſt inter ipſum Dominum Regem Francorum, & Principes Electores præfatos, quòd videtur omnibus ipſis procurandum, vt incipiat illud Concilium de Kalendis Septembris proximè futuris ad annum.

Item, Inſtabit Dominus Rex Francorum, quòd S. D. Nicolaus Papa V. Concilium Conſtantienſe, Decretum ſequens, & alia eius decreta, ſicut cætera Concilia, Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, honorem, & eminentiam, ſicut & cæteri Anteceſſores ſui, ſuſcipiet, amplectetur, & venerabitur.

Item, Quod Dominus Rex Francorum & quilibet ſuorum Confœderatorum habeat Bullas ſuper indictionem futuri Concilij, & ſuſceptione prætacta ſi obtenta fuerit.

Item, Si Dominus Sabaudiæ, vel Dominus Pater eius, ſeu quicunque eidem adhærentes, ijs pacis & concordiæ medijs, de quibus in præſenti cedula continetur, repugnauerint, aut acquieſcere noluerint, ſeu diſtulerint, quod non ſperatur, & deinceps contra eos, aut eorum aliquos

per S. D. N. Nicolaum Papam procedatur, non confidant quòd de cætero in pacificandis, quantum ad eos, negotijs Rex, & præfati Principes Electores, quomodolibet ſe intromittant, quinimmò intendunt omnibus vijs & modis juſtis & rationabilibus præbere auxilium & fauorem proceſſibus, cenſuris, & excommunicationibus contra tales fiendis, maximè poſtquam contenta in præſentibus aduiſamentis fuerint per S. D. Papam Nicolaum concordata.

Item, Supradictis aduiſamentis ſupranominatus Reuerendiſſimus in Chriſto Pater & Illuſtriſſimus Princeps Dominus IACOBVS Archiepiſcopus Treuerenſis pro ſe, nec non Venerabilis [illegible]nes de Linſſi vtriúſque juris Doctor, pro parte Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Illuſtriſſimi Principis Domini Theodorici Archiepiſcopi Colonienſis; & Magiſter Henricus Engellard pro parte Illuſtriſſimi & Excelſi Principis Domini Frederici Ducis Saxoniæ, & ſacri Romani Imperij Principum Electorum miſſi Ambaſſiatores ad præfatum Chriſtianiſſimum Dominum Regem Francorum, pro prædictis Dominis Archiepiſcopo Colonienſi, & Duce Saxoniæ, in vim literarum credentialium per eos nuperrimè exhibitarum præfato Chriſtianiſſimo Domino Regi Francorum, ſe conformant & concurrunt in modum qui ſequitur: ſcilicet quòd prædictorum aduiſamentorum proſecutio fiat diligenter apud Dominum Patrem Domini Ducis Sabaudiæ, & alios vbi erit opportunum, ex parte præfati Sereniſſimi & Chriſtianiſſimi Domini noſtri Regis Francorum, concurrentibus in hoc ſecum & ſe eidem conformantibus præfatis Domino Archiepiſcopo Treuerenſi, & Ambaſſiatoribus ipſorum duorum Archiepiſcopi Colonienſis, & Ducis Saxoniæ, propter multa pericula quæ interuenire poſſent, ſi pratica & expeditio præmiſſorum protraherentur in longum: dummodò tamen præfatis Dominis Archiepiſcopis Treuerenſi & Colonienſi prouiſiones neceſſariæ pro eorum & omnium ſuorum, vt præmittitur, ſecuritate & indemnitate, & literæ deſuper oportunæ S. D. N. Papæ Nicolai ſub motu proprio in forma meliori, ſecundum apunctuata in prædictis cedulis, tradantur & deliberentur. Factum

Bituricis vigeſimo octauo die Iunij, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

INSTRVCTIONS

Circa An. 1447.

Ex Autographo D. d'Herouual.

A Monſeigneur de Reims, Monſeigneur de Clermont, Monſeigneur de la Fayete Mareſchal de France; Maiſtre Helies de Pompadour, Maiſtre Thomas de Courcelles, Maiſtres en Theologie; De ce qu'ils ont à faire de par le Roy touchant la matiere de la Paix, & vnion de l'Egliſe.

LXIV. PREMIEREMENT, ſe tranſporteront en la Ville de Lyon, & excuſeront enuers l'Arceueſque de Tréues, & auſſi enuers les gens de Monſieur de Sauoye, le retardement de leur allée pour la venuë de l'Arceueſque d'Aix, auec lequel a fallu communiquer & beſongner ſur les matieres de l'Egliſe : parquoy a fallu que leſdits Ambaxadeurs ayent attendu meſmement pour le bien d'icelles matieres.

Item, Que les deſſuſdits beſongneront le plus diligemment qu'ils porront auec les gens de mondit Sieur de Sauoye, & auec l'Arceueſque de Tréues & les autres Coelecteurs, ainſi & en telle maniere qu'ils aduiſeront pour le mieux, & qu'ils verront que le bien des matieres le requerra, & en abregent la concluſion le plus qu'ils pourront.

Item, Et s'il eſt beſoin, & ils voyent que ce ſoit le bien des matieres, pourront aller ou enuoyer aucuns d'eux par deuers mondit Sieur de Sauoye, parler à luy, & y beſongner ainſi qu'ils verront eſtre à faire.

Item, Et au regard du pere de mondit Sieur de Sauoye, ſemble qu'ils ne y doiuent point aller ſi les choſes ſe peuuent faire autrement : Mais toutesvoies s'ils voient que l'allée d'eux, ou d'aucuns d'eux y feuſt ſi prouffitable, que vray ſemblemment bonne concluſion en peuſt aduenir,

ils y iront ou enuoyeront, ainſi qu'ils verront eſtre pour le mieux.

Item, Et pareillement, ſi le Cardinal d'Arles, ou aucun autre de Baſle venoit, les deſſuſdits pourront aller ou enuoyer vers eux en aucun lieu qu'ils verront qui ſera propice, & la beſongner auec eux.

Item, Et s'ils vouloient venir à Lyon, ſemble qu'il ne ſeroit pas expedient que ledit Cardinal d'Arles, ne autre Cardinal y veinſt; & quoy que ſoit ne leur deuroit eſtre ſouffert de porter enſeigne de Cardinal. Et pour ce s'ils y vouloient venir, ou s'il ſembloit aux deſſuſdits qu'il feuſt expedient qu'ils veinſſent audit Lyon, faudroit qu'ils entraſſent ſans chappeau, & ſe teinſſent en leurs logeis; ou s'ils alloient par ville, qu'ils ne portaſſent point enſeigne de Cardinal; & quoy que ſoit eu regard des nouueaux, autres que ledit Cardinal d'Arles.

Item, Et bailleront ou enuoyeront les deſſuſdits les lettres que le Roy eſcrit à mondit Sieur de Sauoye, ainſi qu'ils aduiſeront eſtre expedient; & luy diront ou feront ſçauoir leur creance, laquelle ils aduiſeront eſtre le mieux. Et en leur creance luy diront & remonſtreront qu'il eſt beſoing que ſondit pere delaiſſe cette pretenduë dignité, & qu'il s'en departe du tout, & que par ce moyen vnion & paix ſoit en l'Egliſe: & en ce faiſant le Roy s'employera à faire faire la choſe en la meilleur forme qu'il pourra, & à en tenir promeſſe honorable & prouffitable audit pere de mondit Sieur de Sauoye, ainſi que à ſes Ambaxadeurs a eſté dit & remonſtré, & le porteront à cette fois par les meilleurs manies, & és meilleurs termes qu'ils verront eſtre à faire, en demandant ſur ce reſponce, & ſa finale entention.

Item, Et pour mettre concluſion en cette matiere, traiteront & practiqueront les deſſuſdits, ou feront practiquer & traicter en & par toutes les bonnes manies qu'ils pourront, & verront eſtre à faire tant auec mondit Sieur de Sauoye, que auec ceux de Baſle, a les reduire & faire venir à bonne vnion, en & ſoubs l'obeïſſance de noſtre ſainct Pere le Pape Nicolas, en la plus honorable forme & ma-

Digitized by Google

niere pour noſtredit ſainct Pere, & à la conſeruation de l'honeur & auctorité du ſainct Siege Apoſtolique qu'ils pourront, & à tout le moins és termes de la cedule & des aduis faits ſur la matiere deſſuſdicte.

Item, Et à pratiquer & conduire les choſes deſſuſdites confereront auec Monſieur de Tréues, & les Ambaxadeurs des autres Electeurs de l'Empire, & ſe ayderont d'eux, & de leur conſeil & aduis en ce qu'ils verront eſtre au bien des matieres.

Item, Et pareillement confereront les deſſuſdits auec les autres Ambaxadeurs des autres Preuotez & Seigneurs qui viendront audit Lyon pour ladite matiere, ſe aucuns y en vient, & ſe ayderont d'eux ainſi qu'ils verront que bon ſera.

Item, Et ſi les gens de mondit Sieur de Sauoye, de ceux de Baſle ou autres, vouloient auoir quelque ſeurté pour aller ou venir audit lieu de Lyon ou alieurs pour les matieres deſſuſdictes, ils les leurs bailleront telles, & pour tels temps qu'ils verront au cas appartenir.

Item, Et ſe les deſſuſdicts treuuent mondit Sieur de Sauoye, ſon pere, & ceux de Baſle, en diſpoſition de venir à appointement qui leur ſemble raiſonnable, ils le feront ſçauoir en toute diligence au Roy, pour auoir aduis qu'il ſera de faire au ſurplus.

Item, Et s'ils treuuent que mondit Sieur de Sauoye, ſondit pere, ou ceux de Baſle, ou aucuns d'eux voulſiſſent condeſcendre audit appointement, ils pourront vſer de telles exhortations, monitions, comminations, & autres manieres pour les attraire, qu'ils verront eſtre expedient de faire. Toutefuoies auant qu'on execute aucune choſe alencontre d'eux par cenſure Eccleſiaſtique, ou par l'auctorité du Roy, les deſſuſdicts aduiſeront le Roy de l'eſtat des matieres pour y auoir ſon aduis, & ordonner ce qui ſera à faire au ſurplus.

Item, Et au regard de mondit Sieur de Sauoye, s'il refuſoit ou differoit de condeſcendre audit appointement; les deſſuſdicts le ſommeront par vertu de la ſoubſmiſſion & obligation, & auec ce requerront & pourſuiuront d'auoir

Madame Yolant, & de la ramener vers le Roy en toutes les bonnes manieres qu'ils aduiſeront eſtre à faire.

Item, Souuent feront les deſſuſdicts ſçauoir au Roy de leurs nouuelles, & de l'eſtat & diſpoſition des matieres, afin qu'il y puiſſe touſiours pourueoir ainſi qu'il aduiſera.

Item, Et ſur les choſes deſſuſdictes, leſdicts Ambaxadeurs tendront & auront en ce qu'ils verront que beſoing ſera, le conſeil, aduis, & conſentement de l'Arceueſque d'Aix Ambaxadeur de noſtre ſainct Pere, & ainſi que auec luy on aduiſera eſtre à faire pour le bien des matieres.

NICOLAI PAPÆ V.

CAROLO VII. Francorum Regi.

AN. CHR. 1447. d. 21. Martij.

Ex Autographo D. d'Herouual.

Regem reddit certiorem de ſui electione in Summum Pontificem, rogátque vt in eius regno ea de cauſa fiant ſupplicationes.

LXV. NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Cariſſimo in Chriſto filio CAROLO Regi Franciæ Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Immenſa ſummi Dei bonitas & ineffabilis prouidentia volens mundum primi parentis præuaricatione damnatum per ſuam immenſam caritatem ab æterna morte redimere, Filium ſuum vnigenitum noſtræ mortalitatis carnem ſuſcipere voluit, vt per eius ſacratiſſimam paſſionem depulſa priorum caligine delictorum, nos ad cœleſtia regna euocaret. Qui cùm eſſet in terris prædicans regnum Dei, Apoſtolos ſibi elegit, vt ſuorum imitatores operum Eccleſiam ſanctam ſuam poſt eius ad cœlos glorioſiſſimam aſcenſionem regerent, & acceptam ab eo gratiam inter homines diffundentes, illam multiplicato fructu redderent ampliorem. Inter ipſos autem Petrum Apoſtolorum Principem & Caput Eccleſiæ conſtituit, data ſibi & ſuis ſucceſſoribus ſoluendi & ligandi plenaria poteſtate. Neceſſe enim fuit, cùm ſit vnicuique finis huius vitæ conſtitutus, vt Petri auctoritas, dignitas & poteſtas transfunderetur ad eius in Romana Eccleſia ſucceſſores, vt eſſet vſque ad conſummationem ſæculi qui Chriſtum repreſentans, eſſet caput Eccleſiæ ſuæ, & ſoluendi & ligandi poteſtatem vicariam obtine-

Digitized by Google

ret. Cùm igitur per hanc ab ipſo Petro continuatam Romanorum Pontificum ſucceſſionem fœlicis recordationis EVGENIVS Papa IV. prædeceſſor noſter, qui Summus Romanæ Eccleſiæ Pontifex, & verus IESV CHRISTI Vicarius in ſede Petri hactenus præfuit, in hac alma Vrbe diem ſuum claudens extremum, animam Deo reddiderit: ipſius funeris in Baſilica Principis Apoſtolorum exequiarum celebratione ſolemni de more & juxta obſeruatam conſuetudinem ſubſecutâ; Nos vnà cum Venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, Romæ in Conuentu B. MARIÆ de Minerua, loco ad id ex rationabilibus cauſis per ipſos Fratres concorditer electo, modo & tempore congruis Conclaue ingreſſi ſumus pro futuri Pontificis electione; vbi tertia die, quæ fuit ſexta præſentis menſis, Miſsâ in honorem ſancti Spiritus de more celebratâ, poſt diligentem tractatum (prout tantæ rei dignitas poſcebat) habitum, prædicti Fratres eius qui inuocatus fuerat gratiâ eorum cordibus infusâ, nos tunc Tituli ſanctæ Suſannæ Presbyterum Cardinalem in Summum Pontificem elegerunt, graue onus & noſtris viribus impar noſtris humeris imponendo.

Nos igitur licet humilitatem noſtram, & imbecillitatem ad tanti ponderis ſarcinam deferendã cognoſceremus, tamen confiſi quòd is, qui elegit humiles vt fortia confunderet, vota noſtra adjuuando proſequetur, nec deſeret ſperantes in ſe, ſuſcepimus onus impoſitum nobis, ea etiam ſpe nos hortante, quòd tuæ & aliorum Chriſti Fidelium pro nobis ad Altiſſimũ porrectæ orationes & preces, nobis auxilium ad regendum ſuam Eccleſiam apud Saluatorem noſtrum vberiùs impetrabunt, & fortiorem reddent ad tantum regimen infirmitatem noſtram. Idcircò exhortamur in Domino tuam Serenitatem, vt indicere velis, vt ſolemnes proceſſiones cum celebratione Miſſæ ſancti Spiritus fiant in Regno tuo, & ſimul precibus omnium Fidelium Altiſſimo ſupplicetur, vt nobis gratia ſua aſſiſtat, & dirigat actus noſtros, vt poſſimus condignè regere Eccleſiam ſanctam ſuam, & ea agere quæ ſpectent ad ſalutem animarum

Fidelium, extirpationem hæreſis, pacem populi Chriſtiani, & infidelium oppreſſionem. Nos quidem inter cætera intendimus in releuamen Eccleſiarum omnium, cùm noſtræ curæ commiſſæ ſint, reducere Cameram Apoſtolicam ad antiquos & laudabiles mores: diſpoſiti quoque ſumus omnia agere, quantùm permittet Deus, quæ ſpectant ad honorem & ſtatum tuum & Regni, & complacentiam votorum tuorum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto *, duodecimo Kalendas Aprilis. Pontificatus noſtri anno primo. A. DE MAGIO.

* *Antiquo ſcilicet computandi more.*

NICOLAI Papæ V.

AN. CHR. 1447. d. 12. Decembr.

Ex D. d'Heronval.

Amedeum omni dominio Sabaudiæ priuatum, atque illud ad Regem Franciæ deuolutum declarat. Deinde Fideles adhortatur vt ſumant arma in Amedeũ eiúſque ſequaces.

LXVI. NICOLAVS ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Quàm ſit plena periculis & horrenda ſchiſmaticorum immanitas, qui vineam Domini Sabaoth, & inconſutilem Chriſti veſtem diuidere ſatagunt & turbare nituntur, animarũ illorum perditio docet, qui non veri baptiſmatis fonte renati, aliáque ſuſcipientes nulliter Sacramenta, viam vniuerſæ carnis ingreſſi in tetrum barathrum dilabuntur. Contra quos licet per fœlicis recordationis EVGENIVM Papam IV. Prædeceſſorem noſtrum, ſacráſque & œcumenicas Ferrarienſem, Florentinam, & Lateranenſem Synodos plurimi proceſſus tam generales quàm ſpeciales habiti fuerint, diuerſas pœnas & ſententias continentes, quas in ſuo robore volumus permanere, & habere præſentibus pro expreſſis: Ex paſtoralis tamen ſollicitudinis cura, quam habere erga gregem Dominicum perurgemur, ad iniquitatis alumnum AMEDEVM olim Sabaudiæ Ducem, eiúſque fautores, adhærentes, complices, & ſequaces, (ne ipſorum inualeſcente malitiâ furor huius tempeſtatis inualeat, & ad ſimilia animos aliorum inducat, præſertim in regno Franciæ, cui vicina Sabaudia eſt & proxima, & à quo illius Regum operâ infinita bona Catholicæ fidei, omníque Chriſtiano populo, continuatis temporibus prouenerunt) oculos congrua animaduer-

animaduerſione conuertimus, vt hujuſmodi prauorum nequitijs, quantùm cum Deo poſſumus, opportunis remedijs occurramus,

Conſideratione igitur præmiſſorum, diligenti cum Fratribus noſtris deliberatione præhabita, ad ipſorũ Amedei fautorum, adhærentium, complicum, & ſequacium proteruiam extirpandam, Cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum CAROLVM Francorum Regem Illuſtrem (quem poſt progenitores ſuos Franciæ Reges, qui, vt exacti temporis antiquitas fidelis inſinuat, Romanam Eccleſiam multipliciter extulerunt, propugnatorem præcipuum & paratum ſemper inuenit) auctoritate Apoſtolica præſentium tenore vocamus, eíque Ducatum Sabaudiæ, omnémque ipſius Amedei notorij ſchiſmatici, hæretici, excommunicati & anathematizati terram; ac eius fautorum, adhærentium, complicum, & ſequacium, bona diuerſimodè hactenus confiſcata donamus, firma ſpe fiduciáque tenentes, quòd populi Ducatus & terræ hujuſmodi ad ouile Dominiipſius, Regis potentiâ reducentur; & per ſe vel dilectum filium LVDOVICVM Delphinum Viennenſem primogenitũ ſuum, aſſumpto Crucis ſignaculo contra præfatos Amedeum & ſequaces viriliter ſe accinget, & triumphum obtentum de hujuſmodi nefandis hoſtibus reportabit Et vt tam ſalubre negotium in manu forti & robuſta procedat, omnes Chriſti fideles ad hoc fidei exercitium ſalutare non ſolùm pijs exhortationibus, ſed etiam ſuperabundantibus grãtijs inuocamus. Et vt vniuerſi & ſinguli eò libentiùs & animoſiùs ad id currant, quò ſpiritualia dona, quæ temporalibus præferuntur, perceperint potiora: Nos de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus qui cum Rege aut Delphino præfato contra Amedeum & ſequaces eoſdem in proprijs perſonis, propriiſque expenſis proceſſerint, plenam ſuorum peccatorum veniam indulgemus, & in retributionem juſtorum vitæ æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in proprijs perſonis hoc fecerint, ſed eorum expenſis alios juxta facultates & qualitates ſuas viros idoneos deſtinauerint, ac ijs qui alienis expenſis, ſed in pro

prijs perſonis acceſſerint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, pridie Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno primo.

EIVSDEM.

AN. CHR. 1448. d. 18. Ian.

Ex Autographo D. d'Herouual.

Quæ ſchiſmatis tempore ſunt acta, omnia rata vult ac decernit Pontifex.

LXVII. NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Tantò nos pacem & tranquillitatem cunctorum Fidelium procurare & amplecti conuenit, quantò deſideramus fructus vberrimos inde ſequi. In eo quippe cor noſtrum ſuauiſſimè delectatur, quòd diebus noſtris ſanctam Dei Eccleſiam in pacis & vnionis pulchritudine, ac debita integritate florentem videre valeamus. Cùm itaque ſuperioribus temporibus propter diuiſiones ſubortas inter felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum, & tunc Baſilienſe Concilium, plurimùm turbata, ac varijs modis afflicta fuerit Eccleſia Dei, jam autem diuina fauente ac dirigente clementia, tractatu Oratorum cariſſimorum in Chriſto filiorum Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ Regum; nec non Delphini Viennenſis primogeniti Francorum Regis Illuſtris, integræ pacis & vnionis conſequendæ diſpoſitio optima videretur, Amedeo in ſua obedientia Felice V. nominato, juri quod in Papatu ſe habere aſſerit cedere volente, eis qui olim Baſileæ, nunc autem Lauſanæ, ſub nomine generalis Concilij permanſerunt & permanent concurrentibus in idipſum, aliáſque ad pacem Eccleſiæ laborantibus. Cupientes igitur, quantum omnipotens donauerit, id agere, quo vniuerſi Chriſti Fideles ipſius pacis jucunditate fruentes, animorum conjunctione ſibi inuicem cohæreant, & rejectis quæ ex diſcordia exorta fuerant, ſtatus vniuſcujuſque, honor, fama, & reputatio illæſi, & integri remaneant, literas, proceſſus, mandata, & decreta quæcunque; necnon excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti, anathematiſationúmque; etiam

Digitized by

priuationum beneficiorum, officiorum, ac dignitatum quorumcunque, ſiue Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, aut aliarum quarumcunque Eccleſiaſticarum, vel mundanarum: inhabilitationum quoque, necnon declarationum, innouationum, damnationum, reprobationum, expoſitionum perſonarum, ac bonorum mobilium ac immobilium, juriúmque & juriſdictionum, publicationum & confiſcationum, priuationum, feudorum: ac etiam quorumcunque jurium ſpiritualium, vel temporalium, & inhabilitationum ad illa: necnon abſolutionum à fidelitatibus, & alias in eiſdem literis proceſſibus, mandatis & decretis, quomodolibet contentas ſententias, cenſuras & pœnas quaſcunque & qualitercunque ſtatutas, inflictas, & promulgatas, etiam ſi expreſſæ, pares, vel majores, aut alterius cujuſcunque naturæ forent, per præfatũ Eugenium prædeceſſorem noſtrum, & quibuſcunque ſuis literis, quorumcunque tenorum & ſub quacunque data exiſtant, etiamſi cum expreſſione, approbatione Ferrarienſis, ſeu Florentini, aut alterius Concilij generalis, ſiue per nos, aut per alium, ſeu alios, ipſius, aut noſtra ſeu quauis alia auctoritate contra dictum Baſilienſe Concilium, & eos qui ſub nomine generalis Concilij tam in Baſilienſi quàm Lauſanenſi Ciuitatibus memoratis fuerunt, & perſeuerarunt, ut præfertur, ac inpræſentiarum perſeuerant: necnon contra præfatum Amedeum, Felicem V. in ſua obedientia nuncupatum, ac quaſvis perſonas Eccleſiaſticas, ſeculares, vel regulares, ac etiam laïcales, eiſdem conjunctim vel diuiſim adhærentes, aſſiſtentes, obedientes, obſequentes, credentes, recipientes, ac quouis modo fauentes, eóſque ſequentes, qui ſunt & fuerunt, cujuſcunque dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ſeu conditionis exiſtant, etiamſi Pontificali, Cardinalatus, Regali, aut Ducali dignitate præfulgeant. Contra dominia quoque, necnon communitates, vniuerſitates, etiam generalium ſtudiorum, ciuitates etiam, præſertim Baſilienſem, ac oppida, & alia loca quæcunque præmiſſorum occaſione emanata, facta, conceſſa, decreta, & promulgata. Simili quoque modo declarationes, & confirmatio-

nes, ſuper præmiſſis, & eorum ſingulis, noſtra, ſeu dicti prædeceſſoris auctoritate, quomodolibet factas: necnon proceſſus habitos per eaſdem, ac quæcunque inde ſecuta, etiamſi ad ſententiarum, cenſurarum, atque pœnarum declarationem, ſeu illarum, aut alicuius earum publicationem, vel plenaria executione contra perſonas, dominia, communitates, vniuerſitates, ciuitates, oppida, & loca ſupradicta; communiter, vel diuiſim quomodolibet ſit proceſſum: quorum omnium & ſingulorum tenores etiam ſi de illis plena & expreſſa, ac de verbo ad verbum præſentibus mentio habenda foret, hîc pro ſufficienter expreſſis haberi volumus. Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Sedis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, necnon de Venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, decernimus, & declaramus nullum effectum penitùs ſortiri, ſed perinde haberi debere, ac ſi nullatenus emanaſſent; eáque omnia & ſingula, cum inde ſecutis, in Regeſtris ipſius Eugenij prædeceſſoris, & noſtris, & locis alijs quibuſcunque, aboleri & deleri mandantes, omnino tollimus, caſſamus, irritamus, & annullamus, ac pro infectis haberi volumus. Et nihilominus ſi, & in quantum opus eſſet, ad abundantem cautelam ſingulas ex perſonis, dominia, communitates, vniuerſitates, ciuitates, oppida, atque loca ſupradictas & ſupradicta, ad famam, dignitates, honores, ſtatus, & priuilegia, quatenus illis eadem occaſione priuatæ & priuata prætendi poſſent, in ſtatum priſtinum & debitum reſtituimus, reponimus, & reintegramus plenariè per præſentes, motu, ſcientia & plenitudine poteſtatis, ac conſilio & aſſenſu antedictis.

Et quoniam difficile foret præſentes literas ad ſingula, in quibus eis fides forſan facienda fuerit, loca deferre, dicta auctoritate decernimus, quòd ipſarum tranſumpto manu publica & ſigillo alicuius Epiſcopalis, vel Superioris Eccleſiaſticæ Curiæ munito, tanquam præfatis ſi originales exhiberentur literis plena fides exhibeatur, & ſtetur perinde ac ſi dictæ originales literæ forent exhibitæ vel oſtenſæ: juribus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,

cæteríſque contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, mandati, caſſationis, irritationis, annullationis, voluntatis, reſtitutionis, repoſitionis, & reintegrationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octauo, quintodecimo Kalendas Februarij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

FRIDERICI Imperatoris CAROLO VII. Regi Francorum.

AN. CHR. 1448. d. 11. Iunij.

Ex Autographo D. d'Herouual.

Priuſquam Oratores ſuos mittat ad pacem Eccleſiæ conciliandam, rogat vt mentem ſuam Rex planiùs aperiat.

LXVIII. FRIDERICVS Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Auſtriæ, & Stiriæ, &c. Dux, Sereniſſimo Principi CAROLO eadem gratiâ Francorum Regi, Fratri, & Conſanguineo noſtro cariſſimo, Salutem, & fraternæ dilectionis continuum incrementum. Sereniſſime Princeps, Frater & Conſanguinee noſter cariſſime, accepimus literarum veſtrarum ſub data vltimi diei menſis Martij anni præſentis, pridie nobis præſentatarum continentia quomodò pro fœlici negotiorum complemento in facto pacis vniuerſæ Eccleſiæ, ad ſanctiſſimum Patrem noſtrum Summum Pontificem Ambaſſiatores veſtros ſolemnes tranſmittere velletis. Et quoniam res ipſa, vt tangitis, ſalutem totius Chriſtianitatis concernit, veſtra Fraternitas prædictos Ambaſſiatores veſtros in breui ad vrbem Romanam receſſuros in eum finem, vt & nos in quantum nobis placeret noſtros ibidem deſtinaremus, vt noſtris & veſtris pariter in hoc opus concurrentibus, eò faciliùs votiua concluſio haberetur; quódque veſtris huiuſmodi Oratoribus, vt omnia per eos in his rebus acta & quæ in poſterum agenda ſuperſunt, his qui à nobis deſtinati fuerint communicarent, injunxeritis, nobis notificauit

quemadmodum ea veſtris ſupratactis literis latiùs exprimuntur. Verùm quia indubitatam apud veſtram Fraternitatem & omnes ſaltem Catholicos credimus eam, quam vt Romanorum Rex atque Eccleſiæ ſanctæ Aduocatus ſummoperè fecimus exactiſſima adhibita ſollicitudine in reipſa diligentiam, & hodie animo Regali ab intimis ad plenam rerum conſecutionem, ſtabilitionem, & tuitionem accommodas, feruenter indefeſſo inclinamur propoſito: conuenit vtique & perneceſſarium eſt in tanto negotio pro mittendis noſtris ad veſtra ſcripta Ambaſſiatoribus, vti veſtra cognoſcere poterit Fraternitas, nos magis ſpecificè ac expreſſiori & clariori ordine & modo & intentione & voluntate veſtra his in rebus informari, ad finem quòd præuia hujuſmodi informatione eo intelligibiliùs, deliberatiùs & efficaciùs ad promotionem votiuæ pacis vniuerſalis Eccleſiæ, ipſos nuntios noſtros ſufficienter ad cauſam inſtructos expedire & mittere poſſimus, eandem à vobis veſtræ mentis apertam intentionem in hoc nobis quantocius declarari ſincero rogamus atque requirimus affectu: ad honorem enim ſupremi pacis Auctoris & tranquillitatem Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, cui meritò & permultùm afficimur, proſecutioni ac tuitioni optatæ & ſaluberrimæ vnionis vt fidelis Eccleſiæ ſanctæ Aduocatus auctore Deo gloriosè conuenientibus modis inceſſanter inhærebimus.

Datæ in Grecz. die vndecima Iunij, Regni noſtri anno nono.

NICOLAI PAPÆ V.

CAROLO VII. Francorum Regi.

An. Chr. 1448. d. 9. Aug.

Ex *Autographo D. d'Herouval.*

Gratias agit, quòd Rex maximam curam impenderit vt pacem & vnitatem Eccleſiæ conciliaret.

LXIX. Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Francorum Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Non poſſumus, Chriſtianiſſime Princeps, non agere gratias omnipotenti Deo, qui temporibus noſtris Serenitatem tuam Chriſtianiſſimo Francorum Regno præſi-

Digitized by Google

dere conceſſit ; ita vt pietate & religione , quâ maximè polles, te non tantùm Gallijs, ſed vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ diuina Prouidentia voluerit profuturum. Non nobis ignotum erat tempore ſanctæ memoriæ Prædeceſſoris noſtri EVGENII Papæ IV. quantam operam præbuiſſes, vt Eccleſia Dei vnitate & pace frueretur : cùm nunquam nec expenſis, nec laboribus pepercisſes, vt ſancto deſiderio præfatæ vnitatis & pacis Chriſtianitas potiretur. Nobis poſteà diuinâ Prouidentiâ Prædeceſſore noſtro, vt credimus , ad meliora tranſlato , in ipſius honore & onere ſuccedentibus diuina miſeratione conceſſum eſt, vt Serenitatis tuæ religioſiſſimam mentem & verbis experiremur & factis. Miſit quippe ad nos Celſitudo tua legationem Prælatorum , ac aliorum inſignium & nobilium virorum omni ex parte præſtantem , cum adeò inſigni & præclaro comitatu , vt qui ſexaginta annorum in Romana Curia memoriam retinebant , nunquam meminerint tam præclaram , tam inſignem , tam numeroſam legationem aduentaſſe. Retulerunt Oratores tui in totius Romanæ Curiæ Auditorio publico , quæ vſque in eam diem Serenitatis tuæ curâ atque operâ actitata eſſent ; ex quibus nos totúmque Auditorium , Celſitudinis tuæ ad pacis & vnitatis Eccleſiaſticæ ardentiſſimum deſiderium intelleximus , quantóque chriſtianiſſima anima tua flagraret incendio , quo pax Eccleſiæ redderetur : ex quibus percepimus non tantùm nos & præſentem militantem Eccleſiam, verùm etiam & vſque in finem ſeculi ſucceſſuram , Celſitudini tuæ & Chriſtianiſſimæ domui Franciæ debere gratias immortales , quæ nunquam fluctuantem Eccleſiam & Apoſtolicam Sedem deſerere conſueuit.

Oratores mi li à Rege.

Audiuimus Oratores Celſitudinis tuæ , non more communi , ſed vt peculiares filios noſtros ſumus cum omni caritate complexi , aperientes eis arcana cordis noſtri , nihil ijs ocultum eſſe patientes , cujus apud te poterunt eſſe optimi teſtes. Volumus illorum conſilio dirigi , non dubitantes Oratores Principis tales eſſe , qualem mittentem Principem intelligeremus. Itaque patefactis per omnia interioribus cordis noſtri , nihil illis occultum eſſe voluimus ;

diximus quantùm cupiamus deformitates ab Eccleſia ſubmoueri; quantum velimus Eccleſiarum grauamina moderari; quantùm crediti nobis populi Chriſtiani vtilitatem magis procurare quàm noſtram. Prætereà vt Serenitas tua, atque vniuerſi Reges & Principes populi Chriſtiani intelligerent clementiam & manſuetudinem Apoſtolicæ Sedis, ipſis aperuimus quantùm apud nos Serenitatis tuæ poſſet auctoritas; tantùm namque poteſt, vt ſaluo Dei honore & Eccleſiæ ſuæ, nihil eſt quòd Celſitudini tuæ negare debeamus. Explicabunt omnia Serenitati tuæ, quibus clementiam tuam creditúram minimè dubitamus. Et licet non exiſtimemus oportere addere calcaria ſponte currenti, rogamus tamen & obſecramus Celſitudinem tuam, vt in ſancto deſiderio & opere perſeueres, donec videris vnitatem Dei Eccleſiæ reſtitutam. Multa ſuper ijs cum præfatis Oratoribus tuis contulimus; ſed maximè cum venerabili Fratre noſtro Archiepiſcopo Remenſi, viro prudentiſſimo & grauiſſimo, cui præ cæteris expreſſiùs aperuimus mentem noſtram, & præcipuè in facto celebrandi Concilij generalis, cui & tempus & locum & ſilentij cauſas plenè apertéque patefecimus, Serenitati tuæ pariter intimandas, cui velit fidem adhibere plenariam: & Apoſtolicam Sedem, quam ſemper progenitores tui præ cæteris Principibus venerati atque tutati ſunt, vndéque ſibi Chriſtianiſſimi Principis titulum vendicarunt, ipſorum more tueri atque deffendere; tam ſancti operis mercedem ab ipſo Eccleſiæ capite IESV CHRISTO Domino noſtro, & in militante ſimul & triumphante Eccleſia ſuſcepturus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octauo, quinto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

ORATORVM REGIS FRANCIÆ in cauſa Nicolai Papæ V. & Amedei Felicis itidem Papæ V. nuncupati.

AN. CHR. 1449. d. 4. Aprilis.

Ex Autographo D. d'Herouual.

Promittunt Amedeo tres Bullas, queis abrogantur omnes lites, priſtino gradui aſſeruntur omnes priuati aliquo officio, & confirmantur quæ ex vtraque parte ſunt acta.

LXX. NOS ALFONSVS Segura Decanus Toletanus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini NICOLAI diuina Prouidentia Papæ V. IACOBVS miſeratione diuina Patriarcha Antiochenus & Epiſcopus Pictauenſis; HELIAS Epiſcopus Electenſis; IOANNES Comes Dunenſis, magnus Camerarius Franciæ; IACOBVS Cordis; GVIDO Bernardi Magiſter Requeſtarum hoſpitij; IOANNES le Bourſier, Miles & Cambellanus; & THOMAS de Corſellis in ſacra pagina Profeſſor, Conſiliarij Sereniſſimi & Chriſtianiſſimi Francorum Regis Oratores: Notum facimus vniuerſis: Quòd cùm nos, & Deputati per Dominum AMEDEVM, in ſua obedientia FELICEM nominatum, varios labores jamdiu & diebus proximis multos tractatus habuerimus, pro danda pace & vnione in Eccleſia ſancta Dei; & tandem certi articuli nobis dati ſint pro reſponſione pro parte Domini Amedei, in ſua obedientia FELICIS nuncupati, ad dandam ipſam pacem & vnionem, in quibus inter cætera continetur articulus, quo nos dicti Oratores, per literas noſtris ſigillis ſigillatas nos obligabimus dare, aut dari & tradi facere infra menſem Iulij proximè futurum in ſufficienti forma, præfato Domino Amedeo, in ſua obedientia Felici nuncupato, in ciuitate Gebenenſi vel Lauſanenſi, aut in manibus Capituli Gebenenſis tres Bullas plumbatas, & debitè expeditas in Romana Curia, ſecundum formam minutarum hîc concordatarum, quarum tenor in obligatione deſignabitur: Vnam videlicet ſuper caſſatione proceſſuum duplicatam, vt vna ſit ſub datâ ante diem renunciationis fiendæ per ipſum Dominum Amedeum, in ſua obedientia Felicem appellatum; Alia ſub data poſt dictam renunciationem: aliam ſuper reſtitutione aliàs priuatorum: & aliam ſuper confirmatione geſtorum.

Et quoniam veraciter ſcimus quòd idem ſanctiſſimus

Dominus noſter Nicolaus Papa toto cordis affectu præfatam pacem & vnionem Eccleſiæ deſiderans, huius intentionis eſt, quòd præmiſſi tres articuli videlicet de caſſatione proceſſuum, confirmatione geſtorum, nec non de reſtitutione priuatorum, in omnibus & per omnia ſuum ſortiantur effectum; quod nobis etiam declaratũ extitit, per credentiam expoſitam per me præfatum Decanum Oratorem ſuæ ſanctitatis, virtute ſui Breuis. Attendentes etiam quòd ipſe ſanctiſſimus Dominus noſter Papa ſuper dictis tribus articulis literas ſuas bullatas præſentari fecit, quæ per eoſdem Deputatos non fuerunt ſufficientes reputatæ: Propterea nos Oratores prædicti volentes, quantum nobis eſt poſſibile, pro ipſa pace & vnione Eccleſiæ laborare, per præſentes aſſecuramus, affirmamus per juramentum, & promittimus ſupra mentionatas Literas ſiue Bullas ipſius ſanctiſſimi Domini noſtri Nicolai Papæ V. more Romanæ Curiæ bullatas & expeditas in forma bona, & ſecundum minutas hîc concordatas, quæ manibus noſtris ſubſcriptæ ſunt. Quarum prima de caſſatione ſic incipit: *Tantò nos ad pacem & tranquillitatem cunctorum Fidelium procurare & amplecti conuenit, &c.* Et ſic finit: *Cæteriſque contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo, &c.* Secunda de confirmatione geſtorum ſic incipit: *Vt pacis qua nihil deſiderabilius, &c.* Et ſic finit. *Si ſecus ſuper his, &c. Nulli, &c.* Tertia de reſtitutione priuatorum ſic incipit: *A pacis auctore & omnium bonorum largitore, &c.* Et ſic finit: *Auxilium ſui brachij ſecularis præbeant, fauoréſque oportunos exhibeant. Nulli ergo, &c.* Præfato Domino Amedeo, in ſua obedientia Felici V. nominato, ſiue in Capitulo Gebenenſi, realiter & cum effectu infra dictum tempus datum vt ſupra, præſentabimus & trademus, aut præſentari & tradi faciemus ſine dolo & fraude. Et ad hoc nos tam conjunctim quàm diuiſim obligamus. Et vt iſta obſeruentur & firma ſint, Nos Oratores præfati nomina & ſigilla noſtra huic literæ ſecuritatis, affirmationis & promiſſionis appoſuimus.

Datum Lauſanæ die quarta Aprilis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono. ALFONSVS

Decanus Toletanus & Domini noſtri Papæ Orator : IACOBVS Patriarcha Antiochenus, & Epiſcopus Pictauenſis: HELIAS Epiſcopus Electenſis: IOANNES Comes Dunenſis. IACOBVS CVER, G. BERNARDI, I. LE BOVRSIER, TH. DE COVRCELLIS. *Horum ſignis munitæ, ac ſigillis ſeptem cèræ rubræ obſignatæ erant Literæ.*

ORATORVM

Delphini Viennenſis in eadem cauſa.

Ex eodem D. d'Herouual.

LXXI. NOS ALFONSVS Segura Decanus Toletanus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini NICOLAI diuinâ Prouidentiâ Papæ V. IOANNES miſeratione diuina Archiepiſcopus & Princeps Ebredunenſis; & GABRIEL de Bernes Dominus de Targe Magiſter hoſpitij, Illuſtris Principis Domini Delphini Viennenſis conſiliarij Oratores : Notum facimus vniuerſis; quòd cùm nos vnà cum Ambaſſiatoribus Domini genitoris noſtri, & deputati per Dominum AMEDEVM in ſua obedientia FELICEM nominatum, varios labores, &c. vt in præfatis literis. Eiuſdem argumenti.

Nos Oratores præfati nomina & ſigilla noſtra huic Literæ ſecuritatis, affirmationis, & promiſſionis appoſuimus.

Datum Lauſanæ die quarta Aprilis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nono. A. Decanus Toletanus, & Domini noſtri Papæ Orator. I. Archiepiſcopus & Princeps Ebredunenſis. Gabriël de Bernetio. *Signis ac ſigillis duobus rubræ cèræ erant obſignatæ.*

DECRETVM

Synodi Lauſanenſis.

AN. CHR. 1449. d. 16. Aprilis.

Communicauit D. d'Herouual.

LXXII. SACROSANCTA *generalis Synodus Lauſanenſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repreſentans, ad perpetuam rei memoriam.* Beatæ pacis apertâ viâ Domino concedente, qui tandem

Abrogat cenſuras occaſione ſchiſmatis inflictas.

Eccleſiam diris attritam languoribus oculo pietatis reſpexit, ſummoperè ac diligenti prouidendum eſt ſtudio, ne diuiſionis vllum ampliùs ſuperſit veſtigium, nullus mentes humanas ambiguitatis ſcrupulus inquietet, nullius conſcientia latarum & promulgatarum ſententiarum ac cenſurarum formidine tabeſcat, aut ſcandalum patiatur; ſed populum Chriſtianum, quem ſecuit diuisítque nubiloſa diſcordia, reſarciat & reintegret concordiæ & communionis ſerenitas. Superiori ſanè tempore ſancta hæc Lauſanenſis Synodus, dum Baſileæ in Spiritu ſancto legitimè congregata perſeueraret, ne aſſentiret tunc EVGENIO Papæ IV. Ferrariæ congregationem ſub nomine Concilij generalis erigenti; ac demum poſtquàm erecta extitit, & alijs ab inde ſuborris differentijs, aduerſus Curiam ſuam ſequentes, omnéſque & ſingulos eidem adhærentes & fauentes generaliter promulgauit ſententias, cenſuras, & pœnas. Nunc verò cùm per renunciationem quam ſanctiſſimus Dominus Felix Papa V. facere voluit de Papatu purè, ſimpliciter & ſincerè, medium paratius & apertius ad conſecutionem perfectæ & integræ vnionis in Eccleſia ſancta Dei videatur: Cupiens eadem ſancta Synodus tam excelſi neceſſariíque boni contemplatu, cuius gratiâ cum præfato ſanctiſſimo Domino FELICE duriſſimis hactenus non pepercit laboribus, tolli de mundi medio quæ vnioni, tranquillitati & paci vniuerſalis Eccleſiæ repugnare aut officere poſſent quouiſmodo, omnes & ſingulas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac priuationis beneficiorum, officiorum, dignitatum, etiamſi Cardinalatus, Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, aut aliarum quarumcunque Eccleſiaſticarum, vel mundanarum, necnon etiam priuationis feudorum, honorum, priuilegiorum, ac quorumcunque bonorum & jurium ſpiritualium & temporalium, inhabilitationíſque ad illa, ſeu alias ſententias, cenſuras & pœnas quaſcunque & qualeſcunque ab eadem ſancta Synodo, ſeu eius auctoritate, contra quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas vel ſeculares, ac etiam Laïcales, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiæ, etiamſi Cardinalatus, Patriar-

chalis, Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, ſeu Abbatialis, aut alterius cujuſcunque dignitatis Eccleſiaſticæ vel mundanæ exiſtant; contra Capitula quoque & Collegia quarumuis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac Ordinum; necnon Dominia, Communitates, vniuerſitates, ciuitates, oppida, & alia quæcunque loca præmiſſarum occaſione differentiarum generaliter emanatas, inflictas, & promulgatas, cum omnibus inde ſecutis, etiamſi ad ſententiarum, cenſurarum, priuationum, atque pœnarum prædictarum declarationem, ſeu illarum aut alicuius earum publicationem, ſiue plenariam executionem contra perſonas, Capitula, Collegia, Dominia, Communitates, vniuerſitates, ciuitates ac oppida & loca prædicta, cõmuniter vel diuiſim quomodolibet proceſſum foret, quorum omnium & ſingulorum tenores, etiamſi de illis plena & expreſſa, ac de verbo ad verbum præſentibus mentio habenda eſſet, vult hîc pro expreſſis haberi, Decreti huius tenore, & certâ ſcientiâ decernit & declarat effectum ſortiri non debere, ſed perinde haberi ac ſi nullatenus emanaſſent. Et nihilominus ad ſuperabundantem cautelam à prædictis aliiſque cenſuris & pœnis occaſione diuiſionis prædictæ; eſto quod earum abſolutio & remiſſio ſanctæ Synodo reſeruata fuerit in alijs ſuis decretis generaliter promulgatis, ſingulas perſonas abſoluens, omnémque irregularitatis notam ac infamiæ maculam, tam juris quàm facti, ſi qua fortaſſis contraxerint, remouendo & penitus abolendo, habilitat, & cum eis quatenus indigent diſpenſat, ipſáſque ſingulas, perſonas, necnon Collegia, Dominia, Communitates, vniuerſitates, oppida quoque & loca huiuſmodi ad famam & honores reſtituit, reintegrat, plenariéque reponit.

Datum Lauſanæ in Seſſione publica huius ſanctæ Synodi in majori Eccleſia Lauſanenſi ſolemniter celebrata. decimo ſexto Kalendas Maij, Anno à Natiuitate Domini, milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono.
V. LANGVIDI.

AN. CHR. 1449. d. 4. Maij. *Ex Autographo D. d'Herouval.*

NICOLAI Papæ V.

CAROLO VII. Francorum Regi.

Gratias agit Regi ob impenſam in extirpando ſchiſmate operam.

LXXIII. NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio CAROLO Francorum Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Magno munere miſericordiæ Dei, Chriſtianiſſime Princeps, Apoſtolicæ Sedis & totius Eccleſiæ Catholicæ multiplicata ſunt gaudia, cùm ſancto & glorioſo ſtatu tuo perniciosiſſimum ſchiſma deletum eſt. Et licet in virtute Spiritus ſancti hoc factum eſſe minimè dubitemus, tamen per miniſterium Serenitatis tuæ, quod etiam Prædeceſſore noſtro viuente non defuit, conſummatũ eſt. Hæc pietati tuæ, hæc Chriſtianiſſimis Francorum Regibus victoria congruebat, vt qui ſæpenumero contra hoſtes fidei dimicaſſent, & pro Chriſto glorioſiſſimè mori elegiſſent, & à Sedis Apoſtolicæ ceruicibus imminentem tyrannicam rabiem ſæpiùs retuliſſent, etiam pro Catholicæ Eccleſiæ vnitate & pace labores, ſudores, expenſas, vigiliáſque perferrent. Digna profectò Chriſtiano Principe opera, dignus labor, & quem maximè debeat creatori, à quo ſuſcepit & tenet imperium, & Redemptori, qui pro eius ſalute æterna mori dignatus eſt. Clara hæc pugna, & inſigne certamen, quo cum diabolo pro Chriſti corpore quod eſt Eccleſia, tua pietas dimicauit, quo nec glorioſior triumphus extitit ille Fidelium, qui paſſi ſunt ne idolis immolarent, immò, vt Dionyſius Alexandrinus Martyr auctor eſt, majus hoc putandum eſt eſſe martyrium, ſi quis pro Eccleſiæ vnitate & pace dura pertulerit: Ibi namque vnuſquiſque pro ſua tantùm anima martyrium ſuſtinet, in hoc verò pro tota Eccleſia vita profunditur. Ineffabiliter ergo gaudemus in Domino, quod labor tuus, & deſiderium noſtrum ad deſideratum peruenit effectum: vnde cum Propheta exclamare cogimur: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.* Et, *Dextera Domini fecit virtutem.* Et, *Dominus fecit hæc omnia.* Turbarat Eccleſiaſticam pacem tempore

progenitorum tuorum pacis inimicus, ac per longa tempora diuiſam detinebat Eccleſiam. Tandem non defuit miſericordia Dei, quæ deſideratam vnitatem ſuis Fidelibus reſtituit. Inuidit confeſtim Eccleſiaſticæ paci, pacis inimicus, & conſuetis actibus in Eccleſiam ſchiſma molitus eſt: neque enim, vt auctor eſt Auguſtinus, ipſe accuſator Fratrum, & qui juxta Euangelicum verbum ab initio homicida extitit, tanto aſtu quicquam machinatur, aut quærit, quàm Eccleſiam ſcindere, quòd illâ diuisâ aſtutiæ ſuæ artéſque prævaleant, illa verò in vnitate manente diſpereant, vt velut fumus à facie venti penitùs euaneſcant. Egimus omnipotenti Deo gratias, nec agere deſinemus pro tanto munere præſtito temporibus noſtris, ne ingrati eſſe videamur. Legimus enim Ezechiam Regem Iuda, optimum & religioſiſſimum Principem, in diuina Scriptura culpatum eſſe, quòd juxta diuina beneficia gratias non egiſſet.

Nos itaque, licet exiguas & impares auctori tanti operis quas poſſumus gratias ex toto corde noſtro perſoluimus, orantes miſericordiam ſuam, vt deſiderium cordis noſtri ſuſcipere pro gratiarum actione dignetur. Pietati verò tuæ pro tanti temporis laboribus & expenſis, quid dignum, quid congruens, referemus? Sentit profectò animus noſter multò plus ſe debere quàm poſſit, & hanc grati animi eſſe potiſſimam partem, cùm ſe intelligit beneficij magnitudine ſuperari. Hoc profitetur, hoc dicit, Celſitudinem tuam in exhibendis Sedi Apoſtolicæ beneficijs Chriſtianiſſimis Principibus progenitoribus tuis imparem non fuiſſe, & propterea ſe pietati tuæ plurimùm debere non dubitat. Suadet ipſa animi tui pietas, atque religioſum propoſitum, vt cùm tanta feceris, ampliora petamus, vt peritorum more medicorum ægrum corpus Eccleſiæ, nec plenè redditum ſanitati, non deſeras vſque in finem, donec plenè integréque ſanetur. Et ſicut illi depulſa ægritudine artibus ſuis & conſilijs ſanitatem redditam conſeruare conſueuerunt, ita pietas tua aſſiſtat & conſilijs & auxilijs opportunis, ne recuperata vnitas in Eccleſia operante pacis inimico poſſit aliqua ex parte turbari. Deus autem omni-

potens, qui Celſitudinem tuam in hæc tempora reſeruauit, Te & Regno, & toti Eccleſiæ Dei incolumem, fœlicem, atque glorioſum ſeruare dignetur. Et Beatiſſimi Petrus & Paulus, eorúmque ſanctiſſimi Succeſſores, qui in conſpectu Dei ſemper aſſiſtunt, quíque Romanam Eccleſiam & Apoſtolicam Sedem tuentur & ſeruant, pro tuæ Serenitatis incolumitate & incremento jugiter intercedãt.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono, quarto Nonas Maij, Pontificatus noſtri anno tertio. Signatum, D. DELVCA.

AN. CHR. 1449. d. 16. April.

Conceſſum à D. D'Heronval.

Rata volunt Patres quæ tempore ſchiſmatis acta ſunt.

DECRETVM

Synodi Lauſanenſis.

LXXIV. SACROSANCTA generalis Synodus Lauſanæ in Spiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Quantùm Deo pax placeat, veritas aperit Scripturarum teſtimonium perhibentium; quòd Saluator noſter naſcens ex Virgine pacis edictum præconijs Angelorum propoſuit promulgatum, pacem reliquit Diſcipulis moriturus, pacem reſurgens à mortuis nuntiauit; inter cuncta præcepta ſalutaria eis ſpecialiter illud commendans vt ſincerè inter ſe pacem obſeruare curarent. Nos igitur pacem vniuerſalis Eccleſiæ deſiderabiliter affectantes, ad id ſolertiùs noſtra apponimus ſtudia, laborum quoque & expenſarum indefeſſas proinde habuimus & habemus ſollicitudines, vt ſedatis diuiſionibus, quibus Dei Eccleſia impræſentiarum impeditur, ac Petri nauicula veluti procellosâ concutitur vehementiâ, negotium Dei & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ ad ſalutarem exitum per effectum optabilis vnionis & integræ pacis perducatur; ipſáque Dei ſponſa Eccleſia ſicut columba pulcherrima ſoliti retineat ſui ſplendoris candorem; & vniuerſi Fideles virtuoſis actibus dirigantur; páxque & vnitas in tota Chriſtianitate refloreat, prout hæc ſancta Synodus ſemper deſiderauit, & ſummopere

pere deſiderat; ad cujus tam religioni vtilem Chriſtianæ, quàm etiam neceſſariam rei conſummationem Catholici Principes, & cariſſimi Eccleſiæ filij Franciæ, & Angliæ, ac Renatus Siciliæ Reges, ac dilectus Eccleſiæ filius LVDOVICVS Delphinus Viennenſis eiuſdem Regis Franciæ primogenitus, Illuſtres, vt fidei mater Eccleſia eorum temporibus pacata redderetur & tranquilla permaneret, ſua ad hoc miniſtrantes præſidia, ſolemnes pro pace huiuſmodi tractanda, & componenda deſtinauerunt Oratores, quibus interuenientibus atque tractantibus in huiuſmodi pacis negotio: attentâ etiam ſanctiſſimi tunc Papæ FELICIS V. pridem de Papatu pro bono pacis eiuſdem liberaliter facta renunciatione, talis habetur diſpoſitio, quòd pacem ipſam Deo auctore ſperamus de proximo ſecuturam.

Ne autem præmiſſarum occaſione diuiſionum Chriſti fideles pace & vnione huiuſmodi frui cupientes litium quomodolibet agitentur diſpendijs; ſed pax ſincera & caritas inuiolàbilis inter eos, nullo ſcrupulosè timoratéque illos pervrgente conſcientiæ ſtimulo, perſeueret: Omnes & ſingulas promotiones, electiones, confirmationes, poſtulationum admiſſiones, tranſlationes, commendas, adminiſtrationes, & prouiſiones quarumcunque Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, necnon Abbatialium dignitates, & Monaſteriorum regimina quorumcunque exemptorum, & non exemptorum; quaſcunque collationes, prouiſiones, & diſpoſitiones quorumcunque beneficiorum Eccleſiaſticorum regularium vel ſecularium, de jure patronatus etiam Laïcorum, cum cura vel ſine cura, etiamſi Eccleſiæ Parrochiales fuerint, aut Canonicatus & Præbendæ, dignitates majores poſt Pontificales in Cathedralibus, vel principales in Collegiatis exiſtant, perſonatus, perpetuæ adminiſtrationes, vel officia etiam curata vel electiua in quibuſcunque Eccleſijs: Prioratus etiam Conuentuales, aut alia Beneficia cuiuſcunque conditionis, qualitatis, vel naturæ fuerint, etiam alterius generis quàm expreſſa, paris vel majoris; etiamſi ex quauis cauſa tunc diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter vel generaliter reſeruata fuerint, vel aliàs

affecta; vel ad nos ſeu ad Sedem Apoſtolicam quomodolibet deuoluta, in vim ſeu prætextu quarum habita eſt poſſeſſio, & poſſidentur de præſenti, præterquam de Eccleſijs, Monaſterijs, dignitatibus, beneficijs, & officijs quæ præfatæ Synodo incorporati ac eidem obedientes, adhærētes atque ſequentes, poſſidebant, & durantibus huiuſmodi diuiſionibus, alterius quàm eiuſdem Synodi auctoritate priuati ſeu deſtituti ſunt, vel contra ipſos poſſeſſores ſententias, quæ in rem tranſiuerunt judicatam apud nos dum in Baſilienſi, aut in hac Lauſanenſi ciuitatibus eramus & ſumus conſtituti, ſiue in Curia ſanctiſſimi Domini Felicis, tunc Papæ V. partibus ſe defendentibus obtinuerunt, aut ſurrogati ſunt, aliter quàm titulo priuationis & ſpolij ſeu deſtitutionis præmiſſorum occaſione diuiſionis factas: admiſſiones etiam reſignationum quorumcunque beneficiorum, dignitatum Eccleſiarum ſimpliciter vel ex cauſa permutationis, auctorizationes & inſtitutiones: in vim etiam quarum habita eſt poſſeſſio; penſionum quarumcunque ſuper quorumuis beneficiorum Eccleſiaſticorum fructibus reſeruationes & aſſignationes, cum proceſſibus & fulminationibus inde ſecutis: necnon vniones, annexiones, incorporationes quorumcunque dignitatum & beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſecularium & regularium, quibuſuis Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, Epiſcopalibus, Abbatialibus vel Capitularibus, Menſis, aut Monaſterijs, Conuentibus, Dignitatibus, Canonicatibus & Præbendis, vel Beneficijs ſeu ad inuicem ſub quibuſuis verborum formis: demembrationes etiam Eccleſiarum & Beneficiorum quorumcunque; Eccleſiarum quoque, Monaſteriorum, ſtudiorúmque generalium fundationes, erectiones, ſuppreſſiones & ſubjectiones; & quorumcunque Beneficiorum creationes, exemptiones; item reuocationes, pallij dationes, conſecrationes, benedictiones, perſonarum de ordine ad ordinem tranſlationes, infeudationes, inſtitutiones, contractuum confirmationes, facultates teſtandi, conceſſiones, abſolutiones, liberationes, quittancias ſuper quibuſcunque debitis ratione decimarum, ſemidecimarum, indulgentiarum, annatarum communium & minutorum ſeruitiorum,

Digitized by Google

vel aliàs quomodolibet; diſpenſationes tam ſuper ætatis, quàm natalium, & aliarum inhabilitatum defectibus: Super incompatibilibus in quocunque numero, etiam ſi ad curas parrochiales, matrimonijs, juramento, ordinibus, & voto etiam tranſmarino, & rebus alijs quibuſcunque.

Necnon abſolutiones à quibuſcunque excommunicationis, anathematizationis, & alijs cenſuris Eccleſiaſticis, interdictorum tam generalium quàm ſpecialium relaxationis, ac etiam illorum fulminationes, & appoſitiones juramentorum, etiam fidelitatum relaxationes, rehabilitationes ab omni macula, irregularitate, aut alia inhabilitate vndecunque proceſſerit: reſtitutiones etiam ad famam & honores, gratiarum, indultorum, indulgentiarum ac priuilegiorum; & quaſcunque alias conceſſiones; ac omnia & ſingula tam juſtitiam, quàm gratiam concernentia, tam in foro conſcientiæ, quàm in contentioſo, in perſonis & locis quæ tempore conceſſionum & aliorum præmiſſorum obediuerunt præfato *Eugenio* poſt eius ſuſpenſionem ab adminiſtratione Papatûs atque depoſitionem, ſeu *Thomæ*, Nicolao V. in ſua obedientia, Romanis Pontificibus nuncupatis, tam per ipſos ſucceſſiuè quàm alium ſeu alios, ſuâ, aut alterius eorum mandato, etiam de latere Legatos, delegatos, ſiue alios quoſcunque ab eis vel eorum altero poteſtatem habentibus, conjunctim vel diuiſim qualitercunque facta, geſta, conceſſa, data, indulta, diſpoſita & ordinata; etiamſi majora & grauiora aut alterius cujuſcunque naturæ à præmiſſis exiſtant, & ſpecialem requirentia expreſſionem; quæ volumus & decernimus pro expreſſis ſpecificè haberi, cum omnibus & ſingulis inde ſecutis, ac etiam omnia & ſingula per ordinarios in dictis locis facta, præter illa & ſine eorum præjudicio, quæ per ipſum *Nicolaum*, vt præmittitur, Papam quintum in ſua obedientia nuncupatum, tam ſuper reſtitutione noſtræ congregationi incorporatorum, & nobis adhærentium, quàm ſuper confirmatione geſtorum per nos & ipſum Dominum *Felicem*, noſtrâque aut illius auctoritate facienda, concedenda, approbanda, & confirmanda ſunt, prout continetur in certis minutis per cariſſimorum Eccleſiæ filiorum Franciæ, & An-

gliæ, & Renati Siciliæ Regum, necnon Dalphini Viennenſis dicti Regis Franciæ primogeniti, illuſtrium, ſolemnes Oratores concordatis, & manibus proprijs ſubſcriptis, quibus per hanc noſtram confirmationem & approbationem nullatenus derogari aut præjudicari intendimus, nec aliquod detrimentum afferri; quinimmò decernimus illas plenam in omnibus ac in qualibet earum parte roboris firmitatem obtinere debere, perinde ac ſi præſentes noſtræ literæ minimè emanaſſent, pro bono pacis & vnionis Eccleſiæ, ex certa ſcientia, auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ præſentium ſerie approbamus, ratificamus, & confirmamus, ratáque & firma haberi volumus.

Necnon potiori pro cautela, de perſonis Patriarcharum, Epiſcoporum, & Abbatum, quibuſcunque Eccleſijs & Monaſterijs, quarum & quorum aſſecuti ſunt poſſeſſionem & poſſident de præſenti: necnon de dignitatibus, prioratibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, officijs, canonicatibus, & præbendis, commendis, ac Beneficijs quibuſcunque etiam diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter vel generaliter reſeruatis, deuolutis, vel quomodolibet affectis eorum poſſeſſionibus quibuſlibet, de nouo prouidemus; ac ipſorum omnium fructus, redditus, & prouentus, necnon emolumenta ſingula, in quibuſcunque & vbicunque etiam extra diœceſim, in quibus Eccleſia, Monaſterium, Prioratus, dignitas, ſeu Beneficium hujuſmodi fuerit conſiſtentia, ad eorum poſſeſſiones, excepto ſemper priuationis & ſpolij titulo, ſpectare & pertinere; & quod ipſi in ſuarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, dignitatum, & Beneficiorum, prout illorum ſingulos concernit, poſſeſſionibus pro hujuſmodi bono pacis & vnionis pacifici remaneant & quieti, decernimus & etiam declaramus: nomina & cognomina, valoréſque ipſorum Beneficiorum & dignitatum, ac nonobſtantias ipſorum poſſeſſorum pro expreſſis habentes; conſtitutionibus & ordinationibus noſtris & Apoſtolicis cæteríſque contrarijs non obſtantibus quibuſcunque.

Fructus etiam illos quos durante hujuſmodi diuiſione ex dictis Eccleſijs, dignitatibus, Beneficijs, & Officijs indebitè

perceperunt; etiamſi nobis & Cameræ noſtræ debiti eſſent, penitus ipſis & eorum cuilibet remittimus munificentiâ liberali; Camerario, Theſaurario, Clericis Cameræ, Collectoribus, Subcollectoribus noſtris quibuſcunque inhibendo ſub excommunicationis ſententia, & alijs cenſuris Eccleſiaſticis atque pœnis, quas remiſſioni & inhibitioni noſtris hujuſmodi quomodolibet contrauenientes incurrere volumus ipſo facto, ne fructus præmiſſos, occaſione præmiſſa, dicta durante diuiſione perceptos ac per nos remiſſos, vt præfertur, à quoquam quomodolibet exigere ſeu extorquere præſumant; dictorum rurſus poſſeſſorum ſingulis aduerſarijs ſuper præfatis Eccleſijs, Monaſterijs, Prioratibus, dignitatibus, Officijs, & beneficijs perpetuum ſilentium imponentes; quaſcunque promotiones, impetrationes, conceſſiones, prouiſiones, declarationes & literas deſuper pro ipſis aduerſarijs & alijs quibuſcunque in præjudicium ipſorum poſſeſſorum vel derogationem hujuſmodi per nos confirmatorum quomodolibet, etiamſi ex certa ſcientia, per nos ſiue alium quemcunque noſtra auctoritate ſiue alia quacunque factas, datas, conceſſas, & habitas, etiamſi in vim earum ipſis vel alicui eorum, jus in re, vel ad rem quæſitum foret; necnon diffinitiuas, & alias etiam quæ partibus ſe non deffendentibus in rem tranſiuerunt judicatam, ſuper Eccleſijs & alijs præmiſſis apud nos vel alios vbicunque contra dictos poſſeſſores promulgatas ſententias, & quæcunque inde ſecuta prædictis motu & ſcientia ac plenitudine poteſtatis pro bono pacis & vnionis prædictorum caſſamus, irritamus, & annullamus; ac caſſa, irrita, infecta, nulla, & inania, ac juribus vacua declaramus & denuntiamus. Illas verò ex ſententijs quæ pro dictis poſſeſſoribus ſuper præmiſſis, ac etiam quaſcunque alias ſententias quæ pro quibuſuis partibus ſe defendentibus, illarum omnium nominibus & cognominibus pro expreſſis habentes, & quæ ſententiæ in rem tranſiuerunt judicatam in Curijs prædictorum *Eugenij* & *Nicolai* nuncupatorum vſque in hodiernum diem prolatæ ſunt, validas & ratas decernentes. Necnon quaſcunque lites & cauſas deſuper apud nos vel alibi contra ipſos poſſeſſo-

res, ſuper prædictis Eccleſijs, dignitatibus, Beneficijs, & officijs quomodolibet pendentes: quorum omnium, etiamſi vna, vel duæ, ſeu plures diffinitiuæ vel aliæ ſententiæ prolatæ ſunt, ſtatus præſentibus pro expreſſis habentes, ad nos aduocamus & totaliter extinguimus.

Et pro majori omnium & ſingulorum ſecuritate ac roboris validitate, quibuſcunque perſonis tam Ecclesiaſticis quàm ſecularibus, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel præeminentiæ exiſtant, etiamſi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, aut alia quacunque præfulgeant dignitate: necnon quarumcunque tam Cathedralium, quàm Collegiatarum, & aliarum Eccleſiarum ac Monaſteriorum Capitulis, Collegijs, & Conuentibus, ac ſingularibus perſonis earundem: illíque vel illis, ad quem ſeu ad quos dictarum Eccleſiarum, Beneficiorum, & Officiorum electio, collatio prouiſio, præſentatio, ſeu quæuis alia diſpoſitio communiter vel diuiſim pertinet; ac hujuſmodi poſſeſſorum aduerſarijs, quibus per nos ſeu auctoritate noſtra vel alia quacunque factæ ſunt conceſſiones & prouiſiones de hujuſmodi Eccleſijs, Beneficijs, & Officijs, poſſeſſis, omnibúſque alijs & ſingulis quorum intereſt vel intererit quomodolibet in futurum, mandamus expreſſe inhibentes; videlicet Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, ſub ſuſpenſionis ab ingreſſu Eccleſiæ; minoribus verò perſonis ſingularibus, ſub excommunicationis; necnon dictorum poſſeſſorũ aduerſarijs ſub ſimili excommunicationis ac priuationis omnium & ſingulorum Beneficiorum ſuorum quæ obtinent, & inhabilitationis ad illa, & ad alia impoſterum obtinenda, perpetuæque infamiæ; Collegijs verò, Capitulis & Conuentibus ſub ſuſpenſionis à diuinis, pœnis, ſententijs & cenſuris, quas contrafacientes & rebelles, prout quemlibet ipſorum concernit, ex nunc prout ex tunc & ex tunc prout ex nunc incurrere volumus ipſo facto, ne ipſi ſeu ipſorum alter, publicè vel occultè, directè vel indirectè, quouis quæſito colore vel ingenio contra declarationes, conceſſiones, approbationes, ratificationes, confirmationes, & alia prædicta, vel eorum aliquod in præjudicium, dam-

Digitized by Google

num, & grauamen dictorum poſſeſſorum, ac derogationem præmiſſorum per nos confirmatorum aut alicujus eorum facere, dicere, & attentare; ſeu ipſi prænominati, ad quos ſpectat hujuſmodi electio, collatio, prouiſio, præſentatio, ſeu quæuis alia diſpoſitio, quenquam alium ad Eccleſias, dignitates, Beneficia, & Officia ſeu alia præmiſſa hactenus ſic poſſeſſa recipere & admittere; neque poſſeſſores hujuſmodi ſuper præmiſſis in aliquo vexare, moleſtare, perturbare, ſeu inquietare quomodolibet præſumãt aut præſumat: ſed ea omnia & ſingula inuiolabiliter, & ſine contradictione quacunque, quantum in eis eſt, manuteneant & obſeruent, dictóſque poſſeſſores in poſſeſſione ſua hujuſmodi teneant, & defendant. Si quæ etiam, quod abſit, per quempiam quâcunque, etiam auctoritate noſtra, contra præmiſſa ſeu eorum aliqua aut in præjudicium prædictorum poſſeſſorum ſiue alicujus ipſorum nouitates factæ fuerint, illas ac quæcunque inde ſecuta, ex nunc prout ex tunc habemus, & haberi volumus pro infectis; & nihilominùs cõtrauenientes & rebelles hujuſmodi, ſiue fuerint Patriarchæ, Archiepiſcopi, aut Epiſcopi ab ingreſſu Eccleſiæ; minores verò perſonas ſingulares excommunicatos; necnon dictos aduerſarios & eis auxilium dantes, vltra excommunicationis pœnam, Beneficijs & Officijs ſuis priuatos, inhabiles, & infames: Capitula verò, Collegia & Conuentus à diuinis ſuſpenſos per quemlibet Ordinarium loci, aut alterum in dignitate conſtitutum, ſiue Canonicum alicujus Eccleſiæ Cathedralis, per quemcunque ex hujuſmodi poſſeſſoribus eligendum & requirendum: ſeu executores dandos ſuper hujuſmodi noſtra voluntate in Curia Romana ſiue extrà, declarari & denunciari volumus & mandamus.

Super quibus omnibus & ſingulis ipſis & eorum cuilibet auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ damus, & concedimus facultatem, rejectis in præmiſſis omnibus, & ſingulis cautelis & appellationibus quibuſcunque in præjudicium præmiſſorum, interpoſitis, ſeu interponendis, quas tanquam friuolas & inanes cum inde ſecutis & ſecuturis ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, caſſamus, irrita-

mus, annullamus, & pro infectis haberi volumus: Vicecancellario & quibuſuis alijs Officialibus Romanæ Curiæ expreſsè inhibentes, ne ad cujuſuis inſtantiam ſuper cauſis prætenſarum appellationum hujuſmodi, aut alterius, viâ ſimplicis querelæ ſeu reſtitutionis in integrum, aliquam commiſſionem ſignare ſiue reſcriptum etiam extra Romanam curiam concedere. Nec Auditores cauſarum Palatij Apoſtolici ſeu Ordinarij loci, aut quicunque alij, commiſſiones ſiue reſcripta hujuſmodi recipere, ſeu cauſas deſuper motas & mouendas audire præſumant ſeu attentent. Adijcientes quòd ſi vllo vnquam tempore appareret de aliqua conceſſione ſeu declaratione per nos aut noſtra auctoritate quaſcunque clauſulas etiam derogatorias, generales, vel ſpeciales, ſub quacunque verborum forma in ſe continente (licet in ipſis dicatur non obſtantibus clauſulis dicentibus quòd in illis non derogetur, niſi de illis ſpecialis mentio fiat, aut quod de verbo ad verbum, & cum toto tenore illarum inſeri debeat) factâ ſeu fiendâ, per quam dictos poſſeſſores ſeu eorum aliquem in hujuſmodi ſuorum Beneficiorum poſſeſſione, ſeu alterius turbari, vexari, moleſtari ſeu inquietari aut contra hujuſmodi noſtras conceſſiones, prouiſiones, & alia per nos approbata fieri atque contraueniri poſſet, etiamſi ex certa ſcientia & auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ emanarent ſeu emanaſſent, tales declarationes aut conceſſiones pro bono pacis & vnionis Eccleſiæ nullatenus effectum ſortiri; ſed pro infectis & nunc prout ex tunc haberi volumus. Verùm ſi in obedientia prædicti nuncupati Nicolai V. duo vel plures ſuper vno vel pluribus Beneficijs litigarent, poſſeſſor non poſſidenti non afferat præjudicium; ſed cuilibet jus ſuum conſeruetur, ſempérque ſaluum etiam vnicuique maneat jus quod ante hujuſmodi diuiſionem ſibi quæſitum erat: & ſi aliquæ fuerint Eccleſiæ, ſeu Beneficia, quarum ſeu quorum caput in vna obedientia, & membra in altera exiſtunt, membra reducantur ad caput, ſaluo tamen quod membrum obtinens in illius remaneat poſſeſſione, ſi jus eidem competebat ante hujuſmodi diuiſionem. Cæterùm, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula in quibus eis fides forſan facienda fuerit,

Digitized by Google

fuerit loca deferre, dicta auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ decernimus, quòd illarum tranſumpto manu publica & ſigillo alicujus Epiſcopi, aut illius Vicarij ſeu Curiæ aut Superioris Eccleſiaſticæ ſignato & munito, perinde ac ſi originales literæ hujuſmodi exhiberentur, fides plenaria adhibeatur & ſtetur; irritum decernentes & inane ſi ſecus ſuper ijs à quoquam quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omninò hominum, &c.

Datum Lauſanæ decimo ſexto Kalendas Maij, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono.

EPISTOLA AMEDEI FELICIS Papæ V. nuncupati.

An. Chr. 1449. d. 5. Aprilis.

Communicauit D. d'Heroual.

LXXV. Felix Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad futuram rei memoriam. Diſponentes renuntiare Papatui causâ dandæ pacis in Eccleſia ſancta Dei, quam cariſſimorum in Chriſto filiorum Francorum, Angliæ, & Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennenſis primogeniti Francorum Regis ſolemnes Oratores apud nos ſumma diligentia proſequuntur: ex alta noſtræ mentis ſpecula cuncta prouidere neceſſe eſt, per quæ ſemotis cujuſcumque diuiſionis fomentis ad ſalutem animarum, & cujuſlibet honoris, famæ, ſtatúſque conſeruationem, deſideratæ vnionis conſurgat & vigeat integritas. Omnes igitur & ſingulos quocunque nomine cenſeantur, qui ratione obedientiæ, adhæſionis ſeu fauoris, tam olim Evgenio IV. quàm Nicolao Papæ V. in ſuis obedientijs ſic nominatis, quomodolibet præſtitorum & factorum, Eccleſijs forſitan Metropolitanis, Cathedralibus, Monaſterijs: Dignitatibus etiam majoribus poſt Pontificales in Cathedralibus, aut Principalibus in Collegiatis Eccleſijs: necnon Monaſterijs, Prioratibus, Præpoſituris, Perſonatibus, Adminiſtrationibus, & Officijs, necnon Canonicatibus, & Præbendis, cæteriſque quibuſlibet Beneficijs Eccleſiaſticis,

Licet Papatui renuntiet, rata vult quæ acta ſunt ſui Pontificatus tempore.

cum cura vel ſine cura, ſecularibus & regularibus quibuſcunque, &c. *vt in priori Decreto Lauſanæ, etſi aliis verbis.*

Datum Lauſanæ Nonis Aprilis, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo nono, Pontificatus noſtri anno nono.

AN. CHR. 1449. d. 5. April.

EIVSDEM FELICIS V.

Commun. D. d'Heronval.

LXXVI. FELIX Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Dum renunciare Papatui de proximo intendimus propter dandam Eccleſiæ pacem, cujus contemplatu Petri ſedem Domino vocante conſcendimus; conueniens arbitramur, primùm circa ſerenationem conſcientiarũ Chriſti Fidelium oculos dirigere, eáſque tam ſalubri pacificare remedio, quòd nullis ambiguitatibus inuoluantur, aut metu cenſurarum atque pœnarum occaſione diuerſitatis obedientiarum detineantur illatarum. Omnes igitur literas, proceſſus & mandata quæcunque; necnon excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, anathematiſationiſque, etiam priuationis Beneficiorum, Officiorum, ac Dignitatum quorumcunque, ſiue Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, aut aliarum quarumcunque Eccleſiaſticarum, vel mundanarum; inhabilitationis quoque, necnon declarationis, innouationis, damnationis, reprobationis, expoſitionis perſonarum, ac bonorum mobilium & immobilium, juriúmque & juriſdictionum publicationis & confiſcationis, priuationis quoque feudorum, aut etiam quorumcunque bonorum, & jurium ſpiritualium vel temporalium, & inhabilitationis ad illa; necnon abſolutionibus à fidelitatibus; & alias in eiſdem literis, proceſſibus, & mandatis quomodolibet contentas ſententias, cenſuras, & pœnas quaſcunque, & qualitercunque ſtatutas, inflictas & promulgatas: etiamſi expreſſis pares, vel minores, aut alterius cujuſcunque naturæ forent, per nos aut per alium ſeu alios, noſtra ſeu quauis alia auctoritate contra *Gabrielem, Eugenium IV.* ſeu contra *Thomam, Nicolaum V.* in ſuis obedientijs nominatos, necnon contra quaſvis perſo-

Reuocat & abrogat omnes cenſuras ratione ſchiſmatis latas.

Digitized by Google

nas Eccleſiaſticas ſeculares, vel regulares, ac etiam Laïcales, quæ præfatis *Eugenio* & *Nicolao* nominatis conjunctim, vel diuiſim adhærentes, aſſiſtentes, obedientes, obſequentes, credentes, recipientes, & quouiſmodo fauentes, eóſque ſequentes, qui ſunt ac fuerunt; cujuſcunque dignitatis, &c. *quæ alijs verbis in Decreto Lauſanæ legere licet.*

Datum Lauſanæ Nonis Aprilis, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo nono, Pontificatus noſtri anno nono.

EIVSDEM.

AN. CHR. 1449. d. 5. Aprilis.

LXXVII. FELIX Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Summopere deſiderantes, vt pax integra jam tempore multo ab Oratoribus ſolemnibus Cariſſimorum in Chriſto Filiorum Francorum, Angliæ, & Siciliæ Regum, necnon Delphini Viennenſis primogeniti Francorum Regis Illuſtriſſimi procurata, in vniuerſali Eccleſia radicetur: opportunum judicamus omnis diuiſionis ſeminarium & fomentum euellere, ne Chriſti Fideles damnoſis litibus, & diſcordijs in poſterum contingat agitari. Omnes & ſingulas promotiones, electiones, confirmationes, poſtulationum admiſſiones, tranſlationes, commendas, adminiſtrationes & prouiſiones quarumcunque Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum; necnon Abbatialium dignitates, & Monaſteriorum regimina quorumcunque exemptorum & non exemptorum, quaſcunque collationes, prouiſiones & diſpoſitiones quorumcunque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, regularium, vel ſecularium, de jure Patronatus etiam Laïcorum, cum cura vel ſine cura, etiamſi Eccleſiæ Parochiales fuerint, aut Canonicatus & Præbendæ, Dignitates majores poſt Pontificales in Cathedralibus, vel principales in Collegiatis exiſtant, perſonatus, perpetuæ adminiſtrationes vel Officia etiam curata, vel electiua in quibuſcunque Eccleſijs; Prioratus etiam Conuentuales, aut alia Beneficia cujuſcunque conditio-

Commun. D. d'Herouval. Omnes electiones, Priuilegia, & cætera id genus, à ſe collata, valitura decernit.

nis, qualitatis, vel naturæ fuerint, etiam alterius generis quàm expreſſa, paris vel majoris, etiamſi ex quauis cauſa tunc diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruata fuerint, vel aliàs affecta, vel ad nos, ſeu ad Sedem Apoſtolicam quomodolibet deuoluta, in vim ſeu prætextu quarum habita fuerit poſſeſſio, & poſſidentur de præſenti (præterquam de Eccleſijs, Monaſterijs, Dignitatibus, Beneficijs quæ nobis obedientes, adhærentes, atque ſequentes poſſidebant, & durantibus hujuſmodi diuiſionibus aliàs quàm noſtra auctoritate priuati ſeu deſtituti ſunt, vel contra ipſos poſſeſſores ſententias, quæ in rem tranſierunt judicatam, in Baſilienſi, aut in hac Lauſanenſi ciuitatibus, ſancta generali Synodo itidem permanente, ſiue in Curia noſtra partibus ſe defendentibus obtinuerunt, aut ſurrogati ſunt, ſiue aliàs quàm titulo priuationis & ſpolij ſeu deſtitutionis præmiſſarum occaſione diuiſionum factas) admiſſiones etiam reſignationum quorumcunque Beneficiorum, Dignitatum, Eccleſiarum ſimpliciter vel ex cauſa permutationis; auctoriſationes & inſtitutiones, in vim etiam quarum habita eſt poſſeſſio; penſionum quarumcunque ſuper quorumuis Beneficiorum Eccleſiaſticorũ fructibus reſeruationes & aſſignationes, cum proceſſibus & fulminationibus inde ſecutis; necnon vniones, annexiones, incorporationes quorumcunque Dignitatum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum ſecularium & regularium quibuſuis Patriarchalibus, Archiepiſcopalibus, Abbatialibus vel Capitularibus menſis, & Monaſterijs, Conuentibus, Dignitatibus, Canonicatibus & Præbendis vel Beneficijs, ſeu ad inuicem ſub quibuſuis verborum formis; dimembrationes Eccleſiarum & Beneficiorum quorumcunque; Eccleſiarum quoque, Monaſteriorum, Studiorúmque generalium fundationes, erectiones, ſuppreſſiones, & ſubjectiones; & quorumcunque Beneficiorum creationes, exemptiones, item reuocationes, pallij dationes, conſecrationes, benedictiones, perſonarum de ordine, ad ordinem tranſlationes, infeudationes inſtitutiones, contractuum confirmationes, facultates teſtandi, conceſſiones, abſolutiones, liberationes, quictancias ſuper quibuſcunque debitis ratione decima-

Digitized by Google

rum, ſemidecimarum, indulgentiarum, annatarum, communium & minutorum ſeruitiorum, vel aliàs quomodolibet; diſpenſationes tàm ſuper ætatis, quàm natalium & aliarum inhabilitatum defectibus, ſuper incompatibilibus in quocunque munere, etiamſi ad curas Parochiales, matrimonijs, juramento, ordinibus, & voto etiam tranſmarino, & rebus alijs quibuſcunque; necnon abſolutiones à quibuſcunque, excommunicationis, anathematizationis, & alijs cenſuris Eccleſiaſticis; interdictorum tam generalium, quàm ſpecialium relaxationes; rehabilitationes ab omni macula, irregularitate, aut alia inhabilitate, vndecunque proceſſerit; reſtitutiones etiam ad famam & honores; gratiarum, indultorum, indulgentiarum, & priuilegiorum, & quaſcunque alias conceſſiones; ac omnia & ſingula tam juſtitiam quàm gratiam concernentia, tam in foro conſcientiæ quàm cotentioſo, in perſonis & locis quæ tempore conceſſionum & aliorum præmiſſorum obediuerunt præfato *Eugenio* poſt eius ſuſpenſionem ab adminiſtratione Papatus, atque depoſitionem, ſeu *Thomæ*, *Nicolao V.* in ſua obedientia Romanis Pontificibus ſic nuncupatis, tam per ipſos ſucceſſiuè, quàm alium, ſeu alios, ſuo, aut alterius eorum mandato, etiam de latere Legatos, delegatos, ſiue alios quoſcunque ab eis vel eorum altero poteſtatem habentes conjunctim vel diuiſim qualitercunque facta, geſta, conceſſa, data, indulta, diſpoſita & ordinata, etiamſi majora & grauiora, aut alterius cujuſcunque naturæ à præmiſſis exiſtant, & ſpecialem requirentia expreſſionem, quæ volumus & decernimus pro expreſſis ſpecificè haberi, cum omnibus & ſingulis inde ſecutis, ac etiam omnia & ſingula per Ordinarios in dictis locis facta præter illa, & ſine eorum præjudicio quæ per ipſum *Nicolaum*, vt præmittitur, Papam V. in ſua obedientia nuncupatum, tam ſuper reſtitutione præfatæ ſanctæ Synodo noſtræ congregationi incorporatorum, ac illi & nobis adhærentium, quàm ſuper confirmatione geſtorum per eandem Synodum & nos, noſtráque aut illius auctoritate facienda, concedenda, approbanda, & confirmanda ſunt, prout continetur in certis minutis per cariſſimorum Eccleſiæ filiorum

Franciæ, & Angliæ Regum, necnon Delphini Viennenſis dicti Regis Franciæ primogeniti Illuſtrium ſolemnes Oratores concordatis, & manibus proprijs ſubſcriptis, quibus per hanc noſtram confirmationem & approbationem nullatenus derogari & præjudicari intendimus, nec aliquod detrimentum afferri; quinimò decernimus illas plenam in omnibus ac in qualibet earum parte roboris firmitatem obtinere debere, perinde ac ſi præſentes noſtræ literæ minimè emanaſſent, pro bono pacis & vnionis Eccleſiæ motu proprio, ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac conſilio & aſſenſu venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctę Romanę Eccleſię Cardinalium, præſentium ſerie approbamus, ratificamus & confirmamus, ratáque & firma habere volumus, &c. *vt in præfato Decreto Lauſanæ.*

Datum, *vt ſuprà.*

An. Chr. 1449. d. 16. Maij.

Comman. D. d'Heroual.

Ob pacis Eccleſiæ fœdus initum ſupplicationes ingratiarum actiones decernant, exhortatur.

JACOBI JVVENALIS DE VRSINIS Epiſcopi Pictauienſis.

A mes tres-chiers Seigneurs & Freres mes Seigneurs de la Chambre des Comptes du Roy noſtre Sire.

LXXVIII. TRes-chieres Seigneurs & Freres, ie me recommande à vous tant comme ie puis, & vous plaiſe ſçauoir comme apres pluſieurs longs labeurs, ſollicitudes, & diligences en la proſecution de la paix & vnion de noſtre Mere ſaincte Egliſe, il a plû à Dieu noſtre Createur élargir ſa grace à ſon peuple longuement agité par le ciſme & diuiſion qui a eſté, comme ſçauez, deſpuis dix ans en la Chreſtienté, & tellement que moyennant icelle grace par la proſecution & bonne conduite du Roy noſtre ſouuerain Seigneur, tres-excellent Seigneur le Pere de Monſieur le Duc de Sauoye n'agueres en ſon obeïſſance appellé Pape Fœlix, & de preſent tres-Reuerend Pere en Dieu Monſieur l'Eueſque de Sabine premier Cardinal de la ſaincte Egliſe de Rome, & Legat du S. Siege Apoſtolique, en grande humilité, liberalement, & ſolemnellement a renoncé au droict, tiltre; & poſſeſſion qu'il pretendoit en la dignité Apoſtolique, laiſſe & depoſe les enſei-

Digitized by Google

gnes & habits : & ceux qui ſe diſoient tenir & celebrer Concil general en cette Cité de Lauſane, tranſlaté de Baſle par eux en cette dite Cité, ſe ſont diſſolus, & tous vnanimement ont fait obeïſſance à noſtre ſainct Pere le Pape Nicolas V. en le reconnoiſſant vray Pape vnique & Vicaire de Noſtre Seigneur IESVS-CHRIST : & tout par bons, juſtes, & ſains moyens, à l'honneur de tous, ſans confuſion de perſonne, à la ſerenation de toutes conſciences, & au bien & brefue reformation de l'Egliſe, à l'aide de Dieu, comme autrefois plus particulierement pouuez ſçauoir, & à tout conſiderer les matieres, les qualitez des perſonnes, & la forme de faire, & les circonſtances des choſes : c'eſt tout euidemment œuure diuine, non pas humaine, & en laquelle le Roy noſtre ſouuerain Seigneur a acquis gloire & grand honneur, & renommée par toute la Chreſtienté, & memoire perpetuelle, & immortelle. Or deuons tous bien loüer & regracier noſtre benoiſt Saulueur qui telles & ſi grãdes graces nous fait à tous ſans nos merites ne deſeruices. Et ſingulierement le doiuent loüer, & remercier le Roy noſtre ſouuerain Seigneur, & tous ſes Officiers & Subjets, car à luy & à ſa nation a donné Dieu l'honneur de cette œuure, & maintes autres grandes & euidentes, voire comme miraculeuſes graces à fait, & fait chacun jour, en & ſur luy, & ſa Seigneurie & Nation, autant ou plus que en autre nation Chreſtienne, comme vous le ſçauez mieux. Si vueüillez entant que en vous eſt, pour ce ſingulier don de Dieu, & pour tous les autres, & auſſi pour le bon eſtat & gouuernement de l'Egliſe, & pour la proſperité du Roy noſtredit Seigneur, ordonner & diſpoſer de faire rendre graces, loüanges, & prieres à Dieu ainſi que vos diſcretions ſçauront mieux, ainſi que en tel cas appartient pour reconnoiſtre les dons de Dieu, qui vous ait en ſa ſaincte garde. Eſcrit à Lauſane le xx. jour d'Avril.

Infrà hanc Epiſtolam iſta erant annotata.

Voſtre ſeruiteur le Patriarche d'Anthioche Eueſque de Poitiés.

Et le Ieudy au ſoir 15. jour de May 1449. par l'Ordon-

nance des Preuoſt des Marchans, & Eſcheuins de la Ville de Paris, furent faits feux & feſtes par tous les quarrefours, & autres pluſieurs lieux en la Ville de Paris : Et le lendemain furent faites Proceſſions generales à Noſtre-Dame, & d'illec allerent à S. Victor remercier Dieu.

Supra verò hæc inſcripta.

Preſentées au Bureau le 14. iour de May 1449.

NICOLAI Papæ V.

An. Chr. 1449. d. 18. Iunij.

Commun. D. d'Heroual.

Irritas decernit quaſcunque cenſuras inflictas occaſione ſchiſmatis.

LXXIX. NIcolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Tantò nos pacem & tranquillitatem cunctorum Fidelium procurare & amplecti conuenit, quantò deſideramus fructus vberrimos inde ſequi. In eo quippe cor noſtrum ſuauiſſimè delectatur, quòd diebus noſtris ſanctam Dei Eccleſiam in pacis & vnionis pulchritudine, ac debita integritate florentem videre valeamus. Cùm itaque ſuperioribus temporibus propter diuiſiones ſubortas inter Fœlicis recordationis Evgenivm Papam IV. prædeceſſorem noſtrum, & tunc Baſilienſe Concilium, plurimùm turbata, ac varijs modis afflicta fuerit Eccleſia Dei: jam autem diuina fauente ac dirigente clementia, tractatu Oratorum Cariſſimorum in Chriſto Filiorum, Francorum, Angliæ, & Renati Siciliæ, Regum, necnon Delphini Viennenſis primogeniti Francorum Regis illuſtris, pacem Eccleſiæ redditam agnoſcimus, dum percipimus venerabilem & Cariſſimum Fratrem noſtrum Amedeum, primùm Cardinalem Epiſcopum Sabinenſem, in nonnullis Prouincijs Apoſtolicæ Sedis Legatum, Vicariúmque perpetuum, Felicem Papam V. tunc in ſua obedientia nominatum, juri, quod in Papatu aſſerebat ſe habere, ad hujuſmodi pacem Eccleſiæ obtinendam ceſſiſſe. Eos verò qui Baſileæ, poſtmodum Lauſanæ, ſub nomine generalis Concilij hactenus permanſerunt, ordinaſſe ac publicaſſe nobis tanquam vnico & indubitato Summo Pontifici obediendum eſſe à cunctis Fidelibus;

Fidelibus; & præfatam Lauſanenſem diſſoluiſſe Congregationem.

Cupientes igitur quantùm Omnipotens donauerit id agere, quo vniuerſi Chriſti Fideles ipſius pacis jocunditate fruentes, animorum conjunctione ſibi inuicem cohæreant, & rejectis quæ ex diſcordia orta fuerant, ſtatus vniuſcujuſque, honor, fama & reputatio illæſi & integri remaneant: Literas, proceſſus, mandata, & decreta quæcunque; necnon excommunicationum, ſuſpenſionum & interdicti, anathematizationíſque, etiam priuationis Beneficiorum, Officiorum, ac Dignitatum quorumcunque, ſiue Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium, Abbatialium, aut aliarum quarumcunque Dignitatũ Eccleſiaſticarum vel mundanarum: inhabilitationum quoque, necnon declarationum, innouationum, damnationum, reprobationum, expoſitionum perſonarum, ac bonorum mobilium & immobilium, jurium ac juriſdictionum, publicationum & confiſcationum, priuationum, feudorum, ac etiam quorumcunque jurium ſpiritualium vel temporalium, & inhabilitationum ad illa: necnon abſolutionum à fidelitatibus & alias in eiſdem literis, proceſſibus, mandatis, & decretis quomodolibet contentas ſententias, cenſuras, & pœnas quaſcunque & qualitercunque ſtatutas, inflictas, & promulgatas, etiamſi expreſſæ, majores vel pares, aut alterius cujuſcunque naturæ forent, per præfatum *Eugenium* Prædeceſſorem noſtrum in quibuſcunque literis ſuis quorumcunque tenorum, & ſub quacunque data exiſtant, etiamſi cum expreſſione, approbatione Ferrarienſis ſeu Florentini aut alterius Concilij generalis; ſiue per nos, aut per alium, ſeu alios: ipſius, aut noſtrâ, ſeu quâuis aliâ auctoritate contra dictum Baſilienſe Concilium, & eos qui ſub nomine generalis Concilij tam in Baſilienſi quàm in Lauſanenſi ciuitatibus memoratis fuerunt, vt præfertur: Necnon contra præfatũ venerabilem ac Cariſſimum Fratrem noſtrum *Amedeum* primùm Cardinalem Epiſcopum Legatum, & Vicarium ſupradictum Felicem V. in ſua obedientia nuncupatum: ac quaſvis perſonas Eccleſiaſticas, ſeculares, vel regulares, ac etiam Laïcales, quæ eiſdem conjunctim vel

diuiſim adhærentes, aſſiſtentes, obedientes, credentes, recipientes, ac quouiſmodo fauentes, eóſque ſequentes fuerunt, cujuſcunque dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ſeu conditionis exiſtant, etiamſi Pontificali, Cardinalatus, Regali, aut Ducali dignitate præfulgeant: Contra dominia quoque, necnon communitates, vniuerſitates etiam generalium ſtudiorum, ciuitates etiam, præſertim Baſilienſem, ac oppida, & alia loca quæcunque, præmiſſorum occaſione emanata, facta, conceſſa, decreta, & promulgata. Simili quoque modo declarationes & confirmationes ſuper præmiſſis, & eorum ſingulis noſtra, ſeu dicti prædeceſſoris auctoritate, quomodolibet factas: necnon proceſſus habitos per eaſdem, ac quæcumque inde ſecuta, etiamſi ad ſententiarum, cenſurarum, atque pœnarum declarationem, ſeu illarum aut alicujus earum publicationem, ſeu plenariam executionem, contra perſonas, dominia, communitates, vniuerſitates, ciuitates, oppida & loca ſupradicta communiter vel diuiſim, quomodolibet ſit proceſſum; quorum omnium & ſingulorum tenores, etiamſi de illis plena & expreſſa, ac de verbo ad verbum præſentibus mentio habenda foret, hîc pro ſufficienter expreſſis haberi volumus; motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, ac de Sedis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, necnon de venerabilium Fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu decernimus & declaramus nullum effectum penitùs ſortiri, ſed perinde haberi debere, ac ſi nullatenus emanaſſent; eáque omnia & ſingula, cum inde ſecutis, de Regiſtris ipſius *Eugenij* Prædeceſſoris & noſtris, & locis alijs quibuſcunque aboleri & deleri mandantes, omninò tollimus, caſſamus, irritamus, & annullamus, & pro infectis haberi volumus: Et nihilominus ſi & in quantum opus eſſet ad abundantem cautelam, ſingulas ex perſonis, dominia, communitates, vniuerſitates, ciuitates, opida ac loca ſupradictas & ſupradicta, ad famam, dignitates, honores, ſtatus, & priuilegia, quatenus illis eadem occaſione priuatæ & priuata prætendi poſſent, in ſtatum priſtinum & debitum reſtituimus, reponimus, & reintegramus, plenariè per præſentes, motu ſcien-

tia & plenitudine poteſtatis ac conſilio & aſſenſu antedictis. Et quoniam difficilè foret præſentes literas ad ſingula, in quibus eis fides forſan facienda fuerit, loca deferre: dicta auctoritate decernimus, quòd ipſarum tranſumpto manu publica, & ſigillo alicujus Epiſcopalis, vel Superioris Eccleſiaſticæ Curiæ munito, tanquam præfatis, ſi originales exhibeantur, literis plena fides adhibeatur, & perinde ſtetur; ac ſi dictæ originales literæ forent exhibitæ vel oſtenſæ; juribus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteríſque non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum voluntatis, conſtitutionis, declarationis, mandati, caſſationis, irritationis, annullationis, reſtitutionis, repoſitionis, & reintegrationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Spoleti, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono: Quartodecimo Kalendas Iulij, Pontificatus noſtri anno tertio.

EIVSDEM.

AN. CHR. 1452. d. 6. Ian. *Conceſſit D. d'Hermual.*

FRANCISCVM SFORTIAM DVCEM MEDIOLAN.

Adhortatur Pontifex ad pacem ineundam.

LXXX. NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto Filio nobili viro FRANCISCO SFORTIÆ Duci Mediolani, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet deſiderium noſtrum ſemper fuerit quòd Italia, quæ diu omni ex parte bellis laceſſita fuit, & in dies magis laceſſitur, pace & quiete temporibus ſaltem noſtris potiretur, & ad id ſuperioribus annis operam omnem dederimus, mittendo Legatos noſtros primo anno aſſumptionis noſtræ Ferrariam, & poſtmodum ad alia loca; & etiam anno præcedenti Oratores Partium hîc apud nos pluribus menſibus

Digitized by Google

fuerint, & nihil omiſerimus vt pax ipſa ſequeretur: tamen peccatis noſtris & aliorum ſic exigentibus non placuit illi, à quo pax & omne bonum procedit, vt votis noſtris pro tunc potiremur; impreſentiarum verò diligenter conſiderato, quot mala, quot hominum interitus, prædæ & deuaſtationes clariſſimarum Ciuitatum,& Rerumpublicarum ex his continuis Italiæ bellis proueniunt,viſum eſt nobis, & Venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, dignitati noſtræ conuenire, nec id abſque Dei offenſa prætermittere poſſe, iterum hoc negotium pacis aggredi,omníque ſtudio,ingenio,& diligentia procurare, vt præfato deſiderio noſtro ſatisfiat: & quanquam dictę pacis concedendę certam ſpem habere non poſſimus, in illo tamen,qui eſt author pacis, & omnium bonorum largitor, confidentes,longè meliorē ſpem nunc habemus,quàm hactenus. Nam credimus Nobilitatē tuam, & omnes alias Italię Potentias,ſatis cognitum & exploratum habere quot ſint bellorum incommoda pariter & diſcrimina, quæ talia ſunt, vt aliquando potentiores, & qui vicerunt, propiores fuerint periculo. Quare vt tantum bonū pacis ſequi poſſit, hortamur eandem Nobilitatem tuam,vt Oratores tuos huc citiſſimè mittere velis bene inſtructos de omnibus, & cum pleno ac ſufficienti mandato ad hanc pacem concludendam,ad quam vt totis affectibus inclineris eandem Nobilitatem tuam ex corde rogamus. Idem ſcribimus ad alias Potentias quarum intereſt, & credimus firmiter eas Oratores ſuos ſine mora miſſuras. Nos enim quamprimùm præfati Oratores aduenerint, ipſi paci, omnibus alijs poſtpoſitis, omni ſollicitudine incumbemus, ſperantes in clementia Dei noſtri qui precioſiſſimum Sanguinem ſuum in remiſſionem peccatorum noſtrorum effundere dignatus eſt,& non habito reſpectu ad peccata noſtra, ſed ad ſuam ineffabilem miſericordiam hac vice nos fortaſſis compotes faciet huius optimi deſiderij noſtri, & ita Majeſtatem ſuam ſupplices deprecamur.

Datum Romę apud ſanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, octauo Idus Ianuarij, & Pontificatus noſtri anno ſexto. DE LVCA.

Digitized by Google

EIVSDEM.

CAROLO VII. Francorum Regi.

An. Chr. 1452. d. 1. Febr.

Conceſſit D. d'Heronual. Regi, quòd nonnulla poſtulet contra Canonum ſancita, concedere non poſſe ſignificat.

LXXXI. NIcolavs Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Francorum Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Accedens ad præſentiam noſtram Venerabilis Frater noſter Ioannes Archiepiſcopus Turonenſis, tuæ Serenitatis literas detulit, ex quibus intelleximus ipſum à tua ſublimitate Oratorem & Ambaxiatorem ſuum ad nos deſtinari; Intelleximus ipſum & grauiter & ornatè referentem quantùm ſemper Religionis, pietatis, & fidei, & præcipuè deuotionis in Apoſtolicam Sedem anteceſſores tui Francorum Reges Illuſtres indeſinenter oſtenderint, quantúmque curæ, ſollicitudinis & operæ pariter adhibuerint, ne tyrannica factione vel Longobardorum, vel aliorum quorumuis ſimili factione nitentium, Sedes Apoſtolica ſuis juribus & dominijs ſpoliaretur; & cùm ita diuinæ Prouidentiæ placuiſſet, vt Celſitudo tua tantorum Principum & ſucceſſor & hæres exiſteret, eandem poſtquam rerum dominata eſt, ſicut nominis ita & religionis & deuotionis in ſeipſa velle officium adimplere, nec pati vt in tam ſancto & diuino propoſito præſentium Principum te aliquis antecedat.

Verùm hoc vnum nobis velle ſignificare, quòd propter ſuperiora tempora, quibus ferè per quadraginta annos Regnum tuum bellicis calamitatibus ſine ceſſatione vaſtatum eſt, ea onera non poſſe tollerare quæ cùm florentiſſimum & pacatiſſimum erat, & libenti, deuoto & grato animo tolerauit. Itaque congruis precibus obſecrabat, vt æquo animo ferre vellemus, ſi vaſtatum bellicis concuſſionibus Regnum, donec conualeſceret, florentis temporis onera conſueta non ferret. Nam non minus erat deuotionis & fidei, ſed ita filijs noſtris pro temporum qualitate cenſebat tua Serenitas à nobis meritò prouidendum. Reſpondimus, Sereniſſime Princeps, Fraternati ſuæ nos omni-

potenti Deo immortales gratias habere, quòd Sublimitatem tuam temporibus noſtris tanti Regni tenere gubernacula præſtitiſſet, in qua tot præſidia in neceſſitatibus Eccleſiæ ſumus experti, quòd vix plura ſciuiſſemus optare. Nonne ingrati animi eſſet non meminiſſe quantâ impenſâ, curâ & ſollicitudine in principio Pontificatus noſtri, cùm Eccleſia eſſet in ſchiſmate, pacem & vnitatem tuæ pietatis operâ conſecuta ſit? Nonne omni humanitati & gratitudini eſſet aduerſum, non ſemper memoriter tenere quanta Serenitati tuæ cura fuerit, vt res & loca Romanæ Eccleſiæ, quæ in natione Gallicana conſiſtunt intactæ & incolumes permanerent, quibus tuendis ſemper & auxilium & conſilium præſtitiſti? Nonne impium eſſet & penè ſacrilegum non jugiter attendere, & ante cordis oculos infixum tenere, quanta pietate plurimorum voluntates & ſtudia, quibus Eccleſiam magnis diſcriminibus agitare contenderent, compeſcuiſſe & ſilentio compreſſiſſe? Dedit Serenitatem tuam miſericors Deus temporibus iſtis, quibus multorum frigeſcente caritate ſuperabundauit iniquitas, Chriſtianiſſimi illius Regni moderamina tenere, multa & admirabili Chriſti caritate feruentem. Seruet Eccleſiæ ſuæ, ſeruet & nobis perſonam tuam incolumem miſericors Dominus, & ſi fieri poſſit, faciat immortalem: Seruet & hoc ſanctum, hoc pium, hoc diuinum propoſitum, vt te Chriſtianiſſimo Principe tutore ac defenſore frui diutiùs valeamus.

Hæc licet prolixiori oratione coram venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus præfato Archiepiſcopo perſtrinximus: Adijcientes nos Chriſtianiſſimi Francorum Regni non aurum ſitire, non diuitias, ſed animarum ſalutem: & cum à nobis Oratores & Legati deſtinati fuêre, non inſedit cordi noſtro vlla rerum temporalium cupiditas, vlla ſitis habendi quæ temporalia ſunt & tranſeuntia, nec permanent; ſed nos de æternis rebus, hoc eſt, de animarum ſalute fuiſſe ſollicitos. Vnde & impræſentiarum pariter obſecramus, vt non credat, Serenitas tua, nos aliud velle, aliud intendere, niſi quæ animarum ſaluti conſulant, & ab itineribus damnationis eripiant. Nam in his excuſationis locus non eſt propter ignorantiam. Nam

Digitized by Google

in hoc præcipuè verificatur illud Apoſtolicum dictum : *Qui ignorat, ignorabitur.* Itaque rogauimus & rogamus, vt quæ ſine læſione conſcientiæ ſeruari non poterunt, dignaretur tua Serenitas è medio remouere. Nam quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur ; aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua ? Vna eſt enim Eccleſia, vna eſt fides ipſius, eædem debent eſſe leges quibus tota & in toto orbe gubernatur & regitur. Nec licet alicui quacunque poteſtate prę-fulgeat, qui vult eſſe ouis gregis Dominici, & inter illas numerari, quę Petro à Chriſto commiſſæ ſunt, cùm dictum fuit illi : *Paſce Agnos meos* : ſe ab illis legibus propria auctoritate ſubtrahere : nec dubitare debet qui contrarium fecerit, ſe illas pœnas incurrere, quæ Canonum & Eccleſiaſticarum legum tranſgreſſoribus infliguntur ; & contrarium ſentire, idem eſſet quod dubitare de poteſtate clauium. Nos ſi iſta taceremus : aut non noſceremus, Nos ſucceſſorem Petri, cui oues Dominicæ ſunt ; aut Celſitudinem tuam à Dominicarum ouium numero videremur excludere ; & apud illum ęternum Pontificem qui judicaturus eſt viuos & mortuos, cujus vicem in terris gerimus, ſilentij noſtri rationem minimè aſſignare poſſemus. Hæc quæ impræſentiarum ſummatim attingimus, latiùs diximus præfato Archiepiſcopo, Serenitati tuæ per ipſius organum vberiùs explicanda, cui fidem plenam tua Celſitudo adhibere dignetur ſuper his, ac etiam ſuper nonnullis alijs particularibus negotijs, quæ ſibi commiſimus præfatæ Serenitati tuæ referenda. Cui nos & Apoſtolicam ſedem cum vniuerſa Chriſti Eccleſia affectuoſiſſimè commendamus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, Kal. Februar. Pontificatus noſtri anno ſexto.

AN. CHR. 1454. d. 9. Ianu.

FRIDERICI Imperatoris

Sereniſſimo Principi CAROLO Regi Francorum Fratri noſtro Cariſſimo.

Ex Autographo D. d'Herouual.

Hortatur Regem ad comparandum exercitum aduerſus Turcas, qui nuperrimè Conſtantinopol. ceperant: atque vt in eam rem ſuos Ratiſponam mittat Oratores.

LXXXII. FRIDERICVS diuina fauente clementia Romanorũ Imperator ſemper Auguſtus, Auſtriæ, &c. Dux, Sereniſſimo Principi CAROLO Dei gratia Regi Francorũ Fratri noſtro Cariſſimo, Salutem & amoris fraterni continuum incrementum. Quantum dedecoris, quantúmque detrimenti diebus noſtris acceperit Chriſtiana Religio, expugnatâ per Turcos & in ſeruitutem redactâ memorabili Ciuitate quam Magnus olim Conſtantinus Anteceſſor noſter in æmulationem Romanæ Vrbis erexit, etſi omnes Chriſtiano nomine inſignitos cum maxima cordis amaritudine percipere non dubitemus, præcipuè tamen fraternitatem veſtram & dolere quàm vehementer, & anxietate mentis vrgeri credimus non mediocri; cùm & veſter animus ad profectum orthodoxæ fidei, communéque bonum populi Chriſtiani intentus fuerit, & clariſſimi progenitores veſtri ſuis temporibus ſæpe Domus Dei zelo ſuccenſi, ſumentes arma, vexillúmque ſalutiferę Crucis prę ſe ferentes, innumeras Paganorum, Saracenorúmque turmas proſtrauerint, atque deleuerint, noménque illud Chriſtianiſſimum in veſtra familia velut hæreditarium ſua virtute quæſiuerint. Ea propter cùm intelligatis impreſentiarum Orientalis Imperij ſolium, Patriarchalémque ſedem Regiam, & ampliſſimam Ciuitatem in hoſtium deueniſſe poteſtatem, murum & antemurale fortiſſimum noſtræ Religionis amiſſum, Imperatorem Græcorum occiſum, nobilitatem Vrbis majori ex parte cæſam, innumeras animas in ſeruitutem redactas, Templa diuino dicata nomini quæ fuerunt illic juxta Imperialem magnificentiam ſplendidiſſima, ſpurcitiæ Mahumeti ſeruire: euerti altaria Saluatoris noſtri, & glorioſiſſimæ Matris ejus Imagines, & vniuerſa Chriſtianitatis ſigna deleri. Ductorem autem illum Turcorum, quem de nomine Pſeudo-prophetæ Mahumetum

metum appellant intolerabili faſtu, & incredibili ſuperbia elatum Occidentem ſibi totum polliceri ſubigendum, Chriſti cultoribus ſeruitutem, vincula, verbera, cædes, & innumera minitari ſupplicia; exercitus inſtruere copioſos, claſſem apparare ingentem, vigilare, inſtare, nitíque modis omnibus vt Chriſti legem, Euangeliúmque ſubuertat.

Non eſt nobis dubium quin veſtra Fraternitas & plurimùm doleat, & dolendo de remedio cogitet oportuno, quo tanta & tam enormis injuria Chriſtiano irrogata nomini vindicetur, & qui majora minatur communis hoſtis filius Sathanæ ſecundus Mahumetus, Chriſtiano mucrone confoſſus cum Iuliano tandem Apoſtata *Vicisti Galilee, vicisti*, dicere compellatur. Equidem nos cladem huiuſmodi Conſtantinopolitanam in mente ſæpiùs reuoluentes, ſæuiſſimóſque Turcorum actus, & ſtudia quibus in nos vtuntur animaduertentes, Chriſtianę genti maximum imminere diſcrimen intelligimus, & niſi citò ac magnis animis & vnitis viribus fideles Reges & Principes ipſe opponant, timendum eſſe conſpicimus, ne breui tempore eorum qui ſupererant Chriſtianorum magna pars à fide deficiat. Eam ob cauſam cùm primùm accepimus de ſubacta Conſtantinopoli nuntium, ſtatim Beatiſſimo Domino noſtro Summo Pontifici literas dedimus, & offerentes ad tuitionem Eccleſiæ Catholicæ noſtras operas, in agendis conſilium directionémque poſtulauimus, ſicut in tanto negotio fidem concernente neceſſarium judicauimus. Ipſe verò Legatum ſuum per hos dies ad nos direxit, venerabilem IOANNEM Epiſcopum Papienſem deuotum noſtrum dilectum, qui exornata oratione quamuis flebili, & rebus agendis accommodata coram nobis habita, periculum in quo Chriſtiana Reſpublica verſaretur oſtendit, & quæ Sanctæ Romanæ ſedis eſſet pro tutela fidei vel cura, vel præparatio, declarando Serenitatem noſtram velut Eccleſię Catholicæ protectricem magnopere adhortatus eſt, vt aduerſus Turcorum inſolentem audaciam cum noſtris Principibus ac Magnatibus inſurgamus; atque vt primi inter ſæculares poteſtates quibus de ſalute communi Chriſtianorum cura & ſollicitudo incumbit, cæteros Reges & Principes ad ip-

ſum noſtris exemplis, & hortationibus inuitemus. Nos autem conſiderando hujuſmodi negotium pro majeſtatis Imperatoriæ ſublimitate, & aduocationis Eccleſiaſticæ debito inter ſæculi Principes noſtram potiſſimè curam diligentiámque depoſcere, nequaquam in tanto Chriſtianæ Reipublicæ diſcrimine aut ſilendum duximus, aut diſſimulandum; ſed ad expellendum ex Chriſtianorum dorſo crudeliſſimum hoſtem totis conatibus elaborandum, feſtinandúmque per nos & noſtros Principes exiſtimauimus.

Verùm quia res ipſa maxima & ponderoſiſſima eſt, ac plurimorum indiget auxilio, neceſſarium nobis viſum eſt noſtrorum Principum Eccleſiaſticorum & ſecularium, necnon communitatum & vniuerſorum Imperij ſubditorum habere conuentum, quem ad Feſtum ſancti Georgij proximè futurum in ciuitate noſtra Ratiſponenſi ſupra Danubium indiximus: in quo perſonaliter comparaturi de congregando contra Turcos exercitu, déque cæteris rebus ad defenſionem & augmentũ Chriſtianæ Religionis pertinentibus, cum his qui aderunt modis congruentibus auctore Domino diſponemus; ſperantes & Apoſtolicę Sedis illic interuenire Legatos, & aliorum quamplurium Regum & Principum quibus ſuper hoc ſcribimus, Oratores. Cùm autem Fraternitas veſtra inter Chriſtianos Reges ſublimem locum diuino munere ſit ſortita, Regnóque maximo & potentiſſimo præſit, non eſt nobis ambiguum quin ad juuandum ejus cauſam, cujus dono regnat, ſuóſque populos in pace gubernat, mentem erectam habeat, jámque vias & modos excogitauerit quibus Turcorum confringi gladius, compeſci furor, & audacia plecti, Chriſtianáque rurſus reſurgere gloria poſſit. Quibus ex rebus apprimè nobis gratum eſſet, & ad negotium fidei bene fœlicitérque deducendum admodum vtile reputamus, quòd veſtra Fraternitas in die dicta ad Ciuitatem Ratiſponenſem, noſtràmque præſentiam ſuos præſtantes deſtinet Oratores, qui nos de mente veſtra in hoc tam grandi & vtili negotio efficiant certiores; cum quibus veſtro nomine conuerſari, & de ſalute Reipublicæ Chriſtianæ tractare, ac per eos Serenitati veſtrę quicquid in Conuentu Ratiſponenſi per nos cum

noſtris Principibus deliberatum concluſúmque fuerit, communicare poſſimus; vt ſic in re fidei, in Chriſti negotio, in facto communi alter alterum intelligentes, & concordibus animis procedentes, Chriſtianum populum, & ſubjectam plebem, cujus ſudore viuimus, & in alto verſamur, faciliùs defendamus, hoſtémque noſtris ex finibus acerrimum propulſemus: nihil enim ambigimus quin nobis fideliter agentibus ac Chriſti Redemptoris noſtri cauſam virili & forti animo defendentibus, ille nobis Angelus aſſiſtat qui primogenita percuſſit Ægyptiorum, qui Pharaonem & ejus exercitum projecit in mare; qui lapidem Dauid in Goliath ſuperbum direxit; qui centum octuaginta quinque milia in exercitu Sennacherib vna nocte interemit; quíque tumentem & gloriabundum nimis Holofernem manu fœmineæ detruncauit. Voluntas in communi nobis & ordo fuerit, ac rectus in Deum animus, nihil eſt quod de Turcorum potentia formidemus, homines, equi, currus & arma abundè ſuppetunt Chriſtianis, & fortiſſima bello juuenum pectora, nec ſcientia deeſt rei militaris excellens: Certa in manibus victoria eſt, ſi placato Domino zelus nos fidei, & ſincerus in prælium ſpiritus duxerit.

Hortamur igitur Serenitatem veſtram, Cariſſime Frater, vt ad hoc tam pium & neceſſarium opus totis præcordijs intendentes, inclyti Regni veſtri vires in ſubſidium fidei, in Chriſti laudem, in Occidentalis populi gloriam apparetis; atque vna nobiſcum contra communem hoſtem de modo reſiſtendi, & ſumendis armis cogitetis: digna eſt enim cauſa in qua laboremus. Namque ſi pro noſtris aut amicis, aut ſubditis leui nonnunquam injuria laceſſitis irritati gladios apprehendimus, magníſque nos ipſos periculis objectamus; quid nunc agamus quando mater noſtra Eccleſia laceratur, fides oppugnatur orthodoxa, Chriſti nomen blaſphematur, & omnis Chriſtianitas in diſcrimine cernitur. Ecce jamdudum terram illam in qua viſus eſt Deus noſter, & annis ſupra triginta homo cum hominibus conuerſatus, & in qua primi reſurrectionis flores apparuerunt, propter noſtras iniquitates viuificæ Crucis inimici conculcant. Terra benedicta, Terra promiſſionis, Terra

lacte fluens & melle ſceleratæ gentis imperio paret: quin ipſam Dei viuentis ciuitatem, officináſque noſtræ Redemptionis, ſanctáque loca, Agni immaculati purpurata cruore, præcipuum piæ religionis ſacrarium, ſimúlque venerandum lectum, ſpurcidi Mahumeti ſatellites occupant, in quo propter nos vita noſtra obdormiuit in morte. Nihil eſt jam noſtrum apud Ieroſolymam; Antiochiam, vbi primum venerabile nomen Chriſtianorum eſt auditum, Saracenorum inuaſit impietas; Africam & Aſiam vniuerſam alieni à Chriſto detinent. In Europam jam pridem tranſitum fecere Mahumetiſtæ. At decus illud Orientis, Græciæ columen, Helleſponti oſtium portúmque firmiſſimum Propontidis, Conſtantinopolim hoc ſolùm anno conquirere potuerunt. In angulum redacta Chriſtianitas eſt; Apoſtolicas Sedes præter Romanam cunctas amiſimus. Ex quinque Patriarchalibus Eccleſijs, quibus veluti ſolidiſſimis baſibus Catholica ſubnixa fides in altum latumque mirificè per orbem totum felices olim propagines extendit, Romana nobis tantummodò ſuperat. Non eſt igitur ampliùs ſuperſedendum, non eſt cur otio atque deſidiâ torpeamus; ſurgendum eſt, occurendúmque diris hoſtibus, antequam nos in domibus noſtris aggrediantur, antequam cordi vulnus infligant. Exurgat ergo veſtra Serenitas, pugnatoréſque Regni ſui delectos in Domini caſtra tranſmittere ſe diſponat, nóſque de ſua diſpoſitione, vt eſt prædictum, oraculo præſtabilium Oratorum in dieta Ratiſponenſi auiſet, vbi & nos cum Principibus & ſubditis noſtris de modis opportunis, per quos bellatores in exercitum Domini dirigendos quàmplures & ſtrenuos & audentes congregare poſſimus, diligenter conſultabimus & agemus; vt ſic cum noſtra & veſtra militia coadunatis aliorũ Regum & Principum conſilijs & auxilijs, non ſolũ Chriſtianos tueri fines, ſed vltrò in ſuis ſedibus exterminare Turcos ſub vexillo Crucis Fidelium gladius & poſſit & audeat. Aſſit tantùm Dominus Deus noſter, Dominus exercituum, noſtróſque dirigens greſſus & apparatus, actúſque juuans, pugnantibus pro ſua immaculata & puriſſima ſponſa militibus aduerſus exprobratorem & blaſphemum hoſtem, brachium ſuæ pietatis

Digitized by Google

accommodet ; vt qui confidens in multitudine ſuorum equitum cœleſtem contemnit Regem iniquus Mahumetus, maturè ſuorum ſcelerum pœnas luat.

Datum in Noua Ciuitate, die nona menſis Ianuarij, Imperij noſtri anno ſecundo.

Ad mandatum Domini Imperatoris in Conſilio, Reuerendo P. Domino ÆNEA *Epiſcopo Senenſi.* H.

CALLISTI Papæ III.

CAROLO VII. Galliæ Regi.

AN. CHR. 1455. d. 8. Aprilis.

Ex Autographo D. d'Herouval.

Regem reddit certiorem de ſua in Summum Pontificem electione, ac mentem ſuam aperit de pellendis Turcis Conſtantinopoli.

LXXXIII. CALLISTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Cariſſimo in Chriſto filio CAROLO Francorum Regi illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Immenſa ſummi Dei bonitas, & ineffabilis prouidentia, volens mundum primi parentis præuaricatione damnatum per ſuam infinitam caritatem ab æterna morte redimere, Filium Vnigenitum noſtræ mortalitatis carnem ſuſcipere voluit, vt per ejus ſacratiſſimam Paſſionem depulſa priorum caligine delictorum, nos ad Regna cœleſtia euocaret, qui cùm eſſet in terris prædicans Regnum, Apoſtolos ſibi elegit, vt ſuorum imitatores operum Eccleſiam ſanctam ſuam poſt ejus ad cœlos glorioſiſſimam aſcenſionem regerent, & acceptam ab eo gratiam inter homines diffundentes illam multiplicato fructu rederent ampliorem ; inter ipſos autem, Petrum Apoſtolorum Principem, & caput Eccleſiæ conſtituit, data ſibi & ſuis ſucceſſoribus ſoluendi & ligandi plenaria poteſtate : neceſſe enim fuit cùm vnicuique huic vitæ finis conſtitutus, vt Petri auctoritas, dignitas, & poteſtas traduceretur ad ejus in Romana Eccleſia ſucceſſores, vt eſſet vſque ad ſæculi conſummationem, qui Chriſtum repreſentans, caput eſſet Eccleſiæ ſuæ, & ſoluendi & ligandi poteſtatem vicariam obtineret. Cùm igitur per hanc ab ipſo Petro continuatam Romanorũ Pontificum ſucceſſionem fœlicis recordationis NICOLAVS Papa quintus prædeceſſor noſter, qui Summus Romanæ Eccleſiæ Pontifex & verus Chriſti

IESV Vicarius in ſede Petri hactenus præfuit in hac alma vrbe, ſuum diem claudens extremũ, animam Deo reddiderit, ipſius funeris in Baſilica Principis Apoſtolorum exequiarum celebratione ſolemni de more, & juxta obſeruatam conſuetudinem ſubſecuta. Nos vnà cum venerabilibus Fratribus noſtris, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, Romæ in Palatio Apoſtolico, apud Baſilicam Beati Petri Apoſtolorum Principis, in quo idem prædeceſſor dum viueret habitabat, & curſum præſentis vitæ finierat, conuenientes in vnum modo & tempore congruis, conclaue ingreſſi ſumus pro Summi Pontificis electione, vbi facta celebratione Miſſæ in honorem Sancti Spiritus, & poſt diligentem tractatum, prout tantæ rei dignitas poſtulabat, prædicti Fratres, ejus qui inuocatus fuerat gratiâ cordibus ipſorum infusâ, Nos tunc tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Præſbyterum Cardinalem, & Epiſcopum Valentinenſem, in Summum Pontificem elegerunt, graue onus & noſtris viribus impar, noſtris humeris imponendo. Nos igitur, licet humilitatem noſtram, & imbecillitatem ad tanti ponderis ſarcinam ſuſtinendam cognoſceremus, tamen confiſi quòd is qui elegit humiles vt fortia confunderet, vota noſtra adjuuando proſequetur, nec deſeret in ſe ſperantes; ſuſcepimus onus impoſitum nobis, ea etiam ſpe nos hortante, quòd tuæ & aliorum Chriſti fidelium pro nobis ad altiſſimum porrectæ orationes & preces, auxilium ad regendum ſuam Eccleſiam apud Saluatorem noſtrum vberiùs impetrabunt, & fortiorem reddent ad tantùm regimen infirmitatem noſtram. Idcirco hortamur in Domino tuam Serenitatem vt indicere velis, vt ſolemnes proceſſiones cum celebratione Miſſæ ſancti Spiritus fiant in regnis tuis, & ſimul precibus omnium Fidelium altiſſimo ſupplicetur, vt nobis gratia ſua aſſiſtat, & dirigat actus noſtros, vt poſſimus condignè regere Eccleſiam ſanctam ſuam, & ea agere quæ ſpectant ad ſalutem animarum Fidelium, extirpationem hæreſum, & pacem populi Chriſtiani. Inter cætera autem intendimus circa oppreſſionem Turcorum & aliorum infidelium omnes vires & conatus noſtros adhibere, vt illi immaniſſimi hoſtes

Digitized by Google

Chriſtiani nominis, non ſolùm à ciuitate Conſtantinopolitana, quam nuperrimè occuparunt, ſed à finibus Europæ penitus expellantur: diſpoſiti quoque ſumus omnia agere, quantùm cum Deo poterimus, quæ ſpectent ad honorem & ſtatum tuum. Cæterùm Bullam plumbeam ſine impreſſione noſtri nominis eſſe præſentibus appenſam tua Sublimitas non miretur, ſed potiùs gratuletur, eò maximè quia eiuſdem tuæ Sublimitatis deſiderio occurrentes, ipſas literas ante accepta coronationis noſtrę inſignia duximus tranſmittendas, infra quod tempus perfectæ Bullæ vſus cum Pontificis impreſſione nominis, de conſuetudine non habetur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſexto Idus Aprilis, milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto.

Proximè poſt hanc Epiſtolã eiuſmodi Calliſti Papæ votum ſequebatur.

Votum CALLISTI Papæ III.

Comm. D. d' Herouval.

LXXXIV. EGo Papa CALLISTVS III. promitto & voueo Sanctiſſimæ Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui ſancto, Dei Genitrici B. MARIÆ ſemper Virgini, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, totíque Curiæ cæleſti, quòd etiam vſque ad effuſionem proprij ſanguinis, ſi opus fuerit, dabo operam, & adhibebo omnimodam diligentiam, quantum cum Deo potero, juxta conſilium Venerabilium Fratrum noſtrorum, pro recuperatione ciuitatis Conſtantinopolitanæ, quæ heu! peccatis hominum exigentibus, his noſtris temporibus occupata & euerſa eſt per IESV CHRISTI Crucifixi & Saluatoris noſtri benedicti inimicum, & filium diaboli Machometum Turcorum dominum; & pro liberatione inde Chriſtianorum; necnon ad exaltationem fidei Orthodoxæ, & exterminationem diabolicæ ſectæ reprobi perfidíque Machometi, potiſſimè in partibus Orientalibus, vbi maximè fidei lumen occubuit. Quòd ſi oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea, & adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui; & ſi non propoſuero te Ieruſalem in principio

Digitized by Google

lætitiæ meæ. Sic me Deus adjuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

E. S. R. E. CARDINALIVM.

CAROLO VII. Galliæ Regi.

AN. CHR. 1455. d. 15. Aprilis.

Ex Autographo D. d'Herouual.

Regi ſignificant electionem Calliſti Papæ III. eiúſque depellédis Turcis Conſtantinopoli votum.

LXXXV. SERENISSIMO Principi, & Illuſtriſſimo Domino, Domino CAROLO Dei gratia Francorum Regi Chriſtianiſſimo, Miſeratione diuina Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Salutem in Domino ſempiternam. Quia non dubitamus Serenitatem veſtram pro innata ſibi bonitate & deuotione erga Romanam Eccleſiam plurimùm lætari & gaudere, quandocumque ad eius notitiam deducitur, ſtatum ipſius Eccleſiæ in Dei honorem & Chriſtiani nominis exaltationem ſalubriter dirigi, & fœliciter gubernari, ac fœlicia in ſpiritualibus & temporalibus incrementa ſuſcipere. Idcircò Excellentiſſimæ Serenitati veſtræ notum facimus, quemadmodum diebus proximè præteritis, fœlicis recordationis Domino Nicolao Papa quinto, ſicut Domino placuit, rebus humanis exempto, apud ſanctum Petrum eius exequijs ſolemni ritu ibi de more peractis, ex eodem loco deſcendimus ad electionem futuri Romani Pontificis, qui poteſtate diuinitus omnibus collata, & exemplo vitæ ac ſanctitatis oues Chriſti tanquam bonus Paſtor in vberrimis ſpiritualium bonorum paſcuis, & virentibus herbis abundè paſceret & impinguaret, ſicut per Ezechielem moniti atque inſtructi fueramus: qui præterea exemplo Euangelici Paſtoris, ſi res exigeret, animam daret ſuam pro ouibus ſuis. In quo Conclaui quindecim Cardinales numero interfuimus, vbi poſt Miſſarum ſancti Spiritus peracta ſolemnia, in cujus quidem Spiritus vinculo & benignitate omnis noſtra ſpes conſtituta extitit & firmata: habita tamen priùs rerum diligenti & matura deliberatione, & diſcuſſione, ac mentis intuitum non ad priuata commoda, ſed ad vniuerſalis Eccleſiæ neceſſitatem dirigentes, attendentéſque quòd orbis vniuerſus ad nos potiſſimùm in tanta re proſpiceret.

Digitized by Google

proſpiceret. Tandem omnes in vnam ſententiam conuenientes, quod diuinum potiuſquam humanum arbitrati ſimus, elegimus Reuerendiſſimum Dominum ALFONSVM tunc Preſbyterum Cardinalem Valentinenſem vulgariter nuncupatum in Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Pontificem & Paſtorem, qui Calliſtus III. voluit appellari: quam quidem electionem ab omnipotenti Deo factam judicare licet, qui Eccleſiam ſuam nouis ſemper incrementis tutatur & auget, nec diuturna viduitate angi vel conquaſſari permittit. Sic enim Chriſtus eius ſponſus ei pollicitus eſt, quando vſque ad conſummationem ſæculi ſecum eſſe promiſit; proinde nobis Pontificem dedit qualem vix meliorem, & ijs temporibus magis idoneum optare potuiſſemus, qui etſi ex hominibus aſſumptus eſt, audenter tamen dicimus ipſum à Deo fuiſſe vocatum tanquam Aaron, in quem ſanè concurrunt omnia quæ ad fœlicitatem Reipublicæ requiruntur, in qua honores, dignitates, ac præmia quanta magno & excellenti viro ac omnibus virtutibus decorato dari poſſunt, conſecutus eſt; tum in Eccleſia Dei, tum in adminiſtratione rerum publicarum, tum in conſilijs Regum & Principum, vbi primum locum ſemper obtinuit propter ſummam eius integritatem, & bonitatem, ac excellentem juris vtriuſque peritiam, in qua ab adoleſcentia claruit, & Doctor famoſiſſimus ſemper extitit. Cujus doctrina & lectio etiam clariſſimos viros & titulis inſignes in tota Hiſpania effecit, & tanquam ſidus fulgentiſſimum hac noſtra ætate in Romana Eccleſia multis annis effulſit, pro fide Catholica aduerſus hæreſes, & ſchiſmata inuictiſſimus bellator exiſtens: propter quod, vt arbitramur, Deus exaltauit ipſum & dedit illi diadema ſupremi honoris in militanti Eccleſia. Accedit ad hæc ſanctiſſima eius vita, religio in Deum, pietas in proximum, juſtitia in omnes, & liberalitas erga indigentes & benemeritos: Sed præcipuè ſtudium & deſiderium quoddam ardentiſſimum vindicandæ injuriæ à perditiſſimo Mahometo Turcorũ Rege annis proximis in ciuitatis Conſtantinopolitanæ debellatione, nomini Chriſtiano illatæ. Qua in re ita feruens præfatus Dominus noſter exitit, vt cùm primùm electus fuerit, electionem ſuam

in Deum referens, votum ſolemniſſimum emiſerit pro illius Ciuitatis liberatione, cujus voti copiam præſentibus includi fecimus, vt ea faciliùs quæ ſcribimus, vobis innoteſcant. Quia igitur Pontificem elegimus qui poterit compati infirmitatibus omnium; idcircò magno caritatis feruore ducti, ipſum vobis denuntiamus, vt communicato gaudio, pariter in Domino exultemus, commemorantes Angelicum canticum quod in ortu Saluatoris ſuſcepimus, videlicet, *Gloria in altiſſimis: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Quare rogamus eximiam veſtram Serenitatem vt indicere veliris, quòd ſolemnes proceſſiones cum celebratione Miſſæ ſancti Spiritus in veſtris Regno & Dominijs fiant, & ſimul precibus omnium Fidelium Altiſſimo ſupplicetur, vt nobis gratiâ ſuâ aſſiſtat, & dirigat actus noſtros, vt poſſimus condignè omnia agere quæ in Dei honorem & Eccleſiæ ſuæ ſanctæ ad animarum Fidelium ſalutem redundant.

Datum Romæ ſub trium noſtrorum priorum impreſſione ſigillorum, die quinta decima menſis Aprilis, Anno à Natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto.

LADISLAI Regis Hungariæ

CALLISTO Papæ III.

An. Chr. 1456. d. 7. Aprilis.

Comm. D. d' Heronual.

Papæ votis ſe ſatisfacturum in omnibus ſpondet, aſſeritque paratum habere exercitum in Turcas.

LXXXVI. BEATISSIME Pater, non absre morati ſumus expectationem S. V. quominus edoceri hactenus potuerit, cui & quanto vſui paremus operam in hac neceſſitate communi Chriſtianæ Reipublicæ: cujus conditionem non ex eo duntaxat quod læſa ſit, ſed quia pluſquam læſa eſt, dolendam conſpicimus. Pependit huc uſque ex ancipiti quadam rerum mutatione deliberatio noſtra varijs caſibus, varijs occupationibus implicita; non cunctationi, non denique negligentiæ vacatum eſt: ſed vti conſilia noſtra & ratione & euentu felicia forent, animus, voluntas, votum parendi monitis Apoſtolicis nuſquam defuit; tempora, modus, & facultas reſpondendi defuerunt; quæ ſimul vt conſequi potuimus, mox dilatio-

Digitized by Google

ANNOTATIONES. Quod ad illa attinet quæ à Rhodio
Garziæ Lusitano, Medico Antuerpiano, & Amato Lusitano
Medico Romano, de Medicina Physica scripta sunt, ea
ut ingeniosa, ita non satis solida videntur. Quæ à Fernelio
de Physica Medicina, & ejusdem Medicinæ Physicæ Pa-
tribus, Hippocrate, Galeno, Avicenna, Rasi, Mesue, Al-
bucasi, Serapione, Avenzoare, Averroe, Mesue Juniore,
Arnaldo de Villanova, Gordonio, Bernardo Gordonio,
Guidone, Joanne Jacobo Manlio, Joanne Argentario, Ja-
cobo Sylvio, Joanne Baptista Montano, Joanne Cuneo,
Joanne Crato, Andrea Lacuna, Joanne Wierio, Joanne
Heurnio, Joanne Fernelio, Joanne Baptista Sylvio, Ja-
cobo Horstio, Joanne Baptista Elsholtio, Joanne Bap-
tista Van Helmont, Joanne Jacobo Wecker, Joanne Ja-
cobo Manget, Joanne Conrado Brunner, Joanne Con-
rado Peyer, Joanne Conrado Brunner Filio, Joanne Ja-
cobo Harder, Joanne Jacobo Wepfer, Joanne Jacobo
Huber, Joanne Jacobo Scheuchzer, Joanne Jacobo Ha-
ller, Joanne Jacobo Zimmermann, Joanne Jacobo Rei-
sel, Joanne Jacobo Ammann, Joanne Jacobo Baier, Jo-
anne Jacobo Reinhard, Joanne Jacobo Rau, Joanne Ja-
cobo Rüdinger, Joanne Jacobo Sinner, Joanne Jacobo
Sulzer, Joanne Jacobo Wagner, Joanne Jacobo Wolf,
Joanne Jacobo Zimmermann, Joanne Jacobo Zwinger,
Joanne Jacobo Zwinger Filio, Joanne Jacobo Zwinger
Nepote, Joanne Jacobo Zwinger Pronepote, Joanne Ja-
cobo Zwinger Abnepote, Joanne Jacobo Zwinger Tri-
nepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritabnepote, Joanne
Jacobo Zwinger Tritapronepote, Joanne Jacobo Zwinger
Tritatrinepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatritabnepote,
Joanne Jacobo Zwinger Tritatritapronepote, Joanne Ja-
cobo Zwinger Tritatritatrinepote, Joanne Jacobo Zwin-
ger Tritatritatritabnepote, Joanne Jacobo Zwinger Tri-
tatritatritapronepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatri-
tatritatrinepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatritatri-
tatritabnepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatritatri-
tatritapronepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatritatri-
tatritatrinepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatritatri-
tatritatritabnepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatri-
tatritatritapronepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatri-
tatritatritatrinepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatri-
tatritatritatritabnepote, Joanne Jacobo Zwinger Tri-
tatritatritatritapronepote, Joanne Jacobo Zwinger Tri-
tatritatritatritatrinepote, Joanne Jacobo Zwinger Tri-
tatritatritatritatritabnepote, Joanne Jacobo Zwinger
Tritatritatritatritatritapronepote, Joanne Jacobo Zwin-
ger Tritatritatritatritatritatrinepote, Joanne Jacobo
Zwinger Tritatritatritatritatritatritabnepote, Joanne
Jacobo Zwinger Tritatritatritatritatritatritapronepote,
Joanne Jacobo Zwinger Tritatritatritatritatritatritatri-
nepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatritatritatritatri-
tatritatritabnepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatri-
tatritatritatritapronepote, Joanne Jacobo Zwinger Tri-
tatritatritatritatritatrinepote, Joanne Jacobo Zwinger
Tritatritatritatritatritatritabnepote, Joanne Jacobo
Zwinger Tritatritatritatritatritatritapronepote, Joanne
Jacobo Zwinger Tritatritatritatritatritatritatritatri-
nepote, Joanne Jacobo Zwinger Tritatritatritatritatri-
tatritatritatritabnepote, Joanne Jacobo Zwinger Tri-
tatritatritatritatritatritatritatritapronepote, Joanne
Jacobo Zwinger Tritatritatritatritatritatritatritatri-
tatritatritatritatritatritatritatritatritatritatritatri-
tatritatritatritatritatritatritatritatritatritatritatri-
tatritatritatritat

in quibus vel debito, vel fauore, vel auctoritate noſtra opus erit. Placeat modò Deo noſtro, vt belli hujus fama non minus habeat operis quàm nominis. Nos in his quæ pollíciti ſumus, vel quæ agere inſtituimus, ſolida tutâque deliberatione agimur, edocti curare calamitatem vicinorum ex parte maxima ad nos redundantem. Habemus autem pernicioſum hoſtem non tantùm bello paratum, ſed famâ quoque belli aduerſum noſtros tanquam telo agentem, qui nomen Chriſtianum, gentémque in vltimum dedecus jam contrudere parat. Is, vt certa & recenti nunc relatione audiuimus, magno exercitu, magnâque armorum ſedibus ſuis excita mole caſtra metatur in Bulgaria tranſgreſſurus, hinc Seruiæ terras, ac tandem è proximo fines Regni noſtri aditurus.

Cùm igitur diu jam monſtri hujus artes pertulerimus, videamúſque nos callidè cogi vt ſuam potiùs quàm noſtram occaſionem ſequamur: præuenire decreuimus hoſtem apud fines Regni noſtri, ne præueniamur ab hoſte. Hanc quoque deliberationem nouiſſimè de conſilio Legati S. V. ſuſcepimus, vt non diebus, non menſibus expectatis quò citiùs fieri poterit parati ſimus ad hoc bellum, quod & pro noſtro ſuſcepimus debito & pro aliorum exemplo; Supplicantes Beatitudini veſtræ, vt de claſſe & exercitu nauali à ſe promiſſo ita deliberet ac diſponat, vt ſine mora expeditus mittatur ad profectum & vſum deſtinatum, quò celeriùs littora, portus, & ciuitates hoſtium nunc, vt intelleximus, omni fere timore vacuas vexare, copiáſque hoſtiles hinc inde diſtrahere poſſit. Hæc eſt rebus noſtris fiducia præcipua, hæc omnibus ſpes vincendi, hæc denique Chriſtianis conualeſcendi via; is erat effectus famæ par; in hoc maximè laudabilis erit bonæ rei maximus auctor: quo principe ſociorum plenitudo timore, compedibus, ſeruitute, precario victu liberabitur. Ne autem & apud alios Principes fidei Catholicæ quominus emiſſa per eos vota compleantur, vel cunctatio aliqua vel diſſimulatio interueniat: curet S. V. pro more ſuo operam dare, vt & bono tempore exercitus eorum adſit, quo tandem inſtructi æquis viribus valentiùs tanti belli diſcrimen adeamus: Alioquin

plerumque ſera, vt aiunt, pro nullis ſunt: & tempora momentis aut pretioſa fiunt, aut vilia. Quod noſtræ partis eſt, enitemur vt opera noſtra & fidei communi, & publicæ libertatis vſui dono Domini proficiat. In alijs nos ad ea quæ Reuerendiſſimus ipſe Pater noſter Legatus S. V. ſcribet, & ex parte noſtri nota faciet, referimus; quam Dominus Deus conſeruet feliciter regimini & profectui Eccleſiæ ſuæ ſanctæ.

Datum Budæ, die ſeptima menſis Aprilis, Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto.

Eiuſdem S. V. filius LADISLAVS *Dei gratiâ Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex; & Auſtriæ & Stiriæ Dux, necnon Marchio Morauiæ, &c.*

JOANNIS Cardinalis S. Angeli CALLISTO Papæ III.

AN. CHR. 1456. d. 7. April.

Commun. D. d'Herouval.

Certiorem reddit SS. Pontif. quòd Rex Hungariçbreui exercitum aduerſus Turcas ſit comparaturus: idque vt agant alij Duces Italiæ, efficiat ſuis commonitionibus.

LXXXVII. BEATISSIME Pater, & Clementiſſime Domine, poſt pedum oſcula beatorum. Diſtulit Sereniſſimus Dominus Rex LADISLAVS reſpondere mihi in negotio fidei propter abſentiam aliquorum, qui majorem peritiam rei militaris habent & exercitium pugnandi cum Turcis: Quibus ad ſe accerſitis ex magna deliberatione publicè reſpondit præſentibus Prælatis, Baronibus, Nobilibus Regni Hungariæ, Boëmis & Auſtralibus, qui hîc adſunt, quòd pro honore Dei & obedientia S. V. vult bellum gerere contra Turcas, vt S. V. jubet. Verùm quia iſto anno fuit ſterilitas in Seruia, & in confinibus vbi bellum gerendum eſt, non poſſunt ibidem exercitus commodè manere, ſed maturis anni præſentis fructibus erit ibidem abundantia tam ex nouis frugibus, quàm ex his quæ conducentur. Vnde promiſit in proximo menſe Auguſti congregatum exercitum habere, & bellum gerere. Et quia Turci potentatus maximus eſt: ſupplicat eidem S. V. vt ſuam claſſem citiùs mittat, & vt Sereniſſimus Do-

minus Rex Aragonum, & alij mittant, curet, & terras mari proximas inuadant; vt hoſtis intentus illarum defenſioni terrarum minoribus copijs terreſtrem muniat exercitum: Hoc ſexta Aprilis actum eſt, ſequenti die fuit Rex certior factus quòd Turcus venit obſidere Caſtrum Nandoralba, & alia Caſtra, claues & introitus iſtius Regni, & tranſire Danubium. Quare ſublata omni dilatione Rex decreuit obuiandum illicò hoſti defendenda vada Danubij, occupare paſſus, caſtráque munire: Propter hoc miſit Regia Majeſtas Reuerendiſſimum Dominum Cardinalem Strigonienſem, Epiſcopum Varadienſem, Dominum Ioannem Vaïuoda Gubernatorem ad me notificare quæ intellexerat, & monere me, & monuerunt ex parte Regis, vt iſta S. V. nota faciam, ac ſupplicem humiliter, vt illicò ſine aliqua dilatione mittat claſſem contra Conſtantinopolim, & bellum per mare fieri mandet, vt potentia iſtius hoſtis peſſimi diuidatur. Beatiſſime Pater, niſi Sanctitas Veſtra prouideat, Regnum hoc maximam cladem patietur, quia non ſufficit per ſe, nec de Germaniæ Prouincia, ſaltem habet auxilia maximè æqualia Turcorum potentatui. Tota ſpes poſita eſt quòd Deus placatus veſtris precibus dabit cor V. S. mittendi ſua auxilia ſine mora, & procurendi aliorum Catholicorum potentiam. Hoc maximè deſideratur à V.S. vt ſuam claſſem illicò mittat; & quòd Sereniſſimus Dominus Rex Aragonum idem faciat, ac Scanderbeth terrâ bellum gerat, & Magnus Caramanus Turchiam inuadat, & Illuſtres Principes Venetiarum, Mediolani, & Ianuenſium Duces, & Florentini, & alij terra & mari concurrant in auxilium. Quia ſcio S. V. zelum optimum verbis finem pono: tantùm oneri mihi à S. V. delato ſatisfactum puto, periculum quod eminet notificando. Periculum tale eſt, quòd mora diei & horarum poteſt talem inducere cladem quam perpetuò Chriſtianitas defleat, & à quibus auxilia petuntur, cogantur rogare. Deputati ſunt ad tractandum mecum de rebus, bellum & exercitum concernentibus, Dominus meus Reuerendiſſimus Cardinalis Strigonienſis, qui omnia facit quæ poteſt Epiſcopus Varadienſis, Illuſtris Dominus Ioannes Vaïuoda Gubernator, qui offert ſe omnia poſſibilia fa-

turum. Curabo occurentia nota facere S. V. quam omnipotens Deus noſter conſeruare dignetur.

Ex Buda ſeptimo Aprilis, Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto.

E. S. V. Humilis ſeruitor IOANNES
Cardinalis ſancti Angeli.

CALLISTI Papæ III.

CAROLO VII. Regi Francorum.

AN. CHR. 1456. d. 1. Maij. *Commun. D. d'Heronval.*

LXXXVIII. CARISSIME in Chriſto Fili, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet jamdiù nec immeritò Serenitatem tuam omni affectione dilexerimus, tamen receptis nuper humaniſſimis literis tuis, quibus ipſa Serenitas nobis apertè regióque animo & liberalitate ſignificat ſe pro ſacro-ſanctæ Catholicæ fidei defenſione & exhortatione paratam eſſe conſentire, vt decima ſuper vniuerſali Eccleſia, & præſertim in tuo Regno leuetur: Adeò ex hac tam mirifica, & Catholico Rege digna liberalitate animus noſter gaudet, vt fatendum ſit jamdiu nihil nobis accidiſſe jocundius. Tuæ itaque Celſitudini immortales gratias agimus, quæ Majorum ſuorum veſtigia ſequitur, in quibus ſemper firmum columen & præſidium Catholicæ fidei conſtitutum fuit. Nunc, Cariſſime Fili, nunc promendæ ſunt omnes vires facultatéſque; nunc clara voce ipſa Chriſtiana fides auxilium vocat, vt immaniſſimorum hoſtium furor ſæuiens in Chriſti Fideles reprimatur: quod facile erit, ſi priùs quàm illorum audacia & rabies inualeſcant, viriliter reſiſtatur. Deus & Beatiſſimi Apoſtolorum Principes nobiſcum erunt, & ſancti Spiritus aura nauiculam Petri ad optatum portum, ſuperatis fluctibus, adducet. Nos autem magno animo ſumus; & quæ ad obſiſtendum inimicis Chriſti neceſſaria ſunt, omni cura & celeritate paramus; hortamúrque ac rogamus tuam Serenitatem, vt quæ liberaliter obtulit, pro rei magnitudine & neceſſitate adimpleat, détque operam vt decima hujuſ-

Gratias agit, quòd Rex permiſerit decimam in ſubſidium exercitus contra Turcas exigi.

modi exigatur, vt pecuniæ non deſint operi ſanctiſſimo. Et vt efficaciùs tua Celſitudo mentem noſtram, & quo in ſtatu res omnis apparatúſque noſter conſiſtat, intelligere poſſit, remittimus ad eandem dilectum Filium LVDOVICVM Leſcaſes, quem virum bonum, & Deum timentem cognouimus. Ob idque voluntatem noſtram Serenitati tuæ per eundem ſignificandam ordinauimus : Quam precamur vt ipſi Ludouico in omnibus quæ noſtro nomine narrauerit, ſine aliquo dubio, provt in alijs noſtris Literis ſcripſimus, pleniſſimam fidem adhibere velit. Orantes Deum pro felici ſtatu tuæ Celſitudinis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die prima Maij, milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

AN CHR. 1456. d. 23. Iulij.

Commun. D. d'Heronual.

Refert ſe victoriam de Turcis, qui caſtrum Nandualbenſe, id eſt Taurunum obſederant, retuliſſe.

IOANNIS DE HVNIAD.

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri D. D. DIONYSIO *Cardinali Archiepiſcopo Strigonienſi Domino nobis honorando.*

LXXXIX. REVERENDISSIME in Chriſto Pater Domine nobis honorande. Nouitates has veſtræ Dominationi ſcribere poſſumus, quomodo Imperator Turcorum cum ſua valida potentia, & cum nonnullis ingenijs ad expugnandum Caſtrum Nandualbenſe venerat : cum quali enim potentia & ingenijs venerat, nunquam oculus hominis talia vidit, nec mente cogitare potuit. In tantùm enim ipſum Caſtrum per jctus bombardarum deſtruxit, quòd ipſum Caſtrum non eſt Caſtrum, ſed campum, quia vſque ad terram murus eſt deſtructus. Tandem feriâ quartâ proxime præteritâ poſt horam Veſperarum circa ipſum Caſtrum ſturroniam mirabilem fecerunt, in tantùm quòd per totam noctem, & die craſtina vſque ad prandium durauit ; itavt in medio Caſtri duabus vicibus cum ipſis pugnam habuimus tanquam in vno campo. Tandem extra campum ad ipſos irruimus, cum quibus vſque ad ſero pugnam habuimus ; ipſúmque Imperatorem Turcorum

corũ de ſupradicto Caſtro, Deo auxiliante, eijecimus, omnéſque bombardas & ingenia ſua obtinuimus, ipſéque ſolus cum quibus remanſit feriâ ſextâ proximâ de nocte confuſus & deſtructus ſe in fugam conuertit. Pro eo ſi aliqui ad præſens contra ipſum Imperatorem ſe mouerent exercitualiter, extunc nunquam leuius Regnum ſuum obtinere poſſent ſicut ad præſens. Ex quo principales & capitales gentes ſuæ, & ſignanter pedites, Caſtro ſupradicto ſunt perditæ; dictíque pedites ipſius Imperatoris, qui alias gentes ſuas præualebant quaſi omninò ſunt annihilati: Nóſque cum proprio capite noſtro in ipſo Caſtro fuimus tempore expugnationis: Et ab illo die quo ipſum Caſtrum obſeſſum fuit in eodem fecimus. Multi enim etiam ex familiaribus noſtris & hominibus vulnerati, & aliqui mortui ſunt; ſed tamen, Deo auxiliante, nunquam Imperator Turcorum cum tanta verecundia de campo ſe in fugam, ſicut ipſe conuertit tanquam debellatus. Priùs enim in aqua conflictum habuimus, ex quibus nonnullas galeas eorum obtinuimus. Quæ enim ex eiſdem remanſerant dum prædictâ feriâ quintâ contra ipſas galeas ire volebamus, illæ ſe mox in fugam conuerterunt, de eiſdem homines ſalientes ipſas igne combuſſerunt. Pro eo nunc ignoramus quid ſimus facturi Caſtro prædicto, quia non poſſumus dicere eum eſſe Caſtrum ſed campum propter fractionem & nimiam ipſius deſtructionem.

Datum in loco prædicto feriâ ſextâ proximâ ante feſtum S. Iacobi Apoſtoli, Anni Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto.

IOANNES *de Huniad* Comes Biſtinienſis.

In alijs literis de vigeſimo octauo Iulij ex Buda Epiſcopi Sibenicenſis ad S. D. N. ſcribitur infrà ſcriptum Capitulum.

Refert Nuntius quòd duodecim bombardæ viginti palmarum ab hoſtibus receptæ ſunt; Octo verò quæ ſurſum lapides jactant, centum quinquaginta inſtrumenta ad lapides jaciendos: Vice-Imperator Tartarorum occiſus eſt:

Vice-Imperator Romaniæ id eſt Baſſa, occiſus eſt. De noſtris vix mille occiſi ſunt.

HENRICI IV. Anglorum Regis.

AN. CHR. 1457. d 30. Decembr.

Comm. D. d' Heremal. Gratulatur Cardinali quòd à Summo Pontif. electus fuerit Legatus à latere ac non poſſe impreſentiarum quod à ſe exigit SS. Pontifex conferre.

XC. HENRICVS Dei gratia Rex Angliæ & Franciæ,& Dominus Hiberniç, Reuerendiſſimo in Chriſto Domino, Domino N. tituli ſancti Petri ad vincula ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbytero Cardinali, & Apoſtolicæ Sedis à latere Legato, cum ſincera in Chriſto dilectione Salutem. Reuerendiſſime in Chriſto Pater, ſcriptas ex Brixina vigeſimo quinto Octobris literas Paternitatis veſtræ ad nos detulit diſcretus veſter Nuntius, qui credentiam ſibi commiſſam honeſtis verbis clarè & diſcretè expoſuit, quem grato animo audiuimus, accipientes ex eius manu quarundam Bullarum Apoſtolicarum & commiſſionum copias, quas ſimul & veſtræ Paternitatis deſideria intellexímus; quibus tale damus reſponſum. Quòd non mediocriter inprimis recreati ſumus, gauiſi gaudio magno, eo quòd Altiſſimo placuit talem in terris hoc lamentationum tempore in ſuum erigere Vicarium, cui maximæ ſit curæ fidei noſtræ inimicos à finibus Chriſtianorum pellere, & in nefandiſſimum Teucrorum * Ducem magno animo inſurgere, qui tanta rabie ſæuit in Chriſti gregem, ſitiens Fideliũ ſanguine debacchari: & quòd ſua Sanctitas ad hoc Regnum noſtrum Reuerendam Paternitatem veſtram ſuum in Legatum delegit, quem clariſſima fama, & omnium commendatio, magna laude prædicant & extollunt, gratanter accepimus, viſuri oculis noſtris eandem perlibenter, ſi itineris veſtri aliæ fuiſſent cauſæ. Perpendimus quòd decreta & ſuſcepta veſtra Legatio in duo reſoluitur puncta; quorum primum eò verſatur, vt pacem ſiue treuguas inter Principes procuret, Paternitas veſtra promoueat & componat: alterum verò eſt, quòd pro ſubſidio habendo à ſpiritualibus & ſecularibus operam detis. Reuerendiſſime Pater dum nuper à Sanctiſſimo D. N. Nicolao moderni Sanctiſſimi D. N. Prædeceſſore ad nos tranſmiſſus fuiſſet Reuerendus in Chriſto Pater Martinus

* Turcorum.

Digitized by Google

Archiepiſcopus Tarentinus, vir maturus & eloquens, qui Legatum à latere ad nos venturum nuntiauit pro eiſdem ſuperioribus cauſis, quantum ad pacem tractandam ſiue treuguas inter nos & aduerſarios noſtros ineundas. Meminimus nos ad eundem tunc S. D. N. tale dediſſe reſponſum; quòd ſummum & ſingulariſſimum deſiderium noſtrum atque ſtudium ſemper fuerant pacem habere cum omnibus, cujus auiditate ducti contenti eramus ſuperſedere à proſecutione juris noſtri hereditarij, & ab illatarum nobis injuriarum reparatione, præſertim erga aduerſarium noſtrum Franciæ, cum quo illo reſpectu ſæpe treuguas & abſtinentias guerrarum iniuimus, vallatas promiſſis ſponſionibus plurimis, & jurisjurandi religione; ſed quanta fides pactis aut promiſſionibus dicti aduerſarij eſſet adhibenda aut treuguis initis aut iniendis, ſatis cum maximo detrimento noſtro didiceramus; quoniam nihil nobis fraudis aut doli cogitantibus idem aduerſarius noſter, ſuæ ſalutis & honoris immemor, contra Deum & juſtitiam fraudulenter & dolosè Ciuitates, Caſtra, Dominia, Terras, & Poſſeſſiones noſtras vſurpauerat, & de obedientia noſtra ſubtraxerat: quæ cùm ita fuerant non videbamus qualis effectus aut vtilitas ex Legati ad nos tranſmiſſione vel aduentu ſequi poſſet. Quam noſtram reſponſionem Paternitati veſtræ innoteſcere volumus, vt intelligat non fore expediens labores ſumere pro re, quæ nullum ſit fructum productura. Addentes, ſi cronicæ inſpiciantur, nunquam treuguas cum aduerſario prædicto initas per Progenitores noſtros aut nos inuenire licet, ſub quarum vmbra non maxima fraus ex eius parte commiſſa fuerit: ex quo cautiores erimus, ne proni ad rem nobis nocituram inueniamur.

Quod enim veſtra Reuerenda Paternitas ſubſidium petitura aduenit, illud omnibus Chriſti Fidelibus palam eſſe volumus non minorem eſſe nobis animum aut deſiderium exponendi nos & noſtra in exterminationem illius teterrimi Teucri, ordine rationis & oportunitate temporis, quàm cæteris Chriſtianis Principibus, quoniam non ſumus ignari quantum fidei noſtræ debeamus. Sed tot & tanta ad præſens noſtris humeris incumbunt onera, vt contenti valdè

eſſemus, ſi ad illa ſupportanda ſuppeterent facultates. Non quidem ſine grauiſſimo onere deprimere potuimus quorundam conatus, qui inſtigante diabolo rem noſtram publicam ſuperioribus diebus extinguere laborabant. Non ſine magna æris effuſione pellere valemus ab oris noſtris inimicorum veſaniam, qui dominia noſtra & mare vndique perturbant. Et nuper pacatis aliquantulùm rebus noſtris, ſubitò Scotorum Rex contra treuguas & pacta, ſine monitione aliqua, magno exercitu fortiter terras noſtras inuaſit, & obſidione vallauit oppidum noſtrum de Berrico, pro cujus repulſa ærarium noſtrum exhaurire oportuit, & ſubditos noſtros grauiſſimis impoſitionibus ſubijcere ad propulſandam violentiam, quam idem Scotorum Rex contra firmatas juramento treuguas molitur in dies nobis & dominijs noſtris inferre. Neque prætereundum eſt, quòd jam hoc Regno noſtro non exigua ſumma à Chriſti Fidelibus ſit collecta ex Iubileo nuper hîc celebrato, de qua mediam integram, vt informamur, Sedes Apoſtolica accepit in cauſam fidei diſtribuendam: Altera verò pars, quam ordo ſancti Ioannis Hieroſolymitani habuit in idem opus conuerſa ſperatur: quo fit vt ſubditi noſtri, inter eos qui plura in ſubſidium prædictum dederunt, ſe ipſos connumerant & reputant. Poſſemus, Reuerendiſſime Pater, in medium afferre plura ſimilia & alia multa, quæ hoc volunt, vt neque Veſtra Paternitas huc venire ſtudeat, neque nos id ſuadere debeamus, quæ ſilentio committimus, reſeruantes in aliud tempus dicenda, pro quibus Sanctiſſimo D. N. latiùs aperiendis cogitauimus noſtros Ambaſſiatores tranſmittere, quod omninò ex animo non deleuimus. Sed quia Conſiliarij, & Regni noſtri Proceres abſunt, de præſenti duximus ſuper hoc eorundem aduentum præſtolari, vt cum illis deliberationem habere, eundémque S. D. N. de concluſione habita certiorem facere, cujus ad vniuerſalis Eccleſiæ & fidei noſtræ optimum zelum augmentet Altiſſimus, & veſtræ Reuerendæ Paternitatis feliciter dirigat actus. Datum ex Palatio noſtro Weſtmonaſterienſi, ſub priuato noſtro ſigillo, menſis Decembris die trigeſima, Regnorúmque noſtrorum anno trigeſimo quarto.

JOANNIS CARDINALIS

Communicauit D. d'Herouual.

Tit. S. Angeli A. S. Legati Sereniſſimo ac Chriſtianiſſimo Principi & D. CAROLO *Regi Francorum.*

XCI. SERENISSIME Princeps & Chriſtianiſſime Rex. Poſt humilem commendationem. Acceſſit ad Regiam veſtram Celſitudinem Reuerendiſſimus in Chriſto Pater Dominus meus A. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli ſanctæ Praxedis Preſbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, qui pro ſua maxima prudentia expoſuerit Veſtræ Magnitudini quanta ſcelera, vulnera, & cruentas neces intulerit gens Turcorum perfida credentibus Incarnationem æterni Verbi, Baptiſmatis & Crucis remedium: Ac [illegible]d contendat illa importuna gens nomen IESV, in quo ſalus eſt, de terra delere, & ſpurcitias Mahometi occupatione ſubjectionéque orbis comprobare. Ad hoc gens illa omnem curam, conatúſque conuertit *, & alia quæ Sanctiſſimus Dominus noſter ſuæ Paternitati Reuerendæ impoſuerit. Qua ex re pauciſſimis quæ mihi incumbere videntur abſoluam.

Poſtulat à Rege vt exercitum aduerſus Turcas mittat.

* *Hic nonnihil deeſſe videtur.*

Poſtquàm intraui Germanias vbi S. D. N. clementia me Legationis officio fungi decreuerat, Imperatoriam Majeſtatem adiui quæ dudum animo geſſit, quod multis conſtat exemplis, bella mouere Infidelibus, intellecto ad id Summi Pontificis deſiderio ac zelo feruentiſſimo, eodem zelo ipſe Imperator incenſus literas ſacri Imperij Principibus deſtinauit, quibus jubet vt pro vere futuro auxilia ferant quæ dudum ipſa Imperialis Majeſtas ordinauerat aliquorum Principum in preſentia, aliorúmque Oratoribus aſtantibus. Dat etiam literas ad Celſitudinem veſtram, & tanquam Chriſtianiſſimum Regem, & potentiſſimum Fratrem ſuum & amicum rogat & petit, vt ferat auxilia, cujus potentiam nouit ipſe Imperator maximo robori Chriſtiano exercitui, & Infidelibus terrori futuram. Iſta enim accenſus eſt iſte Sereniſſimus Imperator, vt ſperem ipſum, ſi exercitus conuenerit ductu Imperiali dignus, præ-

Digitized by Google

biturum Deo perſonale miniſterium in bello. Idem quoque ſpero Sereniſſimum Dominum LADISLAVM Hungariæ & Boëmiæ Regem facturum. Velit ergo veſtra Regalis Celſitudo, cujus Progenitores reddendo vices Chriſto ſanctiſſimum Chriſtianitatis nomen ſortiti, Chriſtianiſſimi appellati ſunt, in hac perſecutione fidei Chriſto, in fideliſſimis membris ſuis tot vulnera & cædes paſſo, ferre auxilia. Ad hoc enim V. M. inuitat ſanctiſſimum illud remedium baptiſmatis, cujus gens iſta perfida eſt blaſphema; hoc monet Beatiſſima Virgo, cujus ex ſanguine puriſſimo Verbum Caro factum eſt, vt in corpore illo portaret Chriſtus noſtra crimina, vt feratis auxilia, quia hoc Sacramentum venerantes, colentéſque interficit gens Turca. Hoc admonet etiam Chriſtus noſter Redemptor, cujus Paſſionem & Crucem quadam leuitate Turci contemnunt, & ſperantes in Cruce gl[illegible]io perimunt. Ad hoc Veſtra Celſitudo ſtudia ſua conuertat, quia qui Chriſto in hac neceſſitate auxilia non præbet, neſcio quid ſperare debeat à Chriſto, niſi condemnari Spiritus ſancti vocibus, dicentis; *Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec poſuiſtis vos murum pro domo Iſraël, vt ſtaretis in bello.* Ferat itaque Veſtra Celſitudo auxilia, quia non dubito, completos eſſe dies iniquitatis iſtius perfidæ gentis, vt auferat Deus jugum ſeruitutis de domo Iſraël. Cùm gens ipſa perfida omnium flagitiorum ſcelerúmque genera commiſerit, vt nihil quàm vindictam de his ſperare debeamus: quia non eſt relicturus pijſſimus Deus *Virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum, vt non extendant juſti ad iniquitates manus ſuas*, niſi fortè pro torpore & deſidia juſtiſſimus Deus illis qui potentes ſunt reſiſtere, & Chriſto auxilia præbere, flagella permittat; quamquam ipſe Deus eſt qui conterit brachium peccatoris & maligni, vult tamen ſuos Fideles cooperari, & gladio accingi, ne prætendat quiſpiam ſecuritatem paratam ab impia iſta Turcorum gente, propter magnam intercapedinem terrarum, quaſi flagellum torporis & deſidiæ pertingere non valeat; diſtabat ab Arabia plus ſatis Hiſpania, & mare interiacens majoris tuitionis ſecuritatem promittebat: Attigit tamen ad eam Mahometi crudelitas, & per maximè

vulnerauit, quorum vulnerum cicatrices ſanguine manant, manarèntque ſanguinis fluuios, niſi potentiſſimus ille Rex Henricus ſua illuſtri opera importunos crudeléſque illius gentis conatus reprimeret, qui vt ſanguinem tutetur Chriſtianum, ſuum maximis periculis obijcit.

Velit ergo veſtra religioſa magnitudo fortitudinem gentis Gallicorum communicari Chriſto, qui eos fortiores cæteris effecit, quos diuini amoris flamma vrit: vt ſi veſtra Regia conceſſerit auctoritas, non retrahet bellici laboris formido, quia illi ſunt miniſteria præbituri, qui pro redimendis liberandíſque eis poſt flagella & ſputa mortem Crucis obijt: nec tenebit eos patriæ amor, ingentia palatia, aut diuitiarum multitudo, ſi veſtra auctoritas licentiam præbeat, quia illi ſunt auxiliaturi in bello qui de excelſo habitaculo ſuo in vtero Virginis pro ſalute humana deſcendit; qui pro paruo labore daturus eſt cæli cælorúmque patriam, vbi habitacula fulgentia, & incomparabiles ſunt diuitiæ, & vbi mors non eſt nec labor, ſed perpetua quies, & Angelorum æterna ſocietas. Apparuit enim gratia Saluatoris noſtri quando dedit Pontificem Romanum, qui corpus quanquam ſenio confectum pro tutanda fide Deo deuouit, vt intelligatur proprior ſalus Chriſtiani populi, quam viuens Deus miniſterio poterit dare Regum aut aliorum, ſeu Angelo de cælo miſſo, vt populo Iudæorum ſalutem dedit contra Sennacherib ſuperbiam Angelo percutiente. Multis modis, dicit Scriptura, Saluare poteſt Deus populum ſuum. Occurrat itaque Veſtra Majeſtas miniſtrare Chriſto in hac perſecutione, ne alio præueniatur miniſtro; vt ipſe vos & veſtra Regna cuſtodiat, vt ſicut iuuenis gubernacula Regni ſuſcepiſtis, ſenex quoque teneatis, & poſt longitudinem dierum filio hæredi relinquatis, & juxta promiſſiones Chriſti dicentis: *Vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit*; ſedebitis ad dexteram Dei; qui veſtram Regiam Majeſtatem conſeruare dignetur. E. Wihenna II. Decembris.

E. V. M. S. IOANNES *Cardinalis S. Angeli Apoſtolicæ Sedis Legatus.*

AN. CHR. 1459. d. 10. Ianu. *Ex Autographo D. d'Herouval.*

PII Papæ II.

CAROLO VII. Galliæ Regi.

Excuſat ſe quòd Regis petitionibus non conſentiat.

XCII. PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Cariſſimo in Chriſto Filio CAROLO Francorum Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Venerunt ad nos Oratores Celſitudinis tuæ, viri præſtabiles & digni, qui à tanto Rege ad Apoſtolicam Sedem & in negotium fidei mitterentur. Geſſerunt ſe omnibus in rebus diligenter ac ſtudiosè, nihil judicio noſtro prætermittentes quod ad officium fidelium Oratorum pertineat. Si petitiones tuas omnes illis inſtantibus non adimpleuimus Deo teſte, non minor eſt nobis quàm tuæ Majeſtati anxietas, honor Apoſtolicæ Sedis, quem tueri toto poſſe debemus, & juſtitiæ debitum in qua obligati omnibus ſumus, facere hoc nos compulerunt, quod eſt neceſſitatis pro Deo tua bonitas imputare voluntati non velit. Amamus, & in cordis viſceribus gerimus tuum Chriſtianiſſimum nomen, cujus veri prædicatores, quantùm in nobis fuit, ſemper ſumus inuenti, & auctore Deo inueniemur in poſterum: negationes noſtræ tibi ſingulares non ſunt, facimus hoc idem cum reliquis Chriſtianis Regibus ac Potentatibus, quibus frequenter non damus quod concedere cum Deo non poſſumus. Hanc noſtram inſtitutionem tibi qui veri ac juſti es cultor, non dubitamus pro tua bonitate probatiſſimam eſſe. Quæ autem ad negotium Regni Siciliæ pro officio noſtro reſpondimus, Oratores tui prædicti, & noſter quem ad te deſtinabimus, pleniùs referent, ſi fideliter omnia exponent, non dubitamus quin neceſſitatem noſtram habeas excuſatam: Vnum hoc verè affirmamus, intentionem noſtram erga Cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Renatum Regem Illuſtrem optimam eſſe, nec alienam ab officio indulgentiſſimi Patris, cui quandocunque facultas ſe offeret, contemplatione Chriſtianiſſimæ tuæ domus, & ſuæ, re ipſa probabimus, quod nunc verbis teſtamur. Et quoniam non dubitamus Serenitatem tuam more Progenitorum

Digitized by Google

nitorum ſuorum negotium Chriſtianæ Religionis, cujus cauſa conuentum hunc Chriſtianorum tanto labore peregimus, gloriosè eſſe amplexuram. Nos ne quid ad hoc exequendum piæ voluntati tuæ obſtaret, dietam vnam indiximus, & ad eam Legatum noſtrum obtulimus, qui inter inclytum Regnum tuum, & Cariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Anglorum Regem Illuſtrem, & alios quos negotium hujuſmodi concernit, pacem ſeu treugas componat. Tempus conueniendi proximum Ioannis Baptiſtæ Feſtum duximus oportunum: loca quoque ea delegimus, in quorum aliquo partes ipſas conſenſuras facilè putaremus. Ea hæc ſunt, Auinionenſis, Metenſis, Leodienſis, Coloniensíſque ciuitates partibus non ſuſpectæ, & propter vicinitatem etiam commodæ. Legatum illuc mittemus qui conuenturis ſit gratus, & nulli ſuſpectus; hortantes in Domino, ac requirentes tuam Serenitatem, vt ſicut nos pro ſalute Dominici gregis ſincerè omnia agimus, ſic tu pro tua innata bonitate in bonam partem cuncta accipias, & in hoc ſalutari opere, quod Regibus Catholicis ſummè eſt debitum præſtes omnipotenti Deo, Apoſtolicæ Sedi, & toti Chriſtiano populo Chriſtianiſſimi & verè Religioſi Principis munus, quod non dubiè ceſſurum eſt nomini tuo ad gloriam ſempiternam. Sed de his omnibus, etiam Oratores tui & noſter pleniùs referent.

Datum Mantuæ, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono, quarto Idus Ianuarij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

BESSARIONIS CARDINALIS

AN. CHR. 1472. d. 15. Aug. *Ex Autographo D. d'Herouual.* Regi ſcribit à Summo Pontifice Legatũ ſe electum, vt pacem inter Regẽ ipſum, & Duces Burgundiæ ac Britanniæ, armis depoſitis, componere curaret.

Sereniſſimo Principi & Illuſtriſſimo Domino D. LVDOVICO *Francorum Regi Chriſtianiſſimo Domino mihi colendiſſimo.*

XCIII. SERENISSIME Princeps, & Illuſtriſſime Domine, Domine mihi colendiſſime: Nuſquam deflexi ab inſtituto itinere poſteà quàm ſum ex vrbe egreſ-

ſus, vt ad Majeſtatem veſtram peruenirem. Nam meum Legationis obeundæ officium, pijſſimáque Pontificis maximi mandata vix valetudinis curandæ, inclinatæque ætatis recreandæ ſpatium relinquebant, cùm præſertim res Gallicæ vndique tumultus & cædes parturirent, armatíque exercitus, quod ſine maximo animi dolore ſcribere non poſſum, ad cruentam dimicationem in dies magis comparrarentur. Hac vna cogitatione & cura nec ſalutis meæ, nec imbecillitatis rationem vllam duxi, cùm aut Ciniſium montem Alpéſque difficillimas ſuperabam, aut reliquum iter aſperrimum conficiebam. Nullum enim vehiculi genus, nulla acceleratio tanta eſſe poterat, quantam Sedes Apoſtolica, meáque in Chriſtianum nomen pietas maximè poſtulabat hac rerum conditione & fortuna. Nam cùm Pontifex Maximus hanc nationem rebus geſtis ampliſſimam, multitudinéque penè infinitam, cujus opibus ac virtute Dei Eccleſia & ſecundis rebus ornata eſt, & difficillimis temporibus defenſa, mutuis ſeditionibus bellíſque labefactari intelligeret, ingemuit vehementer, ac pro boni Paſtoris officio deligendum ſtatuit, qui gregem Dominicum diſſidentem mutua componeret pace & quiete, ne impetum faciat ſæuiſſimus lupus, cui nomen Chriſtianum jamdiu eſt ludibrio. Multi quidem ingenio & ſapientia præſtantiores mitti poterant, ſed qui me voluntate ſuperarent, & ſtudio rei conficiendæ, pauci. Nam, vt cætera alijs concedam, Religionis amore vinci turpe eſſet, cùm anteactæ vitæ, tum præſenti ætati. Cùm autem omni itinere admodum ſuſpenſus & ſolicitus fuerim, vt priùs adeſſem quàm manus conſererentur, nũc maximè angor & crucior, quòd me quoque tanta celeritate feſſo & penè præſente belli ſæuitia nulla ex parte conquieſcit; vtinam vno momento apud Majeſtatem tuam, Illuſtriſſimóſque Duces Burgundum & Britannum mihi adeſſe liceret, diuiſo etiam hoc corpuſculo in tres partes, vt vño ordine armis repreſſis de communi dignitate, amplitudine, ſalute ageretur. Id quoniam fieri non poteſt, moleſtiſſimum eſt. Sum omnes aditurus mandato Pontificio, ac inſtituto ordine Legationis: primùm ad te venio, Chriſtianiſſime Prin-

Digitized by Google

ceps, quoniam tuæ Celſitudinis ratio ita poſcit; me conferam deinceps ad Illuſtriſſimum Ducem Britannum cùm & proximus ſit, & ſtrictis prope gladijs prælium impendeat. Majeſtatem tuam rogo per Majorum laudem immortalem, per Chriſtianiſſimi nomen quod domeſticum eſt & hæreditarium, per excellentem pietatis & miſericordię gloriam, per Chriſti majeſtatem, qua tanti Regni gubernacula jamdiu tenes, vt prælio abſtineas prorogatis inducijs, quæ, vt audio, die Lunæ inſequenti exituræ ſunt. Ego paulò poſt adero, Deo duce, Majeſtatiſque tuæ conſilijs religioſiſſimis, & voluntate optima ea meditari & perficere ſtudebo quæ tibi, reliquis omnibus Principibus, communi libertati præſidium, ſempiternámque pietatis laudem videntur allatura. Miſi nunc Reuerendum Patrem D. Bartholomæum Præſulem Parentinum, virum cùm ingenio cùm fide non vulgari præditum, qui hæc meo nomine rogabit, exponétque alia nonnulla coram. Oro vt audias hominem fidémque habeas ac mihi ipſi ſi adeſſem, à me enim proficiſcitur & loquitur. Felix ſit Majeſtas Veſtra, cui me commendo.

Ex Samurro, die decima quinta Auguſti, milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo.

Majeſtatis Veſtræ,

Deditiſſimus B. Cardinalis Nicænus,
Apoſtolicæ Sedis Legatus.

GEORGII POGIEBRACII

Regis Boëmiæ Epiſtola apologetica Regi Hungariæ MATTHIÆ *genero ſuo.*

AN. CHR. circiter 1468. d. 28. Iul.

Conceſſit D. d' Heronval.

XCIV. SERENISSIME Princeps, &c. Quantò patientiùs, & æquanimiùs injurias æmulorum noſtrorum perferrimus, tantò ampliùs eorum aduerſus nos & tranquillitatem regni noſtri fouetur audacia, nutritur inſolentia, omníſque rationis expers turbato rerum ordine,

Injuſtè ſe ob prætentam de communione ſub vtraque ſpecie hæreſim indictâ causâ damnatum à Legatis Cardinalibus,

Digitized by Google

& ab ipſomet Summo Pontifice, conqueritur, ac hujuſce litis ré totam aperit.

Principatum ſibi vendicat ipſa temeritas, Deum teſtamur, noſtrámque conſcientiam, quâ nihil dedit Deus homini diuiniùs, quòd cùm primùm ad inclyti regni Boëmiæ gubernacula adſpirauimus, non ambitione ducti, ſed miſeratione permoti, rem tantam aggreſſi ſumus, quippe cùm naturalis hæres regni ſub tutione degeret, quem nos poſteà mox à tutelâ, curave reſolutum in regnum paternum & auitum majore applauſu introduximus, quàm ipſe potuiſſet optare; ſed cùm videremus arces, terras, vrbes, & oppida regni quibuſque patere violentijs, & hanc miſerandam conditionem omnes boni deplangerent, ſimúlque cuncti exclamarent tantummodò duce opus eſſe incœpto, demum opus eſſe cætera omnia rem expedire. Nos huic functioni præmatura adhuc ætate noſmetipſos ſubmiſimus, in Domino confiſi; & contractis copijs quæ parenti quondam auóque noſtro adhærere ſolebant, continuò Pragam tetendimus, vbi Pragenſibus in eandem ſententiam ſpe pacis illectis non parum auxilij nobis accreuit. Identidem & per alias vrbes pacis æquè cupidas copijs noſtris opes acceſſerunt, quas contra fortalitia, arces, & caſtra violentorum hominum ſubitò conuertimus; quæ admotis machinis bellicis partim diruimus, & à fundamentis demoliti ſumus: aliâ verò pugnâ ſuper mœniis commiſſâ deuicimus, & in deditionem accepimus. De ſubactis autem nos, noſtrámque familiam minimè locupletare, ſed regnum inteſtino malo preſſum, & ciuilibus bellis lacerum ſarcire, coadunare, & conſolidare totis viribus niſi ſumus; dúmque omnium bellorum noſtrorum exitus edocuiſſet nos, nihil niſi pacem Reipublicæ regni Boëmiæ quæſiuiſſe, neque de ritu Euchariſtiæ ſumendæ, cæteríſque ſacrificiorum ritibus, quicquam agitare, præterquam compactata olim auctoritate Concilij Baſilienſis facta pro pace inducenda regni, voluimus obſeruari. Facilè tota Boëmia, Morauia, Sleſia, &c. poſt longa bellorum diſcrimina in noſtram coiêre ſententiam, ſæuáſque bellorum calamitates ſalutaris pacis ſuauitate commutare gauiſi ſunt, nóſque pacis hujus auctorem ſtatuerunt, & conſeruatorem, vt quibus artibus pacem peperimus, eiſdem facilè conſeruare & au-

Digitized by Google

gere noſceremus ; finitimæque ipſius regni Boëmiæ Poteſtates per Legatos ſuos pacem petierunt à nobis ; quibus & pacem dedimus, vltróque oblatam accepimus, pacis fœdera ferientes, atque ſolidantes.

Sic itaque pax noſtra fragrantiam boni odoris ſui per finitimos quoſque populos ſuauiſſimè diffudit ; hinc hominum commercia reſtituta ; hinc mercatura per omnes angulos regni quicquid Regnicolarum vſui reliquum ſupererat, aut aliarum mercium commutatione, aut precij ſolutione, fructuoſum effecit : ſed & metallarię, præcipuum regni decus, reſtitutæ ſunt ac reparatę, & in ſumma, pax rediens omnes comites, & pediſſequos eius, quos abiens auexerat, largo cum fœnore affatim cumulatímque reuexit. Iura quoque regni, quibus vnicuique juſtitia miniſtratur, reſtituta ſunt, quæ tamen longè retroactis temporibus minimè proceſſum habebant. Sed vt in omnibus fermè gentibus, nationibus, & linguis, omníque republica pax diuturna longo in otio ſemper aliquid monſtri alit, vt Romæ Lucium, Catilinam, Lentulum, Cethegum cum reliquis conjuratis : ſic & in regno noſtro qui ex diuturna pace incraſſati ſunt, & dilatati, calcitrare didicerunt. Nam etſi magnanimus ille putatur, qui incidens in aduerſa inuictum ſe tenuit, non minor tamen eſt ille cui preſens felicitas ſi alluſit, non arriſit ; quanquam faciliùs ſit reperire qui temperantiam retinuerunt contrariâ ſibi fortunâ, quàm qui propitiâ non perdiderunt. Hoc ſi in Romana republica contingere potuit tam ſalutaribus legibus inſtitutíſque formata, minimè miramur ſi & in noſtra republica id acciderit, quam nos ab effrenata barbarie ſub politia monarchica, viginti vix annis effluxis, Domino adjuuante, redegimus. Sed hoc querimur, quòd tam patenter ſceleris, rebellionis, ac perduellionis ſuæ colorem prætendunt Apoſtolicæ Sedis obedientiam, & reuerentiam, ac ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicam vnitatem, quaſi nos ab illa deſciuerimus, hujúſque figmenti teſtes, ſibíque fidem adhibentes inueniſſe miramur.

Id verò permaximè ſtupemus, ſcilicet facilitatem credulitatis erga ſanctiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum

noſtrum Romanum Pontificem, de qua Doctor deuotus ad Eugenium ſcribens ſic declamat: *Hæc eſt, cujus callidiſſimæ vulpeculæ Magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias; inde enim ipſis pro nihilo iræ multæ, inde innocentum frequens addictio, inde præjudicia in abſentes, &c.* De qua re nunc dicendum eſt nobis, & idcircò latiùs aſſumenda materia. Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter Dominus PAVLVS Papa II. credulitatis facilitate permotus, ac inſtigatione cujuſdam Antonij de Engabio fiſci ac fidei procuratoris ſtimulatus, nuper de anno Domini MCDLXV. Reuerendiſſimis Dominis Nicenſi, Sancti Angeli, & Spolectanenſi Cardinalibus cauſam ſuper relapſu in hæreſim contra nos commiſit, qui tamen de hæreſi nunquam conuicti ſumus, qui quidem Domini Cardinales eodem anno, die ſecunda menſis Auguſti animum ſuum qualis in nos eſſet palam detegentes, ab injurijs, & conuitijs exorſi, tali forma verborum ſunt vſi: *Præfatum Georgium de Prodiebrad citamus quatenus centeſima octuageſima die compareat procuratori fidei ſuper hæreſis relapſu &c. reſponſurus.* Nunquid injurium eſt, Regem coronatum & vnctum, & taliter à ſede Apoſtolica recognitum, ab Imperiali quoque ſplendore, & cunctis Principibus, cum quibus illi negotium fuit, taliter honoratum, neque etiam de jure, neque de facto priuatum vel depoſitum, ſuppreſſo Regio titulo, ſolo prænomine, humiliſque caſtri adjectione nuncupare? Nunquid captatoria fuit hæc citatio? cui parere minimè poteramus, ſine abdicatione Regiæ Majeſtatis; quâ non vt Rex, ſed velut incola regni comparere iubemur; cui parendo jam fateri videremur id quod de nobis ipſa citatio præſupponit. Nunquid captioſa rurſum fuit quâ ſuper crimine relapſus in hæreſim reſpondere jubemur? quòd ſi faceremus nos profectò aliquando hæreticum fuiſſe recognoſceremus, à quo reatu nos ſemper inſontes & immunes fuiſſe & eſſe confidimus.

Porrò quod longè ſeueriùs eſt, iſdem ſanctiſſimus Pater & Dominus noſter non expectato præfatorum centum octoginta dierum exitu, nullâ etiam aliâ in jus vocatione præmiſſâ, ſexto Idus Decembris immediatè ſequentis om-

Digitized by Google

nes noſtros, & regni noſtri Boëmiæ ſubditos, ab omni ſubjectionis noſtræ vinculo, quantum in ſe fuit, abſoluit, nobis etiam de omnibus iuribus, & obuentionibus regni ſeu coronæ Boëmiæ vetando reſponderi Quæ tamen omnia contra nos & in noſtri præjudicium, nobis non vocatis, nec auditis, contra diuini ac naturalis juris & rationis doctrinam & exempla, pariter inſtinctum, & præcepta nimium ſeueriter emiſſa, ob ejuſdem Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri, ſanctæque ſedis Apoſtolicæ reuerentiam, patienter ferentes, Sanctitatem ejus humillimis precibus duximus interpellandam, ne tam informi clamori qualem fert fama fidem habere dignaretur; ſed ſi ad ſonitum, vel boatum ejus ſua Sanctitas excitata eſſet, non tamen idcircò ſententiam in illa firmaret; ſed ſublato velo, quo tegitur, originem ac zelum eius inueſtigaret. Sic enim illam linguæ latinæ doctiſſimus author depingit, quaſi ſolo gradiens caput inter nubila condat, quo nihil aliud, quàm vagam & confuſam relationem famæ voluit deſignare; ideòque ipſam non tam loqui quàm potiùs ſtridere, non die ſed noctu volare dixit propter obſcuram & vagam eius propalationem, quæ tam ficti prauíque tenax, quàm nuncia veri perhibetur. Sunt enim & in regno noſtro pacis oſores, quietis turbatores: Sunt qui jura negent ſibi nata, qui noſtris rectè factis ſæpe faſtidire volunt, qui omnes ſceleratis rebellionibus ſuis Apoſtolicæ ſedis obedientiam ac reuerentiam obtendunt, vt temeritatem, & fœdifragia ſua honeſto quodam velamento circunducant.

Hoc ampliùs, nos ſuæ Beatitudini tam plenè ſubmiſimus, vt ſi verbo, vel facto à ſanctæ ſedis Apoſtolicæ obedientia, aut reuerèntia, ab orthodoxæ fidei rectitudine, à ſanctæ matris Eccleſiæ vnitate quid deuium, vel lubricum dixiſſe vel egiſſe, vel in aliquo deuiaſſe quomodolibet conſtare poſſit, id reuocare, emendare, ac ſuæ Sanctitatis arbitrio in melius commutare obtulimus, modò ſua Beatitudo diem & locum ſtatuat, vbi de noſtra, & æmulorum, vel delatorum noſtrorum nocentia, vel innocentia, & totius cauſę conditione & qualitate poſſint grauiſſimorum virorum ſuppetere teſtimonia; vbi etiam de totius regni ſtatu agi; &

quicquid deforme, vel ab vniuersalis Ecclesiæ ritu dissonum reperiretur, ad conformitatem deduci, & omnia debitè componi possent, & concordari. In qua re & nostræ, ac omnium Principum sacri Romani Imperij Electorum, nostrorum videlicet Coëlectorũ, omniúmque Principum, affinium, & fœderatorum nostrorum suasiones & suffragia plurimùm opitulari potuisse non dubitamus. Hanc oblationem nostram, & has preces nostras, à Sanctissimo Domino nostro repulsas esse plurimùm dolemus, quas nec à minimo subditorum nostrorum ante pedes suæ Sanctitatis oblatas despici remur oportuisse: neque enim decet Christi Vicarium despicere animam pro qua Christus mori dignatus est, neque tantum lucri negligere; quantum ex hoc toti orbi Christiano super impendebat; potissimè autem in plaga Orientis contra Turcorum rabiem, qui bellorum assiduitate quidem indefessa per Misiam * & Bosnam ad regna Liburnorum aditum sibi struxerunt, quorum ferociam Boëmica militia duce quondam genitore vestro, deinde vestro quoque ductu sæpe contriuit. Vestram fidem appellamus, Frater Carissimè, vir insignis bellicis laudibus genitor vester quòd vnquam bellum contra Turcum gessit, in quo Boëmica militia assignatum sibi munus vllius difficultatis, vel periculi metu diffugerit, vel declinauerit, quin potiùs per omnes hostium cuneos, omnésque difficultates intrepidè penetrauit: & hoc de paucis quos in militiam traxerunt stipendia. Quid verò sperandum arbitramini, si contractis regni viribus expeditio militaris in Turcos ordinibus militum explicatis conficeretur? Vestræ Fraternitati loquimur, bona fiducia freti, quòd aliunde minus fortasse liceret, ne alienorum meritorum laudes nobis arrogare superbè videremur. Talia, tantáque commoda precum nostrarum repulsâ disturbari sincero corde dolemus; statueramus enim nos suæ Beatitudinis arbitrio submittere, quemadmodum glorioßissimus ille Monarcha Dei Theodosius, post crudelem cladem apud Thessalonicam ab eo perpetratam, Beatissimo Ambrosio Mediolanensi Episcopo colla submisit, si sua Sanctitas nostras oblationes paternè suscepisset. Hactenus hæc omnia patienter ferre non dubitauimus obedientiæ

* al. Misiam.

obedientiæ & reuerentiæ Apoſtolicæ Sedi præſtitæ non immemores, contra quam aut contra Sanctiſſimum Patrem & Dominum noſtrum Dominum Paulum Romanum Pontificem, nihil ægrè diximus, nihil ſiniſtrè locuti ſumus: neque enim noſtra conditio ex his omnibus imminuta vel infracta eſt; nemine ſcilicet à noſtra fide, fœdere, vel ſocietate deficiente, quanquam ij, qui dudum vel rebellarunt, aut perduellionem commiſerunt, ſcelus ſuum hoc colore defendere nitantur; nonnullos enim condignæ caſtigationi ſubjecimus, de reliquis oportunitate ſuadente, Deus, vt ſperamus, æquè prouidebit: eorum autem clamores, vanáſque gratulationes hactenus non magis quàm ranarũ loquacitatem faſtidiendam reputauimus; quia rumuſculos hominum nunquã ſtuduimus aucupare; ſcientes quia per bonam & malam famã, à dextris, & à ſiniſtris miles Chriſti graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, non diuitijs tumet, non conteritur paupertate, & læta contemnit & triſtia; Per diem Sol non vret eum, neque Luna per noctem.

Nunc verò, quia per æmulos noſtros fama in longinqua diffunditur, etiam Apoſtolicis literis licet contra nos inauditos emiſſis concomitata, ne crudelitatis inſimulemur, ſi famam & innocentiam noſtram defendere negligeremus, reſtat nunc vt ſuggeſtionibus æmulorum & delatorum noſtrorum, quibus Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus noſter inſtigatus, tam ſeueras contra nos literas emiſit, reſpondeamus: vt quiſque intelligat nos, neque vocatum, neque auditum, ſed penitùs innocentem eſſe de facto condemnatum. In primis ſiquidem cauſæ relapsûs hæreſis commiſſionem tribus Dominis Cardinalibus contra nos factam perluſtremus: & quidem ſpurciſſima verba Antonij Procuratoris fiſci & fidei tranſiliamus, quia delatoris horrida vox infractum animum minimè concutit Regiæ Majeſtatis; quippe cujus verba nemini præjudicant: ſed ad judicum verba veniamus. Aiunt judices; *Citamus Georgium de Podiebrad, quatenus centeſima octuageſima die compareat Procuratori fidei reſponſurus, &c.* Iam conſtat ipſos judices non publico & officiali nomine, ſed priuato nuncupantes, non pro Rege, ſicut debuerunt, ſed pro priuata perſona

nos tenuiſſe, & reputaſſe; coram quibus, ſi, vt vocati eramus, comparuiſſemus, tacito conſenſu nos talem profeſſum eſſe videremur, qualem ipſi nos in ſuo citatorio nuncupauerunt. Dixerint fortaſſe Domini Cardinales: *Non eſt hoc noſtrum inuentum, ſed formam commiſſionis Apoſtolicæ ſecuti ſumus, vbi nuſquam Rex Boëmiæ, ſed Georgius de Podiebrad nuncupatus reperitur*: ſed & hoc diſcutiamus, verba commiſſionis à principio vſque ad verba ſignaturæ, quid aliud quàm ſpurcitias in ſe gerunt blaſphemi, rancoroſíque delatoris, quæ noſtram non valent minuere dignitatem, quia nuda ſunt nullius adjuta ſuffragijs, nec vlla firmitate ſubnixa? verba autem Romani Pontificis talia eſſe perhibentur: *Placet, & committimus Cardinalibus Nicenſi, ſancti Angeli, Spoletanenſi.* Quæ verba nihil aliud ſonare videntur, quàm quòd contra nos cauſa commiſſa cenſeatur, non autem quòd nos tanquam priuata perſona, non Rex cenſeri debeamus; latior verò ſignatura, quæ Vice-Cancellarij fuiſſe putatur, ſuperaddit facultatem perſonalem, & per edictum citationis cum inhibitione & declaratione jubendo procedi vt petitur; non autem præcipit nos Regiæ dignitatis titulo ſpoliari: niſi quis dicere velit, quòd per verbum, *placet*, in Papali ſignatura poſitum, & per verba iſta, *procedant vt petitur*, in ſignatura latiore adjecta, præcipiatur contra nos tanquam priuatam perſonam, Regio honore indignam, ita procedi, & nos taliter deſpici prout ille blaſphemus & rancore plenus Delator nos in illa ſua contumelioſa commiſſione nuncupauit: quod de Summo Pontifice nefas remur ſuſpicari. Sed eſto ſic accipi ſtylo authorante, & Dominorum judicum eminentiâ id arrogante; omni conſideratione tamen eò res redit, quòd nos Regio honore non vocati, nec auditi, reperimur de facto, non de jure; inaniter tamen & abſque effectu deſtituti. Sed cui vim nobis illatam imputemus noſtra nihil refert, dummodò Fraternitatē veſtram de noſtra innocentia reddamus certiorē. Hæc acta ſunt de anno 1465. menſis Auguſti die ſecunda.

Quid autem acciderit hac centeſima octuageſima dierum dilatione pendente, intra quam judicis officium de jure quieſcit, quæſo attendite. Sexto Idus Decembris im-

Digitized by Google

mediatè ſequentis, idem Sanctiſſimus Pater & Dominus noſter omnes ſubditos Regni noſtri ab omni ſubjectionis vinculo, quo nobis obnoxij ſunt, quantum in ſe fuit, abſoluit, & ſciens ſemeſtre, jam licet impiè & contumeliosè præfixum, nondum elapſum, hanc prætendit occaſionem, vt verbis ſuæ Sanctitatis vtamur, ne inter moras temporum & expectationem declarationis res eò deducatur, vt poſteà executio fieri non poſſit, cùm ſecundùm Legiſlatoris ſententiam melius ſit ante occurrere, quàm poſt vulneratam, vel deſperatam cauſam remedium adhibere. Quaſi liceat quenquam propter conualeſcentiam potentiæ ſuæ, non vocatum & inauditum condemnare? aut jus ſuum quomodolibet auferre vel infirmare? quod tamen diuina & naturali ratione improbatur, & exemplo Domini ad Protoplaſtum præuaricatorem, Cain fratricidam, & Sodomos dum dixit: *Deſcendam, & videbo, &c.* Proſpexit quidem Legiſlator Eccleſiaſticæ Reipublicæ pupillis, & ſub cura degentibus, viduis, & miſerabilibus perſonis, circa rerum alienationem, proſcriptionem, judicia, ſententias, rem judicatam, appellationes, in integrum reſtitutiones, & cætera quæ juris ſunt; ita ſcilicet, vt jura eorum potiùs illæſa ſeruentur, quàm poſt vulneratam cauſam remedia quærantur; & ibi paribus verbis vtitur Legiſlator: Sed ijs omnibus ſic jura ſua tutatur, vt nemini inferat injuriam, nec vllius alterius jus auferat, vel poſſeſſionem poſtponat. Et nunc, quæſo, in digitos mittite tempora præmaturationũ, quibus ſua Beatitudo pœnas ſuas in nos præmaturauit, & præcucurrit, occaſione fretus, ne res eò deducatur, vt executio poſteà fieri minimè poſſit: & conſiderate ſtatum & euentum rerum & negotiorum, quæ intereà vſque nunc fluxerunt; & ex ijs penſate num fructuoſius fuiſſet diem & locum juxta humiles preces & oblationes noſtras indicere, quàm hujuſcemodi pœnalibus literis cauſam exaggerare.

Sed quia ſua Beatitudo preces noſtras non ſolùm repulit, ſed tanquam virulentas, alijs ſuis literis pridie Idus Ianuarij ad nos datis, acerrimè condemnat, noſtræ ſinceritatis integritas efflagitat, vt illis cum veritate, ſicuti ſe res habet, conſtantiùs reſpondeamus. Primùm quidem (inquit

Sanctitas ſua) nos hæreſim notoriam ac ſæpe damnatam ſectari, atque fouere, publicè profeſſum eſſe : hoc & in alijs literis de nobis ſentit Sanctitas ſua malè informata, dicens nos in magno frequentíque comitatu Pragę habito, nos hæreticũ declaraſſe, & in ea perfidia vſque ad mortem cum conjuge, ac liberis noſtris perſeueraturum publicè conteſtatum eſſe. Subdit & jura Legationis nos in perſonâ Phantini violaſſe. Hoc amplius addit contra nos Procurator fiſci, quaſi nos dixerimus, communionem vtriuſque ſpeciei ab omnibus Laïcis de præcepto Saluatoris ineuitabiliter eſſe ſuſcipiendam. Talia ſunt quæ Sanctiſſimo Patri & Domino noſtro de nobis falsò ſuggeruntur ; quæ nemo conditionis noſtræ conſcius de nobis ſuſpicari quidem poteſt ; nos ſcilicet in tantam furoris dementiam incidiſſe, vt nos hæreticũ eſſe velle profiteremur, aut conteſtaremur. Certè minus quàm furem aut latronem (adhuc enim de ſana mente ſubgloriari nobis licet) qui ferociſſimam gentem noſtra circumſpectione, & præmatura adhuc ætate manſuefactam tanta pace gubernamus, vt finitimis Principibus & populis eius rei ſpectaculum habeamur & exemplar. Sed hæc omnia, vt prædiximus, procedunt à facilitate credulitatis. Quid autem alienius à tramite rationis, quàm ex hujuſce tam vanis, vagis, & varijs relationibus notorietatem hæreſeos nobis impingere, vt tam graues & immites literæ examinis & cognitionis vacuæ, pœnarum autem & executionis plenæ, contra nos fulminentur ? Aliter enim in vnis, aliter in alijs literis Apoſtolicis, ac rurſum aliter in ſpurciſſima Procuratoris fiſci & fidei ſuggeſtione de nobis referuntur : ſi enim coram judicibus pro tribunali quis judiciario ordine interrogatus aliquid reſpondendo confiteatur, ídque in ſcripturam autenticam judiciorum more fuerit redactum, ſuadet æquitas per viam monitoriorum aduerſus eum ad executionem procedere : ea verò quæ de nobis referuntur duntaxat emiſſa euolaſſe dicuntur ; quod eſt omninò contrarium notorietati, cùm neque ſcriptum, neque ſculptum referatur. Erat igitur ordinaria via ſuper his ad rationem ponere, dicendo, Quid hîc audio de te ? &c.

Digitized by Google

At ne cuncta videamur mera inficiatione declinare; rem ordine pandemus, ex qua rumor ille ſcilicet, & de violatione Legationis in perſona Phantini contra nos ſuſcitatus eſt. Putamus Serenitati veſtræ, Frater Cariſſime, per famam innotuiſſe, qualiter olim ſacrum Baſilienſe Concilium regnicolis regni noſtri indixerit, vt ij qui ad annos diſcretionis peruenissent, quibus vſus eſſet Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie ſumendæ, quíque hoc deuctè petierint, taliter, ſcilicet ſub vtraque ſpecie, cõmunicentur; hac præfatione, vt firmiter credant non ſub ſpecie panis Corpus exangue, nec ſub ſpecie vini Sanguinem duntaxat; ſed ſub qualibet ſpecie integrum ſumi Chriſtum: & hæc omnia, non per modum tolerantiæ, ſicut interdum peccata tolerat Eccleſia; ſed vt hoc liceat auctoritate Domini noſtri IESV CHRISTI, & ſanctæ matris Eccleſiæ ſponſæ eius. In his autem nos referimus ad documenta deſuper edita, ne quid temerè, vel ſuperfluè dicamus; & hoc ſacrificij ritu Nos & Parens vterque noſter, & Auus quoque, vſi ſumus. Ijs prælibatis ad rem pergamus. Poſtquam annuente Domino, puro omnium conſenſu, ſincero omnium judicio, ad Regalis ſolij faſtigium prouecti fuimus, Procuratorem noſtrum apud Sedem Apoſtolicam habere Chriſtianorum Regum more decreuimus; ad quod opus Phantinum ſupradictum pretio conductum adhibuimus, mittentes eum ad Curiam Romani Pontificis tempore Papæ Pij, cum viatico & commeatu affatim abundéque prouiſum: & quia nihil tam cordi nobis hæſit, quàm Regnum iſtud olim tam variè diuiſum, vt quotquot arces aut loca munitiora, tot Reges in illo vel ſummæ Poteſtates eſſe tentarentur, noſtrâ tamen operâ, diuina fauente clementia eò perductũ, vt nihil pacatius habeat Germania, æquè operâ noſtrâ ſub Apoſtolicæ Sedis obedientia in hoc ritu ab Eccleſia conceſſo vel decreto, vnanimiter reduceretur: pro qua re legationes quamplurimas ad Sedem Apoſtolicam feciſſe meminimus: quadam ergo die Legati noſtri à Romano Pontifice redierunt, cum quibus vnà venit Phantinus, non tamen vt Procurator noſter, ſed mantello reuoluto, tanquam Legatus Apoſtolicus, ibi ſacri Baſilienſis Concilij compactata damnauit, omnium

eorum, quæ noſtri nomine tanquam Procurator in ſe ſuſceperat, factus præuaricator; qui etiam coram Conuentu Pragenſe palam beneuolè noſtrum ſe Procuratorem recognoſcebat, ac de culpa & exceſſu pro eo à nobis ſibi objectis priuatim voluit reſpondere, ibi nos palam dixiſſe meminimus, nos ſub ritu communionis Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie natum & educatum, in illo ritu juxta ſacri Baſilienſis Concilij compactata velle perſiſtere: hoc certè non eſt hæreſim profiteri vel conteſtari; nihil enim ſub æternæ ſalutis neceſſitate redigimus; ſed hoc ſub determinatione ſanctæ Matris Eccleſiæ relinquimus. Phantinum autem præuaricatorẽ in cuſtodiam duci juſſimus, quem interuentu Illuſtris Principis affinis noſtri Cariſſimi Domini Ludouici, inferioris ac ſuperioris Bauarię Ducis, ob reuerentiã vſurpati Apoſtolicæ Legationis tituli leniter tractatum, curatúmque dimiſimus. Itaque ſibi parcitum eſt, ignotum eſt, & crimen condonatum eſt: ipſe viderit, quâ fronte, quâ honeſtate à noſtræ procurationis functione ad Apoſtolicæ Legationis Officium in eadẽ cauſa, inſcijs nobis, tranſmigrauerit.

Deinceps Sanctiſſimus Dominus noſter per totas illas literas dictam per nos humiliter & reuerenter petitam, ac optimo zelo noſtræ apud Sedem Apoſtolicam deuotionis poſtulatam, varijs rationibus permotus, declinat ac recuſat: rationes autem & exempla per ſuam Sanctitatem adducta ex hoc fonte deſcendunt, atque eò tendunt; quia non licet hæreſim ſemel à Synodo ſancta condemnatam, rurſus in diſputationem venire. Ait enim Beatitudo ſua; *Rurſus dictam indici, in qua hæreſis iterum ventiletur, fruſtra poſtulas, &c. minuitur ſacrorum Conciliorum auctoritas, & hæreticorum augetur audacia, ſi hæreſis ſemel damnata denuò in diſputationem ſuſcipiatur, &c.* Ab hac certè ſententia neque nos diſcrepamus, quin etiam hoc amplius adjicimus quòd omnem hæreſim ab Eccleſia damnatam, nos quoque, vti Chriſtianum decet Regem, talem tenemus & reputamus, qualem tenet Eccleſia, in qua manentes cum illa credimus extra quam non eſt ſalus. Hoc autem non repugnat noſtræ petitioni, nec aliquatenus refragatur: Non enim petiuimus indici dictam, vt inibi ſuper Huſſi-

Digitized by Google

tarum, vt refertur, hæreſi diſputetur; id enim ad concordiam, vnionem, & tranquillitatem regnicolarum & regni minimè conduceret, ſed fortaſſe concertantium mentes, magis, magíſque exaggeraret; ſed vt in tali dieta Apoſtolicæ Sedis indictione auctorata, & Legatorum eius præſentia inſignita, ac Sereniſſimi Domini, & affinis noſtri Romani Imperatoris Auguſti, veſtræque Serenitatis, aut celeberrimorum Oratorum veſtrorum, ac Illuſtriſſimorum Principum Dominorum Coëlectorum, ac cæterorum Principum fœderatorum noſtrorum præſentiâ illuſtrata, Barones ac Satrapæ regni, ciues quoque & vrbium habitatores, veteris illius regni glorię admoniti, quæ non niſi ſub Romani Pontificis obedientia recuperari poteſt ac ſeruari, pijs adhortationibus, & ſuauiſſimis ſuaſionibus ad obedientiam, & reuerentiam, ac conformitatem Eccleſię Romanæ illiciantur, potiùs quàm cogantur: ab hac ſpe neminem diſterreat, ſi qui pro tempore Legati Apoſtolici hoc opus agreſſi, non ſunt aſſecuti quod optarunt vel conati ſunt: tunc enim longè major fuit huius regni deformitas, & plerumque ſtetit regnum abſque regente. Fateri enim oportet, ſi vera magis quàm dictu ſpecioſa ſunt dicenda, in hoc regno permultos errores viguiſſe circa ipſum Euchariſtiæ Sacramentum, circa remanentiam panis Sacramentalis (ſic enim illi nuncupabant) & de eo quòd in ſubſtantiam aliti conuerteretur; ſed & circa decorem ac formam ornamentorum, aut veſtium ſacerdotalium, in quibus ſacrificium Miſſæ peragitur, vt de veneratione Sanctorum taceamus, quæ omnia diuina gratia cooperante vſque eò ſunt redacta, vt vix notari poſſit inter Romanæ Eccleſiæ, ac iſtum adhuc ſuperſtitem ritum diſcrepantia, vel obſeruantiæ alteritas: quæ omnia partim vidit veſtra Serenitas, de reliquo à fide dignis informata eſt, vt nobis ſuper hoc teſtimonium perhibere poſſit. Et profectò ſi quis piæ mentis vir aciem ſuæ cõſiderationis intenderit in ea quę jam à triginta, vel quadraginta circiter annis in hoc regno emendata ſunt, planè comprehendet ea quæ reſtant minima fore, in reſpectu eorum quæ tranſacta ſunt ſeu peracta.

Cenſeat nunc veſtra Serenitas num pia, fiducialis, &

honeſta fuerit noſtra erga Summum Pontificem petitio exhibita; an verò à ſua Sanctitate rationabilius fuerit denegata? Poſtremò Summus Pontifex illas ipſas literas, vltimo loco aduerſus nos datas, hoc modo claudit: *Tuum eſt igitur coram illis comparere, illorum ſubire judicium, & ſententiam expectare; quam illi proſingulari ſapientia ſua, atque doctrina juſtam proculdubio promulgabunt.* Ecce coram illis comparere jubemur, qui nos non vocatos, & inauditos pro depoſito, & Regio honore deſtituto tenent & reputant; qui nos tanquam priuatam perſonam euocauerunt, quíque nobis ſemeſtre tempus præfinierunt, quo pendente Romanus Pontifex, à cujus nutu dependet tota eorum poteſtas, nobis non vocatis, & inauditis, obedientiam & ſubjectionem omnium regni fidelium, quantum in ſe fuit, licet inaniter, abſtulit, & interdixit. Num illi judices factum Romani Pontificis auderent infirmare? quod contra diuini, ac naturalis juris & rationis ordinem, & inſtinctum; quo etiam Princeps legibus humanis licet ſolutus, diuino tamen exemplo tenetur obſtrictus, aduerſus nos tam inclementer præcipitauit. Quid ergo aliud ijs verbis nobis præcipitur, quàm ſi dicatur; abdica regnum, & omnem poteſtatem depone; abjice clypeum, projice arma, & perge nudus, & inermis ad carnificinam vt macteris? Porrò quis Dialecticus hoc aſyſtatum, ſiue perplexum enodabit vel diſſoluet? Si Domini Cardinales deputati judices ratas faciant literas, quibus Sanctiſſimus Dominus noſter mandauit omnem obedientiam nobis ſubtrahi, neque de fructibus nobis reſponderi, aut à quoquam pro Rege teneri, quid reliquum manebit, de quo Cardinales & judices habebunt cognoſcere vel definire. Vacuauit enim Sanctitas ſua judicum poteſtatem, id ſcilicet ſtatuendo, quod cognoſcendum nuper judicibus fuerat delegatum. Erit ergo Summi Pontificis pijſſimi patris officium cunctas pœnales literas, omnéſque proceſſus, qui ab executione ordiuntur, quibúſve jus noſtrum, vel poſſeſſio noſtra, honor aut fama, majeſtas & gloria palpatur vel attingitur, quæ non vocatis nec auditis nobis ad cujuſcunque etiam fiſci ac fidei Procuratoris ſuggeſtionem emanarunt, paterna

pietate

Digitized by Google

pietate tollere de medio, noſtrámque innocentiam in loco rebus gerendis accommodo audire, percipere, tractare, & examinare . . . . . ad plenum informationes clementer ſuſcipere; quibus benignè receptis, perfacilè erit Romani Pontificis Legatorum, veſtræque Serenitatis, & aliorum quos ſupra nominauimus interuentu, deformata reformare, & cuncta quæ reſtant debito ordine tranſigere, ac feliciter conſummare. Ijs itaque ſuperiùs deſcriptis rogamus Fraternitatem veſtram, quatenus dicto Sanctiſſimo Domino noſtro ſupplicare velit, vnà cum Illuſtribus Principibus amicis noſtris, qui ſimiliter pro nobis intercedunt, quatenus ſua Sanctitas dudum optatam audientiam nobis in loco competenti concedere velit, & nos ſuppliciter orantes in eo gratioſè exaudire, quâ nobis datâ ſperamus in Deum illa reſpondebimus quæ Domino Deo grata erũt, & hominibus accepta. Datum Glac.. die 28. Menſis Iulij.

Hic ſigillum in cera rubra erat appoſitum.

AD MANDATVM DOMINI REGIS.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Lugdunenſi PAVLVS *Papa II.*

AN. CHR. 1469. d. 23. Febr.

Ex originali D. d'Herouual.

Sententiam excommunicationis latam in Georgium de Pogiebrat mandat vt promulget.

XCV. VENERABILIS Frater, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Conſueuerunt prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, annis ſingulis in die Cœnæ Domini ſedentes pro tribunali in Pontificalibus parati, aſſiſtentibus ſibi Venerabilibus Fratribus noſtris ſanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, necnon Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Prælatis, ſimiliter in Pontificalibus conſtitutis, ex eminenti aliquo loco audiente multitudine tam curialium & incolarum, quàm peregrinorum ad vrbem Romam eo tempore propter indulgentias & benedictionem Apoſtolicã confluentium, ad majorem deteſtationem grauium quorundam criminum, quoſcunque criminibus ipſis illaqueatos ſolemni publicatione cum candelis accenſis, & deinde extinctis, & in terrã projectis, excommunicatos denũtiare; quem ritum ac laudabilẽ conſuetudinẽ nos quoque ſecuti, tempore noſtro obſeruauimus & obſeruaturi ſumus, nihílque hactenus excommunicationi conſuetę addidimus,

Digitized by Google

præter juſtiſſimam & omninò neceſſariam condemnationem obſtinatę perditionis filij GEORGII DE POGIEBRAT Huſſitarum hæreſim ne modò pertinaciter tenentis, verùm etiam illam totis conatibus deffendentis. Cùm autem non mirũ ſit nonnullos eſſe in Prouincia tua eiſdem criminibus in ſupradictis Bulla & publicatione contentis irretitos, nemóque quamuis excommunicatio ipſa præter hujuſmodi ſolemnem publicationẽ ſingulis annis in propatulo aliquo ad tempus aliquod affigatur, ita vt quicumque voluerint illa legere, vel inde exemplum tranſcribere optimè poſſint, ne quiſquam veriſimiliter vbiuis conſtitutus ignorantiam prætendere valeat: Nos tamen pro debito Paſtoralis officij, ne ignorantia hujuſmodi ſub quauis excuſatione prætendi poſſit, obuiare, & quantum in nobis eſt etiam ſalubriùs in ipſa prouincia tua prouidere cupientes, literas excommunicationis & publicationis originales cum præſentibus ad Fraterniratem tuam tranſmittimus, eidem committentes, & in virtute ſanctę obedientię mandantes, vt ter ſaltem ſingulis annis tribus feſtiuis diebus infra Miſſarum ſolemnia, dum populus ad diuina concurrerit, non ſolùm in Metropolitana, & alijs locis Ciuitatis & Diœceſis tuæ, ſed etiam à ſingulis ſuffraganeis tuis in Cathedralibus Ciuitatũ & Diœceſium ſuarum Eccleſijs, per vniuerſam Prouinciam tuam palam & ſolemniter, alta & intelligibili voce, non tantùm in Latino, ſed etiam in materno ac vulgari ſermone, juxta idioma vniuſcujuſque loci, publicari facias, tranſmittens ſingulis ipſorum ſuffraganeorum vnum tranſſumptum ad literam originalis ipſius noſtri, manu publici Notarij coram teſtibus, ac tuo pendenti ſigillo roboratum. Cui quidem tranſſumpto ex nunc, provt ex tunc, & è contra, decernimus & mandamus ab eiſdem ſuffraganeis tuis, & ab alijs quibuſcunque, indubitatam fidem tanquam eidem originali noſtro, non obſtantibus in præmiſſis omnibus contrarijs quibuſcunque, omninò adhiberi. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 23. Februarij 1469. Pontificatus noſtri, Anno quinto. L. DATHVS.

Scripſit itidem in hæc verba ad Archiepiſcopum Toloſanum ijſdem Anno & die.

Digitized by Google

CHRONICON HARIVLFI MONACHI S. RICHARII CENTVLENSIS.

PRÆFATIO HARIVLFI In descriptione gestorum Centulensis Ecclesiæ.

POSTQVAM genus humanum primi hominis delicto à Paradisi fœlicitate dejectum diuinæ miserationis obtentu corrigi, & vt patriam vnde ceciderat rectè viuendo appeteret, diuinitùs cœpit admoneri; nihil vtilius, salua duntaxat Dei & proximi dilectione, atque diuinorum præceptorum executione, in hominum studijs inueniri posse credimus, quàm quòd ea quæ justi ac fideles recta fecerunt, vel dixerunt, ad notitiam posterorum scribendo transmiserunt *: Sic enim bene gestorum quædam imago, & velut præsentia rationabilium hominum mentibus, qua se informent, præteditur: vt cùm modò narratur qualiter justus vixerit, quáve mercede donatus sit; modò impius, & bonum fastidiens, quantis malis sit grauatus edicitur, humanus animus justi mercede salubriter illiciatur vt bene agat; impij interitu

* *f.* transmittere.

Digitized by Google

terreatur, ne malum faciat. Hac vtique ratione non ſolùm Legalem & Propheticam, verùm etiam Euangelicam remur eſſe factam ſcripturam, vt homo Deo carus, de cujus creatione tanquam conſilium iniens dixerat conditor Deus; *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*: homo, inquam, tantæ excellentiæ, tanti pretij, patulè videat quid ſtudiosè repudiet, quid potiſſimùm apprehendat; & cùm tantis * . . . . . Deum pro ſe ſollicitum attenderit, ipſe homo tandem pro ſe diſcat ſollicitari. Omnia ergo quibus inſtruimur diuinæ bonitatis ſigna vel monita, ſcripturarum antiquarum paginis reperiuntur inſerta. Quo negotio confortatus ego HARIVLFVS ſancti Richarij Monachus, hortatu quoque honorabilium Fratrum accenſus, decreui ea quæ de antiquitate & nobilitate Eccleſiæ Centulenſis ſparſim collegeram in vnum conformare, & ne diſperſa funditus deperirent, vnius corporis retenta præſidio, ad poſterorum notitiam propenſiùs reſeruare. Summæ nunc Majeſtati linguam offerimus, vt quæ deformi aſinæ formata conceſſit verba edere, dignetur & mihi infundere Spiritum gratiæ ſuæ, quo valeam propoſitum ad effectum perducere.

* *forte* modis

Finit Præfatio.

Quicunque vales meditari ſpirituales,
En tibi propono quos tibi gratia dono
Vitæ donauit, virtutibus accumulauit;
Centula quos Patres, quos cœli concio Fratres,
Quos ſibi conſortes ſanctas augendo cohortes,
Illi congaudent æternum qui benè plaudent.
Inclytus iſtorum primus princépſque virorum
Hic ſatis expreſsè RICHARI *noſceris eſſe:*
Namque Deo carus, per quem tibi mundus amarus
Extitit, æthereis arrides ritè choreis.
Hinc quoque Sanctorum deſcripta cohors ſeniorum
Irradiat mentes per deuia non gradientes.

Digitized by Google

NOMINA EORVNDEM ABBATVM.

1. SANCTVS RICHARIVS Abbas & fundator primus.
2. Ocioaldus Abbas.
3. Coſchinus Abbas.
4. S. Guitmarus Abbas.
5. Aldricus Abbas.
6. Symphorianus Abb.
7. S. Anghilbertus Abbas & reædificator.
8. Nithardus Abbas & Comes.
9. Hericus Abbas.
10. Helizachar Abbas.
11. Ribbodo Abbas.
12. Hludoguicus Abb.
13. Hruodolfus Abbas & Comes.
14. Helgaudus Abbas & Comes.
15. Guelfo Abbas.
16. Karlomannus Abb.
17. Herebertus Abbas.
18. Hedenoldus Abbas.
19. Gerbertus Clericus Abbas.
20. Fulchericus Abbas.
21. Ingelardus Abbas.
22. Angelrannus Abb.
23. Geruinus Abbas.
24. Geruinus Abbas.

Qui ſequuntur alia manu erant exarati in cod. MS.

25. Anſcherus Abbas.
26. Ioannes Abbas.
27. Gelduinus Abbas.
28. Petrus Abbas.
29. Guifredus Abbas.
30. Richerus Abbas.
31. Laurentius Abbas.
32. Vrſus Abbas.
33. Richerus Abbas.

O quot Sanctorum tegit vrnas diſcipulorum
Aula patens patrio Principe Richario.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

INCIPIT TEXTVS GESTORVM ECCLESIÆ CENTVLENSIS.

LIBRI PRIMI.

CAPVT I.

De geſtis Francorum.

AVCTORE Deo geſta Centulenſis Eccleſiæ deſcripturus, digniſſimum cenſeo, quoniam hæc eadem Eccleſia largitionibus Regum Francorum multotiès aucta eſt, vt de eorum factis aliqua hîc exprimam; quia reuera juſtum eſt, vt illius prouectum regni commemorem, quo matri Eccleſiæ nihil demptum, ſed multùm collatum eſt. Cùm igitur vt ex priſcorum docemur hiſtorijs, Troiæ ciues expugnantibus Græcis locum patrium deſerentes partim Italiam perrexiſſent, partim etiam finitima Pannoniæ loca inhabitare cœpiſſent, ibíque eiuſdem gentis pars, duodecim ſcilicet millia, in immanem populum excreuiſſet, vt naturali ſemper feritate viguerant, non ſe paſſi ſunt promiſcuo cum alijs nationibus nomine annotari, ſed ex ſemet caput ſibi ſtatuentes vrbem condiderunt, quam Sicambriam vocauerunt, à qua ſcilicet & ipſi Sicambri nuncupati ſunt. Tantæ quippe idem populus ſemper fuit, immò eſt efficaciæ, vt quaquaverſum veniens plus dominantis ſpeciem, quàm captiuati prætendat miſeriam. Verùm cùm Deus omnipotens, cujus velle poſſe eſt, præſcius hanc gentem ſuæ deitatis agnitionem deuotiſſimè quandóque ſuſcepturam, regni eam nomine & honore ſublimari permiſiſſet, primum Regem traduntur habuiſſe Meroueum, ob cuius potentia facta, & mirificos triumphos

Digitized by Google

intermiſſo Sicambrorum vocabulo, Merouingi dicti ſunt, ſicut & ab Romanis, quorum jugum de ſuis excuſſerant ceruicibus, lingua Attica Franci, id eſt feroces, vocati ſunt.

Meroueus igitur de medio factus ſucceſſorem reliquit filium Childericum nomine, qui de Baſina Turingorum Regina genuit Hludoguicum. Hic Hludoguicus Rex poſt patrem cùm belligerator acerrimus, & alicui parcere neſcius, regni faſtigio potiretur, præeunte Dei larga bonitate à B. Remigio Remorum Archipræſule diuinæ legis jura ſuſcepit, & ab eodem baptizatus Pontifice, adorare quod incenderat, & incendere quod adorauerat ſalubriter eſt inſtitutus. At cùm ipſe Rex deuotè audiens hæc deuotiùs obſeruaſſet, tantus eum diuinæ poteſtatis deinceps fauor conſecutus eſt, vt qui antè aliquoties victor extiterat, nunc victorioſiſſimus redderetur, & ſuſcepti regni terminos magnificè dilataret, cùm diuinæ pietati non ſufficeret eius gladio infideles tradere, ſed etiam ſuæ majeſtatis miracula aduerſus illius inimicos placeret exerere. Denique cùm ipſe Rex, ſuperato penes Pictauum ciuitatem Alarico Rege Gothorum, deliberaſſet in reuertendo illas vrbes capere, quæ ſibi contrariæ perſiſtebant; Equoliſimæ muri ciuitatis, quam oppugnare volebat, in conſpectu eius diuinitus corruerunt. Sed cùm omnibus hoſtibus præſtantior Dei dono haberetur, XXX. annis regno perfunctus obijt apud Pariſium vrbem Regiam; ibidémque ſepultus eſt. Quo, vt creditur, ſuperis ſociato, filiorum eius major * natu Clotharius quinquaginta fermè & vno annis cæteris obeuntibus regnum fortiſſimè rexit.

* minor.

CAPVT II.

De tempore quo ſanctus Richarius ortus eſt: & de Regibus.

HVIVS itaque tempore Regis Beatus, & à Deo electus Paſtor noſter RICHARIVS nobiliſſimis ex inclyta Prouincia Pontiua parentibus progenitus, mundo ſalutis ſcientia indigenti fælicia ſui exortus gaudia infudit.

CLOTHARIO autem Francorum Rege mortuo, Regnum eius æqua lance quatuor illius filij diuiſerunt. Primus ARIPERTVS ſedem ſibi Pariſius ſtatuit; ſecundus GVNTRANNVS Aurelianis; tertius HILPERICVS Sueſſionis; quartus SIGIBERTVS Mediomatricum quæ & Mettis. Horum itaque fratrum junior Sigibertus BRVNICHILDEM ab Hiſpanijs deductam in matrimonium ſibi copulauit, quæ ei HILDEBERTVM filium peperit. Quibus regnantibus aliquantos verbi diuini miniſtros Hibernia inſula natos Franciæ ſolum contigit inuiſere; quorum duo, vt poſtmodùm narrabimus, B. Richario jam adoleſcenti Dominicæ ſalutis initiatores fuerunt. HILDEBERTVS verò adhuc puerulus regnum cum matre gubernandum ſuſcepit, interfecto patre euentu prælij. Si quidem ipſe Sigibertus apud Victuriacum villam, quæ in ſuburbano Atrabatenſis vrbis ſita eſt, Hilperici fratris ſui, qui apud Tornacum tunc erat oppidum, quémque ipſe Sigibertus vſque ad internecionem perſequebatur, fraude interfectus eſt. Sed & Hildeberto mortuo, qui vt fertur, intra adoleſcentiæ annos cum vxore propria vi veneni peremptus eſt, regnauerunt duo filij ejus THEODERICVS & THEODEBERTVS, adjuuante eos auia Brunichilde. Regnauit autem Hildebertus annis XXII. Gontrannus autem, patruus Hildeberti; Rex Aurelianorum terminum vitæ ſuſcipiens, regnum quod tenebat Brunichildi reliquit, quod poſtea in ſortem Theodeberti * deuenit. Regnum igitur Burgundiorum Theodoricus, Auſtraſiorum verò Theodebertus ſuſcepit; Hilpericus quoque, qui Sigibertum occiderat, genuit filium nomine CLOTARIVM virum ſolertiſſimum atque ſapientem, qui partem regni quam pater tenuerat retinebat. Hic cùm Neuſtriæ moraretur, lis inter Theodoricum & Theodebertum exorta eſt, & diſceptantibus illis de regni termino, vterque ad Clotharium Legatos dirigit, vterque aduerſus parem auxilium poſtulat; quod ille abnuit, prohibente id fieri ſanctiſſimo viro COLVMBANO, qui malitia Brunichildis atque Theodorici de Cœnobio Luxouij fuerat deturbatus: quíque ipſi Clotario diuinitùs præſignabat, intra triennij tempus omne regnum in eius ditione conuertendum.

* Theodorici.

Vide cap. 16. 40. &c. Vitæ S. Columbani.

Digitized by Google

dum. Theodoricus igitur Germanum ſuum Theodebertum ad bellum prouocans, & juxta vrbem Leuchorum crudeliter cum eo dimicans, fugauit illum de prælio.

CAPVT III.

Qualiter deletis impijs Regibus CLOTHARIVS *omnem obtinuit Franciam.*

HIs ita alterutrum confligentibus, Beatus Confeſſor Domini RICHARIVS jam majoris ætatis retinens metam diuinis operibus inſiſtebat, & ea maximè illi inerat cura, vt vaſa diaboli, animas ſcilicet peccatorum præripiens, ſuo cœleſti Domino aſſignaret: quod quàm piè & quàm inſtanter peregerit, non noſtris ſed Domini Albini dictis paulò poſt docebitur. Ad Regum hiſtoriam redeamus. THEODEBERTVS dolens ſe à fratre de bello fugatum collecto exercitus robore ipſi THEODORICO fraternum ſanguinem ſitienti occurrit, ad Tulbiacum caſtrum pugnaturus: ſed proditione ſuorum captus à Theodorico auiæ BRVNICHILDI dirigitur. Quem cùm illa recepiſſet, quia Theodorico magis fauebat, furens Theodebertum fieri Clericum juſſit, ac poſt impiè perimi fecit. Hac itaque infœlici victoria Theodericus nimium elatus, Metenſium vrbem rediit, ibíque diuinitùs percuſſus inter flagrantis ignis incendia interijt. Brunichildis autem SIGIBERTVM filium Theoderici ſuffecit in regnum. At CLOTHARIVS memor Prophetiæ B. COLVMBANI fines regni qui ſuæ debebantur ditioni, cum valida manu captat recipere. Aduerſus quem cum hoſtilibus cuneis procedens Sigibertus captus eſt & interemptus; fratréſque eius quinque cum proauia Brunichelde capti ſunt. Pueri ſeparatim necati ſunt, illa verò vt altera Ieſabel primùm Camelo impoſita omni exercitui gyrando monſtratur; pòſt indomitorum caudis equorum alligata miſerabiliter, vt dignum erat, vita priuatur. His ita geſtis, Clotharius nemine obſtante ſolus trium regnorum obtinuit Monarchiam: qui elaborata à Majoribus dignitate potitus, cùm plurima ſtrenuè geſſerit,

quàm præcipuè illud memorabile ſuæ potentiæ poſteris reliquit exemplum: quòd rebellantibus aduerſum ſe Saxonibus, ita eos armis edomuit, vt omnes virilis ſexus eiuſdem terræ incolas, qui gladij, quem tunc fortè gerebat, longitudinem exceſſiſſent, peremerit; quippe vt junioribus tumoris auſum recordatio * vitalis ſeu mortiferi gladij amputaret. Huic fuit ex BERTHETRVDE Regina filius, nomine DAGOBERTVS, qui patri ſuccederet induſtria dignus & moribus. Hic denique in annis puerilibus poſitus, traditus eſt à Genitore Venerabili Arnulpho, poſteà Metenſium Epiſcopo, vt eum ſecundum ſuam ſapientiam enutriret, eíque tramitem Chriſtianæ religionis oſtenderet, ac eius cuſtos & bajulus eſſet. Clotharius igitur juſta ſucceſſione à Hludoguico quartus viuens & incolumis filio ſuo Dagoberto regnum ſuum tradidit. Mortuo autem Clothario DAGOBERTVS totum patris ſui Regnum ſagaciter accepit, & pacificè gubernauit, alterum quodammodò repreſentans Salomonem.

* letalis.

CAPVT IV.

Verba Domini ALBINI *de vita* S. RICHARII *.

* Ipſo initio vitæ.

TEMPORIBVS igitur glorioſiſſimi Regis Francorum Dagoberti, qui & ſæculari poteſtate præclarus, & Chriſtiana Religione nobilis effulſit: nam & Optimates ſuos dignitatibus exaltauit, & ſeruos Dei honoribus excoluit; plurima Monaſteria à Sanctis Patribus cœperunt conſtrui; nec non multi ex laïco habitu viri Religioſi inuenti ſunt; ex quibus RICHARIVS quidam natus in villa Centula Prouinciæ Pontiuæ velut Lucifer inter vmbras oriens emicuit. Non tam nobilibus juxta ſæculum parentibus ortus, quàm moribus honeſtus, & omni probitate deuotiſſimus, ita vt in laïca vita quædam præſagia futuræ ſanctitatis gereret.

Digitized by Google

CAPVT V.

Explicatio de eiſdem.

QVOD in præfatione monuimus, & nunc itidem commonemus, vt nemo ferat indignè, ſi hæc Domini Albini verba de vita Sanctiſſimi Confeſſoris rhetoricè & perplexè dicta causâ intelligentiæ manifeſtioris enucleare tentamus. Ecce enim videtur dixiſſe quòd Dagoberti temporibus Sanctus ille ortus ſit: cùm profectò fieri non potuerit, vt ſub tempore vnius Regis pauculo ſpatio regnantis homo naſceretur, adoleſceret, educaretur, & ad perfectæ ſenectutis faſtigium, vel decrepitæ ætatis peruenire ſenium. Quid ergo, inquis, contradices auctori vitæ eius? Non contradico, nec aliud aſtruo, ſed id ipſum quod diſertiſſimus vir paucis & connexis elocutus eſt verbis elucidare cupio. Denique audi: dicit Dagoberti temporibus plurima Monaſteria cœpiſſe conſtrui, & multos ex laïco habitu viros Religioſos inuentos fuiſſe. Ac deinde ſubjungit: Ex quibus Richarius quidam. Animaduerte quia non dicit Dagoberti tempore eſſe natos, ſed Religioſos inuentos, quos vtique olim ortos, & grandeuæ tunc ætatis neceſſe eſt intelligas; & ac ſi diceres: Ecce honeſte vir dixiſti multos viros Religioſos inuentos fuiſſe, & ago Deo gratias quia merui ex illis Patronum. Sed cùm ſanctitatis eius bonum inchoas prædicare, vellem vt & quo loco natus ſit manifeſtares. Protinus egregius vir conſilio tuo adquieſcens, & ad ſuperiora recurrens, rhetoricè intulit, & nimis parcè: Natus in Villa Centula Prouinciæ Pontiuę. Ac demum velut adhuc inquirenti, an ipſa eius natiuitas humiliori parentum proſapia extiterit: abſurdè interroganti cum exaggeratione indignationis intonat dicens. Velut Lucifer inter vmbras oriens emicuit. Tum verò tanquam adhuc inſiſtenti, ne fortè illa ſplendidiſſima natiuitas, & generis claritudo Sancti viri virtutibus obfuerit, vt quaſi minus ſe humiliauerit qui tantum de ſæculo præſumere potuiſſet: Doctor modeſtus ab hac te remouens cogitatione ſalubriter infert: non tam nobilibus juxta ſæculum parentibus ortus,

quàm moribus honeſtus, & omni probitate deuotiſſimus. Tanquam dicens, adeò in illo viguit excellens nobilitas, vt qualis inter vmbras Lucifer, talis & ipſe ſplendore generis inter patriotas haberetur. At ne putes quòd tanta ſanguinis natus altitudine, cœleſtis militiæ difficiliùs arma corripuerit, ſcito illum contempto generis ſupercilio, tam humiliter ac ſummiſſè diuinis paruiſſe mandatis, vt nobilitatis magnitudinem vicerit religionis magnitudo, & ſeruata in omnibus dulcedine, totum vendicaret honeſtas, nihil poſſideret arrogantia.

His ita exiſtentibus, aliquid de ipſis vitæ eius temporibus recenſeamus, videtur enim abſonum, vt Dagoberti temporibus æſtimetur eſſe ortus, cùm ille geſtorum eius textus poſtquam dicit quomodò prædicatione ſeruorum Dei conuerſus ſit, & poſt conuerſionē qualiter conuerſatus ſit, ac poſt abſtinentiſſimam conuerſationem quo feruore verbum Dei annuntiauerit; vtque ſanctam commatrem ſuam RICHTRVDVM viſitans, filium eius, ſanctum ſcilicet MAVRONTVM benedixerit, atque ad poſtremum tentantem ſe hoſtem proſtrauerit; euidenter doceat ipſum Regem Dagobertum Sancti fama excitatum, eundem Dei virum viſitaſſe, & benedictionis ſuæ orationis gratiam flagitaſſe. Denique ipſe, cujus modò mentio incidit, B. Maurontus in aula ejuſdem Regis militauit, & vt nobilis Regiæ bullæ, vel ſigilli bajulus, quem videlicet Chriſti Sacerdos Richarius dudum infantulum baptiſmate regenerauerat. Omninò igitur hæc geſtorum tenenda eſt diſcretio, vt juuenem hunc ſancta prædicatione conuerterit CHAYDOCVS, ſed Dei Sacerdotem jam pènè decrepitum inuiſit Rex Dagobertus. Quæ omnia ſic eſſe, ipſorum geſtorum euidens ratio manifeſtat, ſi tamen induſtria legentium ſagaci diſcutiat intellectu. Hæc anticipando præmiſimus, vt commendata temporum ratione cætera jam fidentiùs exequamur: quæ tamen nos poſt venerabilis Albini facunda eloquia dicere præſumpſiſſe fraterna caritas benignè indulgeat.

B. Maurontus Regiæ bullæ bajulus.

Regio igitur hæc, quæ beati Patroni protulit genituram, aquarum concurſu hinc inde circumlita nemoribus conſita, paſcuis pecorum habillima, triticei graminis & cæte-

rorum ſeminum fertilitate vberrima, mercium & vectigalium commeatibus quæſtuoſa, aëris temperie ſaniſſima, omni commoditati corporeæ iocunditatis ſatis apta; viris præterea militia inclytis bellicoſa valde & importuna. Ciuitatibus licet careat, munitionum caſtris exceptis, oppida inſtar vrbium retinet opulenta. Hujus ergo patriæ B. Richarius indigena, cum nobilitate ſpendidi generis moribus pollebat honeſtis, jam tunc futuræ ſanctitatis gerens præſagia demonſtrabat in propoſito laïcali quod poſtea ſanctorum operum executio declarauit.

CAPVT VI.

De aduentu & prædicatione Sanctorum Hibernenſium.

EO tempore quo B. Richarij iuuentus inſigniſſima, nec dum ſæculari ſchemate exuta, diuinis iam Chriſto volente erat mandatis informanda. Quo videlicet tempore SIGIBERTVS Rex cum Regina Brunichilde ſtatuto apud Mettenſium vrbem regni ſui ſolio, Orientalem Franciam gubernabat. Contigit duos Sacerdotes ſanctitate florentes, & virtutum meritis fulgentes de Hyberniæ partibus Pontiuas peruenisſe regiones. Prioris nomen Chaydocus: alterius nomen eo quòd rictu linguæ barbaræ ineptum viſum eſt, à prioribus mutatum vocatur, & ſcribitur ADRIANVS. Ipſo autem tempore quo iſti propria deſerentes Chriſtum ſecuti ſunt multorum Sanctorum examina produxiſſe ſcitur Hibernia; ex quibus Beatus quoque COLVMBANVS, homo Scotici generis, floruit; cujus laudabilis conuerſatio, virtúſque eximia, totius Galliæ loca reſperſit. Fertur verò quòd cum ipſo illi quoque maria huc properando tranſmearunt. Quos ad noſtra loca ferimus diuertiſſe: vnde & illa temporum ratio quam paulò ſuperiùs notauimus, maximè confirmatur: quia cùm notiſſimum ſit omnibus B. Columbanum Sigiberti Regis, & Brunicheldis conjugis eius tempore Franciam adueniſſe, neceſſariò creditur Beatiſſimus Richarius ſuperioris Clotharij Regis temporibus

natus fuiſſe, quem illi Sancti viri diebus Sigiſberti jam juue-nem inuenerunt; quem tamen ſic juuenem dixerim, vt animi libertas & induſtriæ ſumma in illo vigens nihil admitteret juuenile.

Sancti igitur Domini ſacerdotes in Centulo vico verbum Dei prædicare aggreſſi, vt milites optimi præliabantur bella Chriſti Domini noſtri: ſed agreſtes populi talia audire non aſſueti, nec ferentes quod in mente infecta nequitia Diaboli rogabantur noua meditari, zelo accenſi cum impetu iræ furoríſque affectos contumelia ab his eos ſedibus eliminare deliberant; nec quòd à parte Oceani veri ſolis ſpicula Dominus eis mitteret perpendebant, quia fortè adhuc ſalui fieri digni non erant. Quod vbi bonæ ſpei Richarius adhuc laïcus comperit, ſemetipſum pro ſeruis Dei rebellanti plebi obijcit, & ab ipſis ictibus violenter, vt nobilem fas erat, abſtrahens, obſequijs intra domum inducit. Vnde à ſagaci lectore liquidò poteſt comprehendi, neminem poſt Regis dominium tunc in his partibus fuiſſe potentiorem, qui ad eruendos Dei ſeruos tantam habuit autoritatem. Illos itaque humanè tractans obſecrat diſcumbere, menſam ponit, reficit eos, & reficitur ipſe: nam inter carnalium epularum fercula deuoti heroës ſpirituales non ceſſant rependere dapes. Nec mora Richarius, propter quem reuerà lucrandum cæleſtis Dominus ſuos huc direxerat miniſtros, compunctus in lacrymas reſoluitur: & juxta quod Scriptura, juſtum in principio ſui dicit accuſatorem, ſe erraſſe juuenili facilitate fatetur. Non, inquam, in petroſa, vbi areſceret, neque juxta viam vbi conculcaretur, vel à volucribus comederetur, ſemen verbi Dei ceciderat, ſed in tellurem optimam ab ipſo vero Agricola intus inuiſibiliter excultam, quæ poſtmodùm, vt in ſequentibus patebit, centuplicatis frugibus fœcundata innumeros copioſa fertilitate ditauit. Ab illo denique tempore habitum Religionis ſumens, in dies de virtute in virtutem ſcandere geſtiebat. Iam dicti præterea viri Dei poſt emenſum vitæ præſentis ſtudium, immortalitatis adepti brauium, cælicas ſedes ſuo ingreſſu exhilarant, Centulenſem Eccleſiam ſe... fundatam corporibus nobilitant, jam vero penè dirutam oratio-

nibus ſuſtentant: verumtamen licet nos jam eorum tranſitum explicuerimus, nouerit Lector eos vſque dum ſeneſcerent in diuinis operibus Centulo deguiſſe.

CAPVT VII.

De auſteritate vitæ Sanctiſſimi RICHARII.

POSTPOSITIS digreſſionibus, quia dictaminis tenorem narratio exigit, jam loquatur pagina qualiter S. Richarius deinceps vixerit. At qui diuino Spiritu tactus repentè mutatur ex omnibus, abnegat ſemetipſum qualis antè fuerat, ſubitò efficitur quod non erat. Mira dicturus ſum, & quæ carnalis homo tolerare vix poſſet, niſi in eo verè Deus habitaret: tanta quippe auſteritate vim ſibimetipſi inrogauit, & tam dura ſe caſtigatione conſtrinxit, vt quæcunque ad humani corporis eſum ſolent eſſe delectabilia, omnimodis ſpreuerit. Ab ipſo enim conuerſionis ſuæ principio ad vitæ vſque occaſum non panem tritici, non leuamen olei, non eſum leguminis, non dico carnium vel piſcis, ſed nec vini, ſiue alterius confectæ potionis guſtum vnquam admiſit: ſed quia carnis materies abſque eſca ſubſiſtere nequit, poſt longa & diuturna jejunia pane hordeaceo cinere commixto, & aqua lacrymis temperata, feſſum jejunijs corpuſculum refocillabat: nam vt grauiorem ſibi imponeret jejuniorum attritionem, non eſt contentus hordeo ſimplici (quod nimium aſperrimi conſtat eſſe ſaporis) ſed quia cinerem ſe protoplaſti peccato cognouerat, hordeo cineres admiſcebat: nec pura aqua ad ſorbendum ei fuit habilis, niſi ante eam lacrymis augmentaſſet vberrimis; juges vigilias ora pallida demonſtrabant. Fidenter loquar, eum perſecutionis tempore Neroniana vel Traiana pro fide Chriſti non refugiſſe * tormenta, qui tantæ attritioni ſe ſubdidit voluntariè: illorum ſiquidem, qui tunc temporis Chriſti nomen negare compellebantur, vix ſeptimanæ ſpatium paſſio occupabat, immò vix triduo protelabatur: hic autem per prolixum vitæ ſpatium longum tulit martyrium; & ſi quiſque Fidelis rei meritum dignè dijudicet, non minùs erit, Dei amore carnem

* *id eſt*. refugiturum fuiſſe, ſi tum viſſet.

aſſidua mactatione contriuiſſe, quàm pro fide gladijs infidelium objeciſſe.

CAPVT VIII.

De ordinatione ejus.

HIs itaque virtutum incrementis ſuccreſcens, & venerabile corpus ſuum hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem exhibens, dignus digno miniſterio mancipatur, & Apoſtolicæ prædicationis executor, ac ſecretorum diuinorum conſcius & Sacerdos efficitur, vt qui ſe totum ſanctis actibus Chriſto immaculatum exhibuerat, ipſe quoque immaculatum Chriſti corpus intemeratis manibus tractaret, & vt cui prædicationis deuotio inerat, honoris dignitas non deeſſet. Quem honorem famulus Dei magna humilitate ornauit, & vera caritate excoluit, *& verbi Dei* prædicatione ampliauit, atque velut bonus agricola ſpinas peccatorum de agro Domini Euangelico vomere eradicauit, & arida corda ſuperno perpetuæ ſalutis rore irrigauit. Sed & diuina clementia per eius prædicationem in populo Pontiuorum plurima fidei dedit incrementa, vnde & omnibus prædictus vir Dei Richarius honorabilis factus eſt & carus: quia quod ore prædicauit, exemplo oſtendit, & viam vitæ quam alijs ſermone monſtrauit, ipſe prior actu præcucurrit. Quidquid verò ei populus in ſtipendia prædicationis obtulit, omnia pauperibus diuidere feſtinauit: Indignum fuit ei de craſtino præſentis vitæ cogitare, qui diuitias æternæ vitæ accipere anhelauit: ideò oblata ab hominibus diſtribuit, vt promiſſa à Deo acciperet. Felix commercium, vt qui parua ac trãſitoria hilariter diſtribuerat, magna & æterna fœliciter eſſet accepturus. Nam ſtudioſiſſimus fuit pauperum conſolator, peregrinorum ſuſceptor, viduarum deffenſor, pupillorum & orphanorum pater, ita vt veriſſimè de eo Sanctiſſimi Iob teſtimonium dici poſſit:

Iob. 29. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pater orphane: & cauſam quam neſciebam diligentiſſimè perſcrutabar.* Quapropter vndique infirmi ad eum confluebant, quos læto ſuſcipiens animo, medelam eis curationis per ſanctas orationes præbebat:

bebat: Nam & cæcis facto Crucis ſigno dicto citiùs lumen oculorum donabat, & paralyticos virtute precum, & manus impoſitione erigebat. Dæmonia de obſeſſis corporibus nunc prece ad Deum fuſa, nunc ſolo imperio eijciebat, perſæpe verò ſolâ ſuâ præſentiâ fugauit.

CAPVT IX.

De miraculo Leproſorum.

NEc leproſos vel elephanticos exhorruit, ſed quaſi fratres amplexabatur, balneíſque eorum membra ſaucia fouebat, eadémque poſt ipſos ingrediebatur. Vnde & pro tam inaudita humilitate, pietatéque ineffabili, contingebat magnum & inauditum miraculum: quia cùm tantùm ſe humiliaret vt aquis veneni tabo infectis proprium corpus dilueret, non ſolùm ipſe malum in ſe non trahebat; ſed & ipſi leproſi qui dudum loti fuerant diuina manu medente, & Sancti merito exigente, omni malo ſtatim emundabantur. Prophetici ſermonis nec ſurdus auditor fuit: *Egenos vagóſque introduc in domum tuam, & nudum veſtimentis tuis cooperi: & carnem tuam ne deſpexeris.* Nec ſolùm carnali refectione ad ſe venientes fouebat, ſed etiam ſpiritali ſolatio ſanctæ prædicationis reficere non ceſſauit. Et ſicut miſerorum idoneus vbique fuit conſolator, ita ſuperborum durus caſtigator eſſe non timuit: hos pietatis clementiâ eleuabat; illos ſeueræ inuectionis cenſurâ deprimebat: nec terrenæ poteſtatis iram foris metuebat, quem timor interiùs diuinæ potentiæ totum corroborabat; parui pendens diuitum minas, vt præco veritatis exiſteret. Nec fuit arundo vento agitata, vt eum aura humanæ laudis vel detractionis commoueret, ſed in arce ſolidæ veritatis conſiſtens, ab humano ore ſecundum Apoſtolum iudicari contempſit. Viam Regiam incedens, nec à dextris propter terrores potentium, nec à ſiniſtris proprer blanditias adulantium declinauit: quapropter magnam plebem Domino Deo ſuo in hac Pontiua prouincia acquiſiuit, & ſibi honorem perpetuum promeruit. *Iſai. 58. 7.*

CAPVT X.

De miſeratione eius erga captiuos: & quòd Britanniam petierit.

VNDE populus cernens eius religioſam in Chriſto deuotionem, cœpit eum attentiùs honorare,& multa ei pro eleemoſynarum largitione offerre, quæ ille, vt erat Dei & proximorum dilectione plenus, omnia in pauperum largitus eſt ſolatia, maximéque in captiuorum expendit redemptionem. Nam alios occultis diabolica fraude peccatorum vinculis obligatos per ſedulæ prædicationis hortamenta ſoluebat, alios ſæculari captiuitate oppreſſos per pecuniæ largitionẽ redemit; vt illi ſpiritualiter abſoluti jocundarentur à Domino, & iſti carnali ſeruitute liberati conuerterentur ad Deum: & non ſolùm in his regionibus Galliarum per pietatis opera, vel per prædicationis lumina, prædictus vir Dei Richarius clarus effulſit, ſed vt lucifer æquoreos oceani campos tranſiliens, præco diurni luminis nocturnas ſuo exortu diſcutit vmbras; ſic ille in vltramarinas Britanniæ regiones ad expellendas ignorantiæ tenebras lumen veritatis ſuo ſparſit aduentu; ſcilicet vt ſicut in iſtis regionibus, ſic & in illis alios à ſeruitute diabolicâ, alios à captiuitate carnali liberaret, illis verbum Dei infudit, iſtis charitatis pretium impendit, vt pro temporali redemptione æternam accepiſſent libertatem.

CAPVT XI.

De aduentu eius in Sigetrudem,& miraculo niuis.

EXTAT igitur villa in pago Pontiuo Sigetrudis vocata, in qua ſæpe dictus,immò ſemper dicendus venerabilis Pater Richarius conſueuerat manſionis habere hoſpitium cùm æquoreos oceani transfretare campos ſtuderet; partim ſalutiferæ incumbens prædicationi regionis Britannicæ, partim etiam captiuorum ſtudens redemptioni. Erat autem ipſius villæ domina nomine SIGETRVDIS, à qua vi-

Digitized by Google

delicet ipſum prædium nomen accepit. Verùm quid factum ſit cùm ad hanc Beatus Domini Confeſſor quadam vice veniſſet, calamus perſtringat. Contigit hiemali tempore de Britannia redeuntem Sanctum illò Richarium aduentaſſe, eúmque ibi poſitum cum his quos redemptos deducebat nox illa oppreſſit: à Senatrice igitur jam dicta ſe ſuòſque Beatus hoſpitio recipi popoſcit; cui illa hanc munificentiam omninò denegauit: necdum quippe plenè ſciens cujus virtutis vel meriti eſſet, & vt fertur, quodam ſiniſtro rumore acta, ejus precata facilè contempſit. Igitur vir Dei cùm domicilium ſibi quemquam nolle impertiri præuidiſſet, eúmque aliorſum progredi hora ipſa vetaret, cum redemptis ſuis, quorum tum ingentem turmam ſecum habebat, ejuſdem vici ſitum peragrauit, inuenítque foſſatum magnum in quo homines non pauci poterant clanculò congregari. In hoc itaque cum ſuis ſeceſſit, totiúſque noctis ſpatium inibi peregit. Sed quid Deo ſapientius? ad hoc certè mulier non eſt permiſſa ei præbere vnius noctis hoſpitium, vt diuina operatio acciperet locum; cognitóque quanti apud Deum eſſet meriti, non ſolùm domum, ſed & omne ei contraderet prædium. Nocte igitur eadem cùm Sanctus ſuíque in foſſato cubitarent, tantam è nubibus contigit defluere niuium magnitudinem, vt omnis patria vix ferre quiuerit illius denſitatem; operta omnia & in ſubitum candorem vniuerſa mutata ſunt, ſolum illud foſſati ſpatium, quo Sanctus cum ſuis tenebatur, nix non inuaſit, & quæ vel geſtu ventorum, vel ſua ſubtilitate etiam interna tectorum penetrat, ab eius injuria ſeſe continuit, qui hominum carens domicilio ſuperna protectione tegebatur. Mane facto habitatores loci exurgunt, & vel ſibi vel pecoribus ſuis per medias niues viam ſecare coguntur ſole lucente dum omnia perardentur, inuenitur ſanctus Pater Richarius aquis niuium remanſiſſe intactus: quo facto omnes obſtupeſcunt, admirantur, & verè hunc, qui taliter ſit defenſus, Dei cultorem & amicum prædicant. Hanc ſancti viri erga Deum poſſibilitatem, vt illa nobilis femina aure cordis percepit, hoſpitium ſe negaſſe nimiùm pertremuit, & in tanto caritatis glutino deinceps eum dilexit, vt

ipſam ei villam perpetuò traderet habendam. Verè mirabilis Deus in Sanctis ſuis, verè fidelis in promiſſis, ipſe fidelem famulum humano ſemel auxilio deſtitutum non deſeruit, ſed vbi ad horam non permiſit habere manſionem, fecit percipere ex toto hereditatem.

CAPVT XII.

De fonte per orationem eius inibi producto.

DVM itaque B. Richarius pro cœleſtis patriæ palma militarem adhuc duceret vitam in terris, in prædicto prædio hoſpitium ſæpe habebat apud memoratam Dei ancillam; cùm ſcilicet Britanniam pergeret, vel inde ad propria repedaret: quæ cùm in magna familiaritate apud eum haberetur, vt pote cujus vitam in Dei opere conſpiciebat aſſiduam, petijt eum, vt ſuis ſacris precibus apud Omnipotentis clementiam obtineret, quatenus ditari mereretur in aquæ largitione (erat enim ibi valde neceſſaria) qua prece eius coactus orauit; poſt orationem autem ſuum in terram baculum fixit, atque mox fons erupit, qui vſque in præſens ibi perdurat, illud exhibens ad quod orationibus ſerui Dei primitùs enituit; qui cùm nulla ſiccitate vnquam fluere deſinat, nunquam tamen eiuſdem vici rura tranſgreditur, ſed hîc naſcens, poſt parcum curſum illic deficiens annullatur. Multa de fonte & de villa dici poterant, ſed ea omittimus, vt ad alia citiùs expediamur.

CAPVT XIII.

De Prophetia eius.

SED inter tot & tanta miracula, quæ per ſuum hominem Chriſtus Dominus ●fficiebat, etiam Spiritus ſancti, qui verè eſt omnium artifex, omnia proſpiciens, tanta eum ſuppleuit gratia, vt non ſola ſigna ſanitatum, ſed & denuntiationes rerum futurarum efficaciter conſequeretur; quod in ſequenti liquebit exemplo. Cùm causâ prædicationis in Britannia diutiùs moraretur, ſubitò ſancti Spiritus afflatu venit illi in mentem aliquos ſui juris ſub ſerui-

Digitized by

tute reliquiſſe in Gallia; quo dolore perculſus dixit ad ſuos, heu ! noſtros ſub ſeruitute dimiſimus in patria dum huc alios liberare venimus, maximè quia ſcio citò eos eſſe morituros : ſed ite feſtinanter , nauem conſcendite , & eos facite ingenuos, priuſquàm moriantur. Illi haud ſegniter præceptum ſecuti paternum patriam venerunt, prædictos ſeruos viri Dei ſanos & incolumes inuenerunt, eóſque veluti juſſi ſunt, manu mittentes fecerunt ingenuos: qui non poſt multum temporis, ſicut vir Sanctus prædixerat, defuncti ſunt. O quanta clementia eſt Dei Chriſti, qui Famulo ſuo pietatis affectum inſeruit, & futuram ſeruorum eius mortem oſtendit, quatenus illi miſericordiæ merces de ſuis non periſſet, & illos morientes ſeruitutis jugum non grauaſſet? Ex eo tempore neminem ſui juris ſub ſeruitutis jugo retinere voluit, ſed omnes vbique ad ſe pertinentes libertate propria perdonauit, ne in proprios durior fortè videretur, qui in alienos mitiſſimus apparere geſtiebat, & vt mercedē quam ex alijs congregauit, de ſuis accumularet.

Deeſt CAPVT XIV.

CAPVT XV.

De conſtructione Centulenſis Monaſterij.

POSTQVAM fugatis ignorantiæ ac errorum tenebris multas Dei famulus Richarius Chriſti nomine repleuerat regiones, & Paganos conuerſos innumeros ſancta fide, pleroſque autem Monaſtica Religione inſtruxerat, poſt locatas Eccleſias, & Clericos delegatos, cùm ſentiret ſe non poſſe ampliùs prævalere ad circuitionem prædicationis , permaneret tamen in eo infatigata voluntas ſanctæ exercitationis, ſolo natiuo, & paternæ hæreditati, quam noſtrates alodium vel patrimonium vocant, ſe ſe contulit ; quod reliquum erat vitæ ibidem in Dei ſeruitio tranſacturus. Hanc denique poſſeſſionem Chriſto ſecum dudum obtulerat, monaſteriúmque in paterno ſolo conſtruxerat, vt ibi ipſe fuerat mundo procreatus, ibi multos per Dei gratiam generaret, & in loco ſuæ natiuitatis procrearen-

tur filij ſupernæ hereditatis. Qui locus, Deo conſeruante, clarus adhuc in villa Centula permanet ; & Chriſto Domino famulantium hactenus turbam retentat. Igitur cùm hoc perfeciſſet, prout ſanctiſſimæ ejus voluntari complacuit, quæ non amplitudinem ædificiorum, aut vetuſtatem * tectorum, ſed ſalutem animarum, & ſanctitatem quærebat morum honeſtorum, ex prouincialibus aliquos, & ex his quos redemptos fecerat liberos, qui ſcilicet ſanctitatem ejus certiùs æmulabantur, inibi Fratres collocauit ; quorum vitas diſcutiens, moréſque corripiens, de imis ad alta, de terrenis ad cœleſtia, plus exemplo quàm verbo tendere perdocebat præſidendo eis jure Abbatis. Multi quoque nobilium Franciſcorum ejus adhærentes bonitati, ſemitas vitæ jugiter carpebant : ipſe verò diſcipulorum mentes cœleſtibus intentas & mundo ſuperiores eſſe perpendens gaudebat, & ſeipſum ad altiora extendens inhianter dicebat : *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei ?* Et iterum : *Ego autem cum iuſtitia apparebo conſpectui tuo ; ſatiabor dum apparuerit gloria tua.* Sancto enim ſe ſemper Spiritu illuſtrante, & gratia Chriſti cooperante, tanto ſe ardentiùs ſeruituti Dei ſubegit, quantò viciniorem ſibi diem remunerationis eſſe præſenſit. Nam ſeipſum quotidianis jejunijs macerauit, mortificatione carnis conſtrinxit, vigilijs affligit, orationibus muniuit, caritate confirmauit, ſpe roborauit, fide armauit ; nulli malum pro malo reddens, nullius adulator, neminem contempſit, vt viam veritatis prior ipſe incederet, quam cæteris prædicando monſtrauerat. Sic vir Dei galea ſalutis indutus, & gladio verbi Dei accinctus, & lorica juſtitiæ vndique circumdatus, & ſcuto fidei armatus, calciatúſque in præparatione Euangelij pacis, proceſſit in prælium contra hoſtem antiquum, omnia tela eius ignita fortiſſimo fidei vmbone repellens, quotidianiſque triumphis ſpolia magna victo hoſte reportauit in Eccleſiam Chriſti ; tam metuendus humani generis inimico, quàm humano generi perneceſſarius, vtpote qui non ſuam tantùm, ſed multorum quæſiuit ſalutem ; ideò juſtum eſt, vt multorum ore in Chriſto laudetur, multorum per Chri-

* vetuſtatem.

Pſal. 41. 3.

Pſal. 16. 15.

ſtum redemptor: tantus quippe illud ad colligendas Deo animas feruor accenderat, vt ſic Monaſterio præeſſet quatenus per Eccleſias, per caſtra, per vicos, per ſingulorum quoque Fidelium domos circumquaque diſcurreret, & corda audientium ad amorem patriæ cœleſtis accenderet.

CAPVT XVI.

De ſancta HRICTRVDE *commatre eius.*

QVÆDAM illuſtris matrona nomine HRICTRVDIS, nunc cœleſti ſede beata, aliquando ſancto Abbati ſuum deſtinauerat filium nomine MAVRONTVM, quem ipſe ſanctus Baptiſmatis vnda diluens Chriſti cauterio notauit. At cùm puer idem jam renatus matri eſſet redditus, maligni ſpiritus tentatio accidit viro Dei tali occaſione. Viſitauit enim equitando jamdictam Deo deuotam fœminam Hrictrudem, & jam poſt dulces vitæ cœleſtis epulas, & poſt colloquia ſalubria, ipſe vir Dei cùm aſcenſo equo ad propria remeare diſpoſuiſſet, matrona prædicta juxta morem equitantis veſtigia pariter ſecuta eſt, habens in vlnis filiolum ſuum, vt paruulus quoque benedictione hominis Dei roboraretur, quem ipſe, vt paulò ante inſinuatum eſt, ſacro baptiſmate Deo regenerauit: acceptóque infante eques venerandus, ſeu ad benedicendum, ſeu ad deoſculandum, antiquus hoſtis omnibus bonis inimicus, qui & ſancti viri gloriæ ac virtuti, & ſanctæ illius pueri religioſitati futuræ inuidebat, immiſit equo ferocitatem, qui huc illúcque dentibus frendens, pedibus calcitrans, & toto corpore inſaniens, inconſueto impetu per campum diſcurrere cœpit. Quod pauida cernens mater oculos auertit, ne morientem filium videret, quem ſeruus Dei ſæuiente equo manu tenebat: famula verò pro morte pueri, vel caſu viri Dei, ſtrepere, plangere, ejulare non deſtitit: ſed dextera Chriſti, quæ Petrum trepidantem leuauit ne mergeretur in vndis, puerum cadentem ſubleuauit ne allideretur in terris: nam oratione à famulo Dei facta, puer incolumis quaſi auicula peruenit ad terram, & equus redditus eſt manſuetudini ſuæ, & mater quidem filium ſuum è terra ſanum

& ridentem ſuſcepit in vlnas: ipſe tamen Sacerdos Dei non equo iter agere, ſed aſello manſuetiſſimo ex eo tempore voluit: nempe memor Dominum Chriſtum, dum ad redemptionem properaret humani generis, aſello iter egiſſe non equo. Sic ipſe deinceps cùm propter ſalutiferam prædicationem per multa quotidie feſtinaret loca, aſellum ſibi portitorem ſufficere judicauit. Sic, Deo miſerante, tentatio maligni hoſtis illi verſa eſt in laudis honorem, & ſuperbia equi ei facta eſt humilitatis magiſtra.

CAPVT XVII.

De Cæco illuminato.

ALTEIÆ litori aquam tranſire volens quodam tempore Kymbæ aduentum opperiens inſidebat, cùm ecce Pontiuenſis indigena homo cæcus, qui tanto cum reliquis contribulibus patrono gloriabatur, inibi illum morari comperiens, alienis obtutibus deductus occurrit, & cariſſimum Patrem patriæque Dominum infinitis clamoribus exaggerans, lumen proprium ſibi donari poſcebat: Cujus neceſſitati vir ſanctus miſericordiſſimo, vt ſemper fuit, corde compatiens, eum ad ſe propiùs acciuit, quo applicato digitos labris ſacratiſſimis appoſuit, indéque tollens ſaliuam orbati oculos leniuit, ſtatímque Dominicum exemplum virtus eadem proſecuta, diu obſcuratum luminatum reddidit: quo loco villa & Eccleſia permanet, quæ ob eius amorem Domnus Richarius dicitur. Nulla autem vnquam antiquitas abolere potuit ab ore poſterorum, quin quotidie referant Patriotæ noſtrates inter alia magna miracula; quòd cùm iſdem Beatiſſimus Paſtor in locis Britanniæ captiuorum ſtuderet redemptioni, ſi quando accidiſſet tardiùs haberi vehiculum, quo in redeundo tranſmeandus eſſet Alteïæ vel Quantiæ fluuius, abſque aliquo humanæ opis adminiculo eundem pedibus non humectis tranſiſſet: verùm nos non omnes Fidelium relatas eloquijs ſancti Dei virtutes referre ſuſcepimus, proinde ad certiora veniamus, quæ ſagax priſcorum induſtria altiori conſilio imitanda vitæ eius libello inſeruit: quocumque enim iter agebat, aut

Pſalmi

Pſalmi ex ore eius reſonabant, aut ſalutis prædicatio audiebatur; nec mirum ſi Chriſtum ſemper prædicaret in lingua, quem ſemper gerebat in corde, per quem pius conſolator miſeris fuit, & durus inuector potentibus, illorum inopiam clementi miſeratione releuans, iſtorum ſuperbiam ſeuera caſtigatione reprimens.

CAPVT XVIII.

De aduentu Regis Dagoberti ad eum.

TANTORVM igitur bonorum fama non latuit, ſed Deo volente, qui glorificantes ſe glorificat, cunctas partes finitimas ſanctitatis eius odor bonus reſperſit, in tantum vt ipſos Optimates Regni & Proceres non lateret; Regem quoque ipſum Dagobertum ad viſendum eum mira opinio prouocaret. Nam quodam tempore ipſe Rex potentiſſimus DAGOBERTVS, rogante viro Illuſtri GISLEMARO, Pontiuas deuenit in partes virum Dei viſitare, & vt ſeipſum ſacro-ſanctis eius orationibus commendaret, quem ipſe famulus Dei vtrumque & ſanctitatis ſuæ benedictione roborauit, & Sacerdotali auctoritate libera voce caſtigauit; denuntians ei ne in ſæculari ſuperbiret potentia, ne in fugitiuis ſperaret diuitijs, ne vanis adulantium extolleretur rumoribus, ne caducis gauderet honoribus; ſed magis Dei timeret potentiam, & immenſam illius laudaret gloriam; humanam potentiam vel gloriam nullam putaret, quæ ſubitò velut volatilis vmbra recedit, & velut ſpuma ſuper aquam vento tentationis flante euaneſcit: & hoc magis timendo cogitaret, quia *Potentes potenter tormenta patientur.* Et, *Cui plus datur, plus exigitur ab eo*: & qui vix ſufficit pro ſe ſolo rationem reddere Deo in die judicij, quomodò ſupportare poterit rationem reddere pro tantis millibus populi ſibi commiſſi: idcircò quiſque magis timere poteſt * præeſſe quàm ſubeſſe; quia qui ſubeſt, pro ſe ſolo rationem reddet Deo; qui autem præeſt, pro omnibus erit redditurus qui ſub eius ſunt poteſtate conſtituti. Qua caſtigatione Rex, vt fuit ſapiens, benignè ſuſcepta, congaudénſque eius liberâ veritatis fiduciâ, Sacerdotem

Sap. 6. 7.

Luc. 12. 48.

* deleat.

Chriſti ſecum ad conuiuia venire rogauit; qui Chriſti confortatus exemplo ſæcularium non reſpuens conuiuia, vt prædicationis nanciſceretur occaſionem venit cum Rege ad menſam; totáque die illa & nocte inter epulas lætitiæ verbi Dei dapes ſalutiferas conuiuis ſuis miniſtrauit: cuius conſtantia morum, & inſtantia prædicationis præfatus Rex delectatus, cœpit eum animo amare, & honore proſequi in tantum, vt ea ipſa die aliquid de cenſu ſuo ad luminaria domus Dei ei condonaret. Delegauit autem ei, priùs facinorum ſuorum confeſſione præmiſſa, & abſolutione percepta, territorium quoddam in pago Pontiuo, quod dicitur Campania, vbi habentur villæ tres, ex ea die Sancto viro, & poſt eius tranſitum Centulo Cœnobio hodiéque ſeruientes: quarum prima vocatur Altuillaris, ſecunda Rebellis-mons, tertia Valerias.

CAPVT XIX.

De ordinatione OCIOALDI *Abbatis: & vt Sanctus eremum petierit.*

EX INDE famulus Dei, qui ab hominibus venerabatur, homines fugere meditabatur, vt honores temporales declinando, honores acciperet perpetuos. Exemplum nempe Regium quarumque dignitatum Principes imitantes, Sancti viri benedictionibus certatim perfrui contendebant. Quod ipſe cœleſtibus jamjam inſeri cupiens ſat moleſtè ferens, ne tantis honoratorum virorum obſequijs vlteriùs ambiretur, eremum cupiuit, quatenus ſoli Deo liberiùs vacaret, & contemplatiuos carperet fructus, qui in actualibus haud ſegniter deſudabat. Verùm quia Eccleſia in Centulo exſtructa abſque Abbate nec debebat eſſe nec poterat, hoc officio ſe ſe exonerans, vnum è diſcipulis perfectæ ac probatę ſanctitatis, nomine OCIOALDVM, jam dicto Cœnobio præfecit Abbatem. Quo peracto diuinis ſe ſe ex integro contulit theorijs, eremiticam petijt vitam qua ſecretiùs ſola cœleſtia mente rimaretur, & totum ſe in Deo ſanctificaret, à quo poſt modicum erat ſuſci-

piendus. Cui GISELMARVS vir illuſter, & Chriſtianæ religionis deuotus amator, ſimul & MAVRONTVS ſanctæ Hrictrudis filius, qui ob inſignem nobilitatem apud Regem Dagobertum plurimùm poterat, & tunc terrarum vel ſiluarum ad Regem pertinentium diſpoſitor & cuſtos habebatur, præbuerunt locum manendi in ſilua Chriſciacenſi, in loco qui nunc Foreſtis-Cella dicitur, diſtans à Centula X. paſſuum millibus, vbi videlicet per ante acta ſæcula nemo habitauerat: in eodem verò loco ſub honore noſtræ Dominæ ſanctæ MARIÆ, Chriſto Monaſterium conſtruere inchoauit. Scire autem volumus lectorem, quòd ipſe de quo loquimur Maurontus poſteà pompa ſæculari & habitu calcato Monachus, Monachorúmque Pater factus eſt, & nunc ſanctæ vitæ merito cœleſti fungitur ſocietate: nec enim caſſari poterat illa ſacroſancta magni Patris Richarij benedictio, qua fuerat dudum puer interceſſione matris potitus.

CAPVT XX.

Qua maceratione corpus proprium in eremo contriuerit.

MAGNVS itaque Confeſſor Dei & eximius Pater Richarius, cum ſolo cõmilitone nomine SYGOBARDO, apice nobilitatis fulgido, præfatam habitationem ingreſſus eſt paruo tantùm tuguriunculo viliſſimo opere facto contentus, vt habitatio vitæ congrueret, ſuperfluum æſtimans ſæculi contemptorem aliquid ſæculi diuitiarum videri habere. At inibi tanta ſe mortificatione carnis conſtrinxit, tanta jejuniorum & vigiliarum aſſiduitate macerauit, vt vix oſſa areſcentia diſſipatis juncturis adhærerent: & trementia baculo regente veſtigia difficilè mouebat, ac mente ſæculo major ſola cœleſtia ſemper cogitabat: quantúmque mundo alienus, tantùm Deo proximus: illum quotidie vincens in eremo à quo Adam olim victus eſt in Paradiſo: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulans, caput quotidie antiqui conterebat ſerpentis: temporalia cuncta contemnens,

æterna ſola ſuſpirans, atque per auguſtam viam quæ ducit ad vitam iter ſuum aſſiduis muniuit orationibus. Nec clauſa tamen eremi anguſtijs lucis columna latere potuit, quin magnis ſui fulgoris radijs longè latéque innotuit: quapropter vndique ad hominem Dei cæci, ſurdi, muti, claudi, leproſi, paralytici, ſeu cunctis infirmitatibus fatigati ibant, vel portabantur, quos ſanctarum medicinis orationum ſanabat, omnéſque ad ſe quocunque morbo afflictos venientes, vel triſtitiæ cujuſlibet rancore anguſtiatos, ſanos & hilares ad propria remeare faciebat. Nec mirum ſi Deo carus homo ab hominibus frequentabatur, cùm ipſa quoque animalia omni ratione carentia ad obſequendum Dei ſeruo promptiſſima forent. Denique ſi quando, quod infrequens erat, contigiſſet eum neceſſitati corporeæ quidpiam comedendo concurrere, illæ aues, quarũ multiplicitate nemora replebantur, ita intrepidè ante illius ora deſcendebant, & genuculis eius vel ſcapulis inſidebant, vt non inſenſata animalia, ſed tanquam filios affectuosè patri inhærentes ipſa rei qualitate putares. Porrigebantur eis Sancti viri manibus aliquæ micæ, & quæ pro ſui duritia, vel auſteritate hominum vſui eſſent inhabiles, ipſis auibus nunc voce, nunc pennis adulantibus gratiſſimæ fieri videbantur.

CAPVT XXI.

De tranſitu eius ad Chriſtum.

HACTENVS dum de Sancti vita ageretur, ſe hilarem animus geſtiebat, & quaſi de viuente Patrono gaudebat, cùm quæ viuens feciſſet narrabat: hactenus tanquam proſperis nauigabamus ventis, & dilecti Patris geſta lectione placida percurrendo, quaſi dulce nobis celeuma canere videbamur: at nunc anima quid eligis? conticeſces, an juſti mortem narrabis? ſed ne dicas mortem quæ Sancto fecit natalem. Nam quando mundo mortuus, tunc Chriſto eſt in cœlis verè natus. Miſerum eſt loca mortis vltrò amare, & poſt experta ſaltem pericula portum nolle videre. Simul & Patri congaudere debes, qui naufragio mundi ſaluatus, firma ſede cum Chriſto viuens gaudet laureatus.

Firma, inquam, quia cœleſti; firma, quia æterna; firma, quia nullis hoſtium incurſibus auferenda. Cordis igitur dolore lacrymarum vbertate digeſto Patris non mortem, ſed tranſitum dicamus; qui idcircò verè beatus eſt, quia mundum contemnens hunc tranſitum ſemper ambiuit. Sed jam frontem ſoluamus, quo Patris gloria liberè nuntietur.

Præſciens ergo diem aduocationis ſuæ, quâ fœlicitatem diu deſideratam accepturus erat, & ſemper adjungi Deo quem ſemper amabat, vocauit ad ſe præfatum Sygobardum commilitonem ſuum dicens: Scio, Fili mi, ſcio, quòd finis meus non tardat, & Regem meum quem diu cupiui citiùs videbo: & vtinam tam propitium mihi ſeruo ſuo, quàm deſiderabilem Sanctis ſuis. Sed tu fili præpara vaſculum corpuſculo meo quo condatur, non ſuperfluo ſtudio, ſed neceſſario vſu; vt illic ſeruetur in illum diem, quo corruptela hæc vertatur in incorruptionem, & mortale hoc induatur immortalitatem. Et para te omni diligentiâ, Fili, vt dum dies illa quæ mihi modò appropinquat, tibi quoque aduenerit, paratum te inueniat. Ego vero vado viam totius mundi, tantùm mihi miſericors ſit Saluator mundi, & me modò defendat ab hoſte, qui me olim redemit ab hoſte; & quem præſentis vitæ habui conſolatorem, æternæ vitæ mihi inueniam largitorem. Hæc diſcipulus à Patre audiens lacrymis perfuſus tandem præcepta ſecutus, lignum inueniens fidit, cauauit, & corpori Patris coaptauit, & fletu opus rigauit quod fecit; & penè priùs lacrymis implens amaris, quàm paternis membris: aptatúmque vt potuit ſarcofagum in loco à Patre præfinito compoſuit. Interim dum triſtia Patri filius pararet obſequia, validior Patrem coquebat infirmitas, & in frigido corpuſculo vix halitus remanſerat extremus, nec tamen ab orationis ceſſauit officio, vel diuinæ laudis obſequio; Et dum ſalutifero corporis Chriſti & ſanguinis viatico ſuum iter muniiſſet, inter gratiarum actiones, & verba orationis, v I. Kalendas Maij ſpiritum emiſit, poſitúſque eſt in ſepulcrum à diſcipulo, vbi ipſe præceperat.

CAPVT XXII.

De gloria eius cælitùs SYGOBARDO *oſtenſa.*

SED mirum dictu, inter exequias paternas ſubitò diſcipulus ſopore oppreſſus, vidit in viſu quaſi raptus eſſet in aulam ſplendidiſſimam, omníque decore pulcherrimam; nimio ſolis luce clariorem, in qua B. Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem, ſibíque dicentem: Ecce, Frater Sygobarde, qualem manſionem præparauit mihi Deus pro vili quam habui in terra pulcherrimam in cœlo, pro contemptibili glorioſam, pro obſcura lucidiſſimam, & pro fumoſa omni ſuauitate renitentem. (Enimverò, quod prætereundum non eſt, inter alia quæ in ſemet conficiebat tormenta, & hunc quoque ſanctus Dei ſibi ingerebat cruciatum; ſi aliquando algeret, abijciebatur focus; ſi calentes auræ haberentur, ad hoc adhibebatur vt non calefaceret, ſed viridi ligno inſtructus vt obtutus fumo repleret.) Expergiſcens itaque Diſcipulus lætior opus exequiarum perfecit, Deo prouidente, vt filius conſolaretur, & Patris gloria monſtraretur: conditúſque eſt, vt prædixi, miles Chriſti vbi ſuo Regi maximè militarat.

CAPVT XXIII.

De Translatione corporis eius in Centulam.

BEATVS itaque Richarius, quia tum pro ſpectabiliſſimo genere, tum pro eximia ſanctitate apud noſtrates populos clariſſimus habebatur, non diu eſt permiſſus eo loci quieſcere, quo, propter iter infrequens & vitam remotiorem, ſeipſum retruſerat. Iacuit tamen ſancti corporis venerabilis gemma in ligneo illo ſarcofago ſpatio quinque menſium & dierum duodecim, id eſt, à VI. Kalendas Maij vſque ad VII. Idus Octobris: quo ſcilicet tempore Fratres à Centulo Monaſterio, quod, vt ſupra dictum eſt, ipſe Sanctus ædificauerat, cum ſuo Abbate OCIOALDO viro religioſo, Sanctíque ſucceſſore venerunt, & dilecti Patris corpus venerandum leuauerunt, ita ab omni tabo cor-

Digitized by Google

ruptionis liberum, ſicut ab omni mundi amore cor poſſederat mundum. Cum reuerentia ergo tanto Confeſſori debita glebam omni auro cariorem deuotiſſimè humeris imponentes, præcedente & ſubſequente Religioſorum & Plebeialium caterua, detulerunt Centulam, vt quæ Sancti viri gaudebat genitura, eius conſequenter ornaretur ſepultura. Sepultus eſt ergo Chriſti amicus & glorioſus Confeſſor Richarius in Eccleſia ſua, quam ſub honore noſtræ Dominæ Sanctæ Dei Matris MARIÆ dudum ædificauerat, VII. Idus Octobris: in quo loco à parte capitis eius Beati Petri Apoſtolorum Primatis nunc altare habetur. Ibíque longo quieuit tempore in alio tumulo, donec poſt CL. & eò ampliùs annos à ſanctis viris qui huic noſtro Cœnobio præfuerunt, & maximè à ſanctæ recordationis Angilberto Abbate omni venerabilitatis honorificentia excultum eſt; quod quomodò ſit completum, Deo auxiliante, aliàs expedietur. Ibi autem, Deo præſtante qui ſuos fideles nouit clarificare, noua ſæpe noſcuntur miracula facta, quæ omnipotentem Dominum duabus ex cauſis conſtat facere voluiſſe, vt ſcilicet fides precantium patefieret, & merita ſui ſerui oſtenderentur, quo in ſeruo ſuo Chriſti ſemper laus celebretur, vt dictum eſt, laudante Dominũ in Sanctis ſuis.

CAPVT XXIV. Deeſt.

De miraculis ad ſepulcrum eius peractis.

MYCON *Diaconus & Monachus.*

ANNVA *feſtiuitas hodie celebratur honore*
Almi Richarij, qui colit aſtra poli.
Hic inopem Chriſti duxit pro nomine vitam,
Vt cœlo ſocius fieret Angelicus.
Captiuorum etenim ſtuduit fore ſatque redemptor,
Tutor egenorum, atque pater inopum.
Non opus eſt, fateor, neque poſſum ſtringere cuncta
Viuens quæ geſſit, quanta etiam docuit.
Qualis enim quantúſque fuit, miracula pandunt,
Illius in ſacro ſæpe peracta loco.

Finibus in proprijs ortus quibus ipſe quieſcit,
Cujus pro meritis ſtat locus incolumis.
Ipſius obtentu, necnon Chriſtóque fauente,
Siſtimus illæſi denique nos famuli.
Quapropter hodie Chriſto jubilemus ouantes
Laudes, pro ſancti Richarij meritis.
Vt cunctis noſtræ placeant præſentibus odæ
Nec minus & Domino, hoc igitur moneo.
Atque pium puro poſcamus corde Patronum,
Vt noſter cuſpis, ſit, ſimul & clypeus.
Quatenus armati precibus ſuperare queamus
Infeſtos nimium Catholicæ Eccleſiæ.
Hoc mundi facias Rector, quia hoc tibi poſſe eſt,
Sit tantùm velle, poſcimus ò Domine.
Et tibi feſtu dies, præceptor læta per annos
En numero pauci verſiculi hoc rogitant.

CAPVT XXV.

De ſucceſſoribus Regum Franciæ.

QVONIAM quidem in initio huius operis de geſtis Francorum aliquid memoratum eſt, neceſſe remur, ac perpulchrum eſt, vt quidpiam iterum de eiſdem referamus. DAGOBERTVS igitur poſtquàm poſt patris obitum regnum ex integro adeptus eſt, paucis annis vixiſſe deprehēditur: qui cùm haberet duos filios SIGIBERTVM & CLODOVEVM; Sigibertum cum PIPINO Duce Auſtraſijs regnaturum direxit; Clodoueum verò ſecum retinuit, qui poſt eum regnum Francorum ſuſcepit. Hic CLODOVEVS ſumpſit in conjugium ſapientem & valdè decoram puellam BALDETILDEM, ex qua CLOTARIVM & HILDERICVM atque THEODERICVM filios ſuſcepit. Quo etiam regnante PIPINVS Dux Auſtraſiorum mortuus eſt, atque GRIMOALDVS ipſius Ducis filius Major & Dux à Sigiberto Rege conſtituitur. SIGIBERTVS quoque mortuus reliquit filium heredem nomine DAGOBERTVM, quem Grimoaldus totondit, & per DIDONEM Pictauorum profanatorem, non dico Epiſcopum, in exilium miſit, filiúmque ſuum

Digitized by Google

ſuum Regem ſubſtituit. Quod cùm Franci reſcijſſent, indignè tulerunt, & per inſidias Grimoaldum capientes, Regi Francorum Clodoueo miſerunt, quem ille pro merito tractans, in carcere Pariſius truſit, ac demum digna morte multauit. Tunc CHILDERICVS ipſius CLODOVEI filius Auſtraſiorum regnum accepit, & honeſtiſſimè rexit. Poſtquam autem è vita deceſſit CLODOVEVS filius magni DAGOBERTI, CLOTHARIVS faſtigium adeptus eſt regni, rexítque populum Occidentalium Francorum annis XIV. EBROINO Ducatum & Palatij negotia exequente. Clothario verò defuncto, CHILDERICVS germanus eius in toto regno ſublimatus eſt, procurante id ipſum LEODEGARIO Auguſtodunenſium Epiſcopo, qui tunc temporis inter regni Magnates egregius animi induſtriâ, vitæque merito habebatur. Ebroïnus autem, qui Major domus fuerat, THEODERICVM fratrem CHILDERICI cupiebat fieri Regem. Sed quia pro ſua feritate oderant illum Franci, conſilium eius omninò renuerunt: & ille videns ſe deſtitutum, conſiliúmque ſuum irritum factum, poſtulauit à Rege, vt relictis omnibus Monachus fieri permitteretur. Cui cùm CHILDERICVS annuiſſet, illicò Luxouium perrexit, & mentita deuotione ad hoc aliquandiu ibi ceu Monachus deguit, vt liberiùs tractaret quid contra illos quandoque facere poſſet, qui in conſtituendo Rege ſuam refutauerant electionem. Rex igitur CHILDERICVS confirmatus in regno, quotquot tyrannorum ſtatuta aduerſum priſcorum Regum leges inuenit, deſtruxit, & in priſtinum rectitudinis ſtatum quæ ineptè fuerant decreta reduxit. THEODORICVM quoque germanũ ſuum cuidam Dei ſeruo erudiendum ac nutriendũ commendauit. Cúmque probiſſimè Monarchiam diſponeret, temerè ab inſidiatoribus interimitur, cùm nonniſi tribus annis regno potitus fuiſſet; ſed & venerabilis genitrix eius, in omni ſanctitate & ſtudio virtutum perfecta, poſt temporalis regni honorem, quem ipſa relinquens Monaſticæ Religionis habitum ſuſceperat, æterni gloriam ſuſcepit. VIII. Kalend. Februarij fœliciter migrans è ſæculo. THEODORICVS igitur matri Baldetildi ſuperſtes regni ſuſcepit gubernacula: quod cùm audiſſet

ille verus ſimulator,& falſus Monachus,nequiſſimus ſcilicet EBROINVS Monaſterium deſeruit, habitum abjecit, & ab eodem Rege Major domus Regiæ reſtitutus, multa mala his qui dudum ſuo conſilio in eligendo Rege reſtiterant, inflixit. Inter omnia autem ſuæ ſæuiſſimæ crudelitatis nefanda opera, illud deteſtabiliſſimum comprobatur, quòd Reuerendiſſimum Pontificem LEODEGARIVM tantis injurijs, támque multiformibus affecit ſupplicijs, vt in ipſa pœnarum argumentatione paganorum quondam principum ſæuitiam æquiparaſſe, aut etiam ſuperauiſſe jure dicatur. Hi ergo fuerunt Reges, qui ex quo cœpit regnum Francorum vſque ad hoc tempus habiti ſunt. Meroueus, Childericus, Hludoguicus, Clotarius, Aripertus, Guntrannus, Chilpericus, Sigibertus, Clotarius, Hildebertus, Theodoricus, Theodebertus, Sigibertus, Dagobertus, Sigibertus, Clodoueus, Dagobertus, Clotarius, Hildericus, atque Theodoricus.

CAPVT XXVI.

De Abbate OCIOALDO, *& alijs quatuor Abbatibus.*

AT nunc illud poni decet, quòd decedente ſanctiſſimo Abbate Richario, OCIOALDVS vir honeſtus Centulenſi Cœnobio præfuerit, quem, vt ſuprà comprehenſum eſt, Sanctus ipſe tali officio decorarat. Hic conſummato ſanctæ vitæ curſu fideli brauium Chriſto accepit gloriæ immortalis. Poſtquàm verò debito noſtræ mortalitatis abſolutus eſt, lucidum nobis non eſt, quem ſtatim miniſterij habuerit ſucceſſorem. Extiterunt ſanè & alij non ignobiles viri huius noſtri Cœnobij Abbates, quorum geſta licet ſint occultata hominibus, eorum tamen vitæ merita apud Deum magna fore creduntur; inter quos floruit vir venerabilis vitæ, & ſummæ ſimplicitatis Abbas COSCHINVS; quem ferunt ex Diſcipulis ſancti Filiberti fuiſſe, & ob morum probitatem ſcientiæque vbertatem Gemmeticenſi Monaſterio præfuiſſe. Si quidem cùm ſacratiſſimus Pater noſter Richarius,

Coſchinus Abbas Centulenſis.

ſuperato in huius vitæ procinctu ſæculo, jam emeritus miles & morti proximus haberetur, B. FILIBERTVS juueniles annos in Dei ſeruitio exercebat, continentiſſimæ ſeruitutis tirocinium gerens in Reſbacenſi Cœnobio ſub ſancto Abbate AGILO. Vnde & contigiſſe fertur, vt ab eo jam ſene Gemmeticenſe Cœnobium fundante, iſte Coſchinus diuinis inſtitutis fuerit eruditus, & merito vitę poſt alios quoſdam ipſi Monaſterio præfuerit. Sícque factum eſt, vt dum illuc Monachos verbis & rectorum operum exemplis opimat, noſtrates eum Monachi ſibi Abbatem præfecerint: non quia inter eos defeciſſet, qui hoc opus dignè exequi poſſet, ſed quia caritas ſumma & humilitatis altitudo ad hoc eos compulerit. Eo enim tempore jam omnes è ſæculo migrauerant qui ſanctiſſimum Patrem Richarium videre potuerant; & ob hoc huius loci Fratres, magno penes eum ducti ſunt amore, quia videlicet ſuis oculis viderant B. Filebertum, Beatiſſimi Richarij feruentiſſimum, vt dicebant, dilectorem. Iſte itaque cùm jam, vt diximus, Gemmeticum Cœnobium regeret, noſtro quoque Cœnobio fraterna electione prælatus eſt. Hic ad incitamentum virtutis, & ad exemplum ædificationis animarum ſibi commiſſarum, B. Filiberti vitam deſcribi juſſit, vero quidem ſed non valdè culto ſermone; quippe qui ſic loqui geſtiebat, vt & ſimpliciores ex lectione admodùm plana fructum intelligentiæ capere poſſent. A tempore ergo huius Abbatis Centulenſe Cœnobium & Gemegienſe ita ad inuicem ex multa caritate ſe complectuntur, vt præter quod locis diuidebantur, ſumma dilectione viderentur vniri.

Tunc verè Sancti & boni Fideles non valdè curabant ſcriptis quæ gerebantur committere, qui ad hoc ſolùm contendebant, vt in libro vitæ mererentur adſcribi. Vnde & illius temporis Abbates, ex toto prorſus ignoraſſemus, niſi venerabilis Abbas ANGELRANNVS ex aliquanto id procuraſſet. Qui dum priſcorum Abbatum Catalogum perſtringeret, ex ijs vnum fuiſſe inſinuauit GVITMARVM, quem & ſanctiſſimum virum titulauit. Et quia tanti viri tale meruit teſtimonium, dignum eſt vt à nobis puſillis memoretur, qui viri verè ſancti ore ſanctiſſimus eſt notatus. Hic

Angelrannus Abbas Catalogum Abbatum conſcripſit.

Guitmarus quartus Abbas.

in Neuſtriæ ſolo humatus quieſcit, & in ſuo nomine dicata Eccleſia exiſtit, qui quantæ ſanctitatis & juſtitiæ fuerit, nos quidem non occurrimus dicere, ſed his qui eius corpori ſancto deſeruiunt Canonicis prædicandum committimus. Hunc itaque in ordine noſtræ deſcriptionis quartum Abbatem ponimus.

V. Abbas Aldricus.

Poſt iſtos Reuerendos Abbates quinto loco dicitur Centulæ congregationem rexiſſe ALDRICVS, de cuius geſtis apud nos nulla indicia viſuntur: eum, & ipſum eius nomen ignoraſſemus, niſi hoc venerandi Abbatis induſtria Angelranni reuelaſſet.

VI. Symphorianus.

Aldrico quoque de medio facto Centulo Monaſterio præfuit SYMPHORIANVS, vir bonus, caſtus, Deum timens, ſegregans ſe à peccatoribus, & excelſior cœlo mentis puritate effectus.

Horum itaque tempore Abbatum tam magna & tam frequentia apud tumulum ſacratiſſimi corporis B. Richarij diuinitùs patrabantur magnalia, vt etiam rerum immenſitas atque magnitudo illius temporis ſcriptoribus omninò abſtulerit ſcriptitandi voluntatem, dum ea quæ quotidie cernebant ſuperfluum æſtimarent; vel tarditate ingenij, ſeu rerum inopia vetarentur deſcribere, quæ nec memoria aboleri vnquam poſſe putabant. Non ſolùm autem in hoc, vbi corpore Sanctus quieſcebat, ſed etiam in Foreſti loco, vbi aliquandiu moratus fuerat, ingentia miracula ſæpiſſimè oſtendebantur. Sciat verò legens hanc Foreſtenſem Cellulam à die Sanctiſſimi obitus B. Richarij fuiſſe decenter à Fratribus excultam, & qualem hic habuit locus, talem & ipſam Cellam obtinuiſſe Abbatem, vt pote qui ab initio habuerant vnum eundémque ſacratiſſimum Fundatorem.

Poſtquam ergo B. Patris Richarij, qui noſtræ fidei & religionis fundamentum extitit, ex aliqua parte vitam digeſſimus, quam & huic quoque operi ſtabilimentum & decorem poſuimus, habeant ſibi noſtra Gymnaſia hanc portionem pro libello, vt à locutione diu habita, noſter interim ſpiritus conticeſcens ex modica quiete validior ad dicendum reddatur. Nunc autem Deo Patri & Filio pro præſtitis gratias exhibentes, & in dicendis ſancti Spiritus

Digitized by Google

gratiam expetentes, textulum finiamus: orantes vt in verbo & actu ſanctæ Trinitatis virtute dirigamur, cuius nos confeſſio glorioſos faciat in ſæcula ſæculorum, Amen.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

De Genealogia Francorum Principum.

SVPERIORI libello innotuit quanto & quali Fundatore hoc Monaſterium Centulenſe originem vel initium ſanctitatis acceperit, & qualiter ipſe primus Paſtor noſter vixerit in mundo, vel qualiter inſertus ſit cœlo: Sícque ſeriatim ad ſextum vſque noſtri loci Abbatem noſter ſermo perductus eſt. Tandem igitur ſeptimum deſignemus, cui jure ſeptenarius numerus compenſatur ob gratiam Spiritus ſancti, cui is quem dicere habemus, habitatio extitit gratioſa. ANGILBERTVS hic eſt Deo & hominibus carus, genere ſplendidus, virtute præcipuus, Regum & Procerum alumnus, & nunc multò latiùs pro Angelorum ſocietate beatus. Sed quia nobilitatem noſtri loci ex aliquanto perſtringere propoſuimus, quem nobilitatum jam ex primi Fundatoris ſanctitate ſignauimus, dignum eſt eius viri nobilitatem à nobis pro poſſe explicari, cuius opere & induſtriâ idem locus noſter magnificè meruit ampliari.

VII. Abbas Angilbertus, *Legeſis Syntagma P. Petanii de Nithardo, &c. tom. 2. hiſt. Franc. Duchesny. p. 331.*

Anno igitur Incarnationis Dominicæ DCCLIV. Cùm PIPINVS cum filijs KAROLO & KAROLOMANNO Francorum orbi imperaret, omnium bonorum laude ſemper attollendus Angilbertus indole ſuæ nobilitatis jam dictos Reges ſic in ſui amorem conuerterat, vt miro modo viſceraliter illum diligerent, & verſo modo Reges quibus ab alijs placeri ſtudetur, huic præ affectu dilectionis placere 754.

Digitized by Google

ſtuderent. Inde autem hunc arbitramur honeſtari libellum, ſi & horum quoque Regum Genealogiam breuiter annotemus. Quartus Rex Francorum CLOTARIVS, illius quem ſanctus Remigius baptizauit Hludoguici filius, genuit filiam nomine BLITHILDEM, quam ANSBERTVS vir ſenatoriæ dignitatis meruit vxorem, ex qua genuit ARNOLDVM, FERIOLVM ac MODERICVM fratres. ARNOLDVS generauit ARNVLFVM, primò quidem ſub Clotario Dagoberti patre palatij Præfectum, poſteà autem Mettenſis vrbis Epiſcopum. ARNVLFVS genuit FLODVLFVM, ANSEGISVM, & GVALCHISVM B. Guandregiſili genitorem. ANSEGISVS poſt patrem Major & Præfectus genuit PIPINVM Seniorem & Ducem, qui & ipſe genuit KARLVM itidem Seniorem & Ducem. Anſegiſo igitur, filióque eius Pipino humanam obeuntibus vitam, KARLVS totius gentis Francorum magiſtratum, quanquam poſt multa bella & certamina, de manu RAINFREDI tyranni abſtulit, ſuæque ditioni ſubegit. Denique rebus bellicis operoſiſſimè inſiſtens, tyrannos per totam Franciam ſibi dominatum vendicantes oppreſſit, ob eámque rem plurima juri Eccleſiaſtico detrahens prædia fiſco ſociauit, ac deinde militibus proprijs diſpertiuit. Prætereà Sarracenos Galliam occupare tentantes duobus per magnis prælijs, vno in Aquitania apud Pictauum, altero verò apud Narbonam juxta Byrram flumen ita deuicit, vt in Hiſpanias redire compulerit. Itaque cùm aduerſantibus nullatenus cedere ſciret, nullíque parcere, durum à poſteris Tudites agnomen adeptus eſt. Tudites enim mallei dicuntur fabrorum, quorum ictibus cuncta atteritur durities. Pepigit hic fœdus cum LEVTBRANDO Rege Langobardorum, eíque filium ſuum PIPINVM miſit, vt more fidelium Chriſtianorum eius capillum primus attonderet, ac pater illi ſpiritualis exiſteret. Quod ille gratantiſſimè complens, multis ditatum muneribus genitori natum remiſit. Rebus itaque humanis eo poſt diutinam adminiſtrationem exempto, duo filij eius PIPINVS & KARLOMANNVS regni ſummam concordi ſocietate diuiſam aliquot annis ſub CHILDRICO, nomine tenus Rege, gubernauerunt. Nam in illo tempore deci-

IV. Rex Francorum Clotarius.

Eius poſteri.

dente Regali gloria, per Præfectos palatij Domus Regia ordinabatur : neque aliud Regi relinquebatur, quàm vt Regio ſolùm nomine contentus ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret ; Legatos vndecúmque venientes audiret, eíſque abeuntibus reſponſa quæ erat edoctus, vel potiùs juſſus, ex ſua velut poteſtate redderet, ac regni adminiſtrationem, & omnia, quæ vel domi vel foris erant agenda ac diſponenda, Præfectus aulæ procurabat.

CAPVT II.

Vt KARLOMANNVS, *conceſſa fratri portione Ducatus, Monachus factus ſit.*

De Domni Angilberti nobilitate c. 3. De Bertha filia Regis ei conjugio copulata cap. 5. Quòd ſeculum reliquerit, & Monachus effectus ſit, cap. 6.

KARLOMANNVS itaque poſt aliquantum temporis ſpatium excurſum, regni partem, quam ad regendũ ſuſceperat, fratri Pipino relinquens, amore ſuccenſus ſpeculatiuę vitæ Romam ſeſe contulit, atque in Monaſterio S. Silueſtri, quod erat in monte Soractim, aliquandiu conuerſatus eſt ſat religiosè ; ſed cùm Francorum populi, qui obtentu B. Petri Apoſtoli Romam petebant, illo diuerterent, eúmque frequentiùs inuiſerent, videns hoc ſuo propoſito officere, receſſit inde atque poſtea Caſſinenſe Cœnobium, quod tunc à quodam religioſiſſimo viro nomine Petronace reſtaurabatur, inhabitauit. Igitur PIPINVS regni Francorum ſummam conſecutus, juſſu STEPHANI Romani Pontificis, qui tunc temporis Pariſius morabatur, ob nequitiam Langobardorum pulſus Italia, HILDRICVM inertiſſimum Regem depoſitum ac detonſum priuatè viuere compulit. Genuerat autẽ & ipſe ex vxore BERTRADA duos filios, KARLOMANNVM & KAROLVM. Prædictus autem Papa cùm diutiùs Pariſius moraretur, contigit eum grauiſſimè infirmari, ſed apparentibus ſibi ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, ſanctóque Dionyſio, quòd & ſanandus, ac propriam ſedem eſſet cum pace reuerſurus, audiuit : quíque ſoſpitate recepta, cùm in ipſa Dominicæ Natiuitatis ſolemnitate apud Beatum Martyrem Dionyſium diuina celebraret officia, inter ipſa Miſſarum ſacro-ſancta myſteria

Capita iſta deliderantur.

Pipinus Rex à Stephano Papa initiatus.

Digitized by Google

vnxit Pipinum cum vxore Bertrada, & duobus filijs, in Reges Francorum.

Pipinus denique annis duodecim ſuperſtes duobus filijs regni ſucceſſionem reliquit : è quibus Karolus moriente germano Monarchiam ſolus obtinuit. Cui clariſſimus vir ANGILBERTVS nobilitatis & ſapientiæ merito extitit cariſſimus, adeò vt præ omnibus ei familiariſſimus haberetur; quæ amicitia in tantùm conualuit, vt Regis filiam nomine BERTAM in conjugium acciperet, de qua duos filios HARNIDVM & NITHARDVM genuit. Cui etiam ad augmentum Palatini honoris totius maritimæ terræ Ducatus commiſſus eſt.

Angilbertus in conjugium Bertam ducit.

Erat eo tempore hoc Centulenſe Cœnobium, à ſancto dudum Richario fundatum, à Monachis ſatis honeſtè Deo famulantibus hactenus inhabitatum, qui morum quidem diuitijs plenam, ſed rebus ſæculi non valde locupletem vitam ducebant: non quòd eis prædiorum ac redituum ſeu villarum à ſancto Richario collata deeſſet copia, ſed quòd omnes redhibitionum impenſas in pauperum magis quàm in ſuas vtilitates conferebant. ANGILBERTVS itaque cùm accepto Ducatu Pontiuum inuiſeret, à Prouincialibus audiuit ſigna & prodigia virtutum, quæ omnipotens Chriſtus ad ſepulcrum ſui ſanctiſſimi Confeſſoris Richarij jugiter operabatur: quæ opera in corde eius magnum huic loco amorem conciliauerunt; vnde & exhibitio operis quæ eſt probatio dilectionis, extemplò proſecuta eſt: nam impetrata ab Imperatore Karolo complendi voti licentia, ſimúlque intimato cordis ſui deſiderio, quo S. Richarij Eccleſiam reficere ambiebat, accepit ab eodem Rege cum omni fauorabilitate benignam reſponſionem, ſolamen & adjutorium ſuum illi nunquam defuturum ſpondentem. Aperiuntur illi jubente Rege theſauri ingentes, & quidquid vel quantum vellet inde tollere rogatur, quo dilectiſſimi viri intentio diligentiſſimè compleretur. Ita poſt libata dulcis amicitiæ oſcula, venerabilis Angilbertus Pontiuum ac Centulam regreditur, & in Monaſterio ſanctiſſimi Patris Richarij Monachi indumentum, & verè humilitatem ſuſcepit. Itaque poſt non multum temporis Abbas loci difungitur,

Monachum induit in Centulenſi Cœnobio.

Fit Abbas.

gitur, & tam Fratrum precatu, quàm Regis juſſu Angilbertus continentia & humilitate reuera Monachus ad hoc officium prouehitur. Quod poſtquam factum eſt, artifices doctiſſimos ligni & lapidis, vitri & marmoris, Angilberto dirigit Regia poteſtas. Exinde quia tam pro amore ſancti Richarij, quàm pro dilecto ſuo Angilberto, Centulenſe Monaſterium omni honorificentia attollere cupiebat, direxit vehicula fortia & multa in vrbem Romam, vt marmor & columnæ ad ornatum jam dictæ Eccleſiæ deferrentur: nec hoc contentus, dirigit Legatos per regna & ciuitates, jubens ſubditis, rogans à non ſubditis, vt ſibi mittant Reliquias de Sanctis quos diuerſa loca habebant: quòd ſi quis noſſe vult quæ & quales Sanctorum Reliquiæ huc allatæ ſunt, non noſter ſermo, ſed ipſius Domni Angilberti ſcriptura demonſtrabit, quæ paulò pòſt inſeretur.

CAPVT VII.

De reædificatione Centuli Monaſterij.

ANGILBERTVS igitur Dei fretus auxilio, & Domni Karoli aſſenſu & largitate omnimoda, primò deijciens illud antiquum à ſancto Richario locatum templum, magna & inſigni prudentia noui fundamenta conjecit: ob hoc autem vetuſtum depoſuit, quia S. Richarij venerabile corpus ibidem tumulo tenebatur, & voti eius erat ſuper ſancta eius membra componere elegantem Baſilicam. Piiſſimus autem Rex Karolus ex ſuis, vt dictum eſt, theſauris tantam & tam immenſam eidem delegauit pecuniam, vt ad omne opus neceſſarium, mercede abundante antè deficeret quis operaretur, & quod operaretur, quàm vnde operarius remuneraretur. Cùm ergo marmoreæ columnæ in butico erigerentur vna inter erigentium manus lapſa in duo fruſta confracta eſt: extemplò tantus omnes qui aderant dolor excepit, vt ea die nihil operis percomplerent. Mane facto dum redirent artifices, excogitaturi quonam modo ipſi fracturæ mederentur, viderunt columnam ſtantem ſuper baſim ſuam nihil læſuræ habentem. Angelus quippe

Domini veniens, & ſuo digito ſciſſuram perpalpans, integerrimam dicto citiùs reſtituit. Monſtratur verò ipſum Angelicæ manus veſtigium, ita vt intuentibus videatur manere diuiſa, cùm ipſum locum teneat fortiorem. Multo igitur apparatu, ſummáque diligentia, ac eximio decore inchoatum eſt conſtrui Monaſterium, atque in honore Saluatoris, ſanctíque Richarij, fulgentiſſima Eccleſia, omnibúſque illius temporis Eccleſijs præſtantiſſima, perfecta eſt. Hæc ab Oriente habet ingentem turrem poſt cancellum, & interpoſito veſtibulo alia turris verſus Occidentem habetur priori æqualis: illa autem quæ ad Orientem vergit prope locum ſita eſt quò ſanctus Richarius ſepulturam habuit. Sepultura verò ipſa ita poſita eſt, vt à parte pedum ipſius Sancti altare ſit in loco editiori, & à parte capitis ſancti Petri Apoſtoli ara perſiſtat. Turris ergo Orientalis cum cancello & butico ſancto Richario dicata eſt; & turris Occidentalis in honore ſancti Saluatoris ſpecialiter eſt dicata: vbi etiam in gyro deintus hos verſiculos ſcribere fecit memorabilis Angilbertus.

OMNIPOTENS *Dominus qui celſa vel ima gubernas,*
Majeſtate potens ſemper vbique Deus.
Reſpice de ſolio Sanctorum gloria ſummo,
Auxiliúmque tuis Rex bone da famulis.
Principibus pacem, ſubjectis adde ſalutem;
Hoſtis pelle minas, & fera bella preme.
Hæc quoque quæ ſtatui fulgentia culmina templi
ANGILBERTVS *ego, ſint tibi grata Deo.*
Auguſto & KAROLO, *cuius virtute peregi,*
Concede imperij gaudia magna tui.
Quiſquis & hic ſummas precibus pulſauerit aures
Effectum tribuas ſemper habere Deus.

Videtur vſque hodie in pauimento chori tam pulchra & tam diſtincta marmoris operatio, vt quicunque illud inſpicit incomparabile opus aſſeueret. Sanè coram altari S. Richarij fecit pingere in ipſo pauimento quoſdam verſiculos, quos nos hîc quoque neceſſariò mittere curamus.

Digitized by Google

Hoc pauimentum humilis Abbas componere feci
Angilbertus ego, ductus amore Dei.
Vt mihi poſt obitum ſanctam donare quietem
Dignetur Chriſtus, vita, ſalúſque mea.

Enimuerò quia antiqua illa ſancti Richarij Eccleſia in honore ſanctæ MARIÆ fuerat conſecrata, ne videretur venerabilis vir Dei matrem exhonoraſſe, alteram ei conſtruxit, quæ citra fluuiolum Scarduonem hactenus conſiſtit. Sancto quoque Benedicto Abbati vnam exſtruxit, quam ſuper ripam jamdicti fluuioli collocauit. Si igitur ſitus loci diſcernatur, animaduertitur major Eccleſia, quæ ſancti Richarij eſt, Aquilonem tenere; ſecunda inferior, quæ in honore noſtræ Dominæ S. MARIÆ citra fluuium Scarduonem ſita eſt, Auſtrum; tertia, quæ minima eſt, Orientem. Clauſtrum verò Monachorum triangulum factum eſt, videlicet à S. Richario vſque ad S. MARIAM tectus vnus: à ſancta MARIA vſque ad ſanctum Benedictum tectus vnus. Itemque à ſancto Benedicto vſque ad ſanctum Richarium tectus vnus. Sícque fit, vt dum hinc inde parietes ſibi inuicem concurrunt, medium ſpatium ſub diuo triangulum habeatur. Monaſterium igitur ſecundum decretum Regulæ ſanctiſſimi Benedicti, ita diſpoſitum fuit, vt omnis ars, omnéque opus neceſſarium intra loci ambitum exerceretur. Aqua autem torrentis Scarduonis ipſum Clauſtrum præterfluit, quæ & ibi farinarium Fratrum in vertiginem mittit. Sed quia nos de ſitu loci hæc breuiter diximus, Monaſterij dedicationem jam modò differamus: quæ tamen non noſtris verbis, ſed Domni Angilberti ſcripto hodiéque permanenti demonſtranda eſt: cujus tale eſt exemplar.

CAPVT VIII.

Scriptura Domni ANGILBERTI *de perfectione & dedicatione Centulenſis Eccleſiæ.*

EGO igitur præſcriptus ANGILBERTVS conſiderans, ac diligentiſſima inueſtigatione, & mentis affectu per-

tractans, qualiter vnà cum conſenſu Fratrum meorum & omnium fidelium ſanctæ Eccleſiæ, cæterorúmque bonorum hominum, hunc ſanctum locum mihi licet indigno ab omnipotente Deo, & Excellentiſſimo domino meo Karolo Sereniſſimo Auguſto, ad gubernandum commiſſum, auxiliante Domino in melius reædificare voluiſſem; vt Monachi, & cæteri famuli ibidem conſiſtentes, vel etiam ſucceſſores noſtri qui per diuerſa temporum ſpatia ſucceſſuri erunt, Deo militare, pro me, & pro prædicto domino meo, ejuſdem Dei clementiam attentiùs valeant implorare, quatenus illis facta noſtra ad perpetuam conſolationem, nobiſque, qui pro Dei amore laborauimus, illis orantibus ad mercedem proficiant ſempiternam: ſecundùm quod ratio permiſit, & poſſibilitas noſtra adminiſtrauit, non tamen quantum voluimus, ſed quantum occurrimus, ſicut in ſequentibus declaratur, laborare curauimus.

Quia igitur omnis plebs fidelium ſanctiſſimam atque inſeparabilem Trinitatem confiteri, venerari, & mente colere firmitérque credere debet, ſecundùm hujus fidei rationem in omnipotentis Dei nomine tres Eccleſias principales, cum membris ad ſe pertinentibus, in hoc ſancto loco, Domino cooperante, & prædicto domino Auguſto juuante, fundare ſtuduimus: quarum major & prima eſt in honore Sancti Saluatoris & S. Richarij; alia in honore Sanctæ Dei Genitricis ſempérque Virginis MARIÆ & ſanctorum Apoſtolorum; tertia verò in Clauſtro Fratrum in honore S. Benedicti Abbatis & reliquorum ſanctorum regularium Abbatũ. Quæ etiam mirifico ordine dedicatæ ſunt à venerabilibus duodecim SS. Epiſcopis, quorum nomina ob veneratione̅ & memoriam illorũ huic Opuſculo annectenda eſſe judicauimus. Hi ſunt, MEGIMHARDVS Rodomenſis, * Eccleſiæ ſedis venerabilis Archiepiſcopus, GEORGIVS, ABSALON, GERFRIDVS, PLEON, HILDIGVARDVS, THEODOINVS, YDELMARVS, BENEDICTVS, & KELLANVS, Præclariſſimi Epiſcopi: IOANNES verò & PASSIVVS ſanctæ Dei Romanæ Eccleſiæ Legati, Præſules nobiliſſimi. Nam altare S. Saluatoris, in quo poſitæ ſunt reliquiæ eius & SS. Innocentium, qui pro eo paſſi ſunt; & altare S. Richarij, in

al. * Rothomagenſis.

Digitized by Google

quo ſunt reliquiæ ſanctæ genitricis MARIÆ, & ejuſdem S. Richarij: Altare S. Petri, in quo reliquiæ ejus, & S. Pauli, Sanctíque Clementis: Altare S. Ioannis Baptiſtæ, in quo reliquiæ ejus, & Zachariæ patris ipſius: Altare S. Stephani, in quo reliquiæ ejus, & Simeonis qui Dominum in vlnas ſuſcepit. Altare S. Quintini, in quo reliquiæ ejus, & SS. Criſpini & Criſpiniani: Altare S. Crucis, in quo reliquiæ ligni ipſius: Altare S. Dionyſij, in quo reliquiæ ejus, Ruſtici, & Eleutherij: Altare S. Mauricij, in quo reliquiæ ejus, Exſuperij & Candidi: Altare ſancti Laurentij, in quo reliquiæ eius, Sebaſtiani & Valeriani: & Altare ſancti Martini, in quo reliquiæ ejus, & Remedij, Vedaſti, Medardi, Gualarici, Lupi, Seruatij, Germani, atque Eligij. In Eccleſia vero S. Benedicti, altare ipſius, in quo ſunt reliquiæ ejus, & Antonij & Columbani. Altare S. Hieronymi, in quo reliquiæ eius; Ephrem, & Equitij: & altare S. Gregorij, in quo reliquiæ ejus, Euſebij, & Iſidori; ab eiſdem jamdictis electiſſimis viris condignè, ac diligentiſſimè, cum ingenti gaudio ſub die Kalend. Ianuarij fuerunt Domino conſecrata. In Eccleſia etenim Beatæ Mariæ Virginis altare ipſius, in quo reconditę ſunt reliquiæ eius, & ſanctiſſimę Felicitatis, Perpetuæ, Agathæ, Agnetis, Luciæ, Cæciliæ, Anaſtaſiæ, Geretrudis & Petronillæ: Altare S. Pauli, in quo reliquiæ eius, Barnabę, & Timothei. Altare S. Thomæ, in quo reliquiæ eius, Ambroſij & Sulpicij: Altare S. Philippi, in quo reliquię ejus, Silueſtri & Leonis: Altare S. Andreæ, in quo reliquię ejus, Georgij, & Alexandri: Altare ſancti Iacobi, in quo reliquiæ ejus, Xyſti, & Apollinaris: Altare Beati Ioannis Euangeliſtæ, in quo reliquiæ eius, Lini & Cleti: Altare ſancti Bartholomæi, in quo reliquiæ ejus, Ignatij, & Polycarpi: Altare S. Simonis, in quo reliquiæ ejus, Coſmæ & Damiani: Altare ſancti Matthæi, in quo reliquiæ ejus, Marci, & Lucæ: Altare S. Thaddæi, in quo reliquiæ ejus, Nazarij & Vitalis: Altare ſancti Iacobi fratris Domini, in quo reliquiæ ejus, Geruaſij & Protaſij: Altare ſancti Matthiæ, in quo reliquiæ ejus, Hilarij & Auguſtini: VI. Idus Septembris in ejus ſacratiſſima Natiuitate à venerabilibus Epiſcopis, GEORGIO videlicet

ABSALONE, PLEONE, & GERFRIDO honore digniſſimo ſunt dedicata. Sed & altare Beati Archangeli Gabriëlis, quod eſt ſitum in porta meridiana, VIII. Kal. Aprilis in Annunciatione S. MARIÆ: Michaëlis verò, quod eſt in porta Occidentali, III. Kal. Octobris ab HILDEGVALDO venerabili Epiſcopo: Raphaëlis autem, quod eſt in porta Septentrionali, II. Non. Septembris, in honore ipſorum Archangelorum, omnium virtutum cœlorum, à IESSE religioſo Epiſcopo optimè ſunt conſecrata.

Reliqua verò mœnia ipſius Monaſterij eodem Domino cooperante quæ hactenus conſpiciuntur conſtructa, ſicuti cernuntur, omnia à fundamentis ſtuduimus reædificare, & vt habitatores illius in eo Miſſarum ſolemnia frequentare, & omnipotenti Domino delectentur deſeruire, ipſo adjuuante, muro curauimus firmiter ambire.

CAPVT IX.

De Reliquijs quas de diuerſis Prouincijs in hunc ſanctum locum congregauit, & de Capſis quibus habentur reconditæ.

DVM enim præſcriptas Eccleſias prudenti conſilio in honore Domini noſtri IESV CHRISTI, ſuæque glorioſæ Genitricis, & Omnium Sanctorum eius, ſicut ſuprà ſcriptum eſt, fundatas perſpiceremus, magno deſiderio, nimióque ardoris amore ſumus accenſi, vt ſecundum poſſibilitatem noſtram, eodem Domino miſerante, partem Reliquiarum illorum Sanctorum ad ornandas eaſdem ſanctas Dei Eccleſias adipiſci mereremur: quapropter totis viribus totáque mentis intentione laborare contendimus, qualiter per auxilium omnipotentis Dei, & adjutorium glorioſi Domini mei magni Imperatoris, de diuerſis partibus totius Chriſtianitatis, quantas, & quales, vel vnde allatas recondere in hoc ſancto loco valuiſſemus, prout in conſequentibus patet. Id eſt in primis de Sancta Romana Eccleſia, largiente bonæ memoriæ Adriano Summo Pontifice, & poſt eum venerabili Leone Papa Romano. De Conſtantinopoli, vel Hieroſolymis, per

Digitized by Google

Legatos illuc à Domino meo directos, ad nos vſque delatas. Deinde de Italia, Germania, Burgundia, atque Gallia à Sanctiſſimis Patribus, Patriarchis videlicet, Archiepiſcopis, necnon Epiſcopis, atque Abbatibus, nobis directas, ſeu etiam de ſacro Palatio quæ per tempora ab anterioribus Regibus, & poſteà à jam dicto Domino noſtro maximæ ſunt congregatæ per eius eleemoſynam de omnibus partem habere, atque in hoc Sancto loco condignè recondere meruimus. Sed de his, de quibus certi fuimus, & à prædictis Sanctiſſimis viris breues recepimus, omnium illarum nomina in hoc opuſculo inſerere non neglexímus, quatenus à nobis, & à cunctis ſucceſſoribus noſtris, qui per tempora in hunc Sanctum locum ſucceſſuri ſunt, & hoc noſſe voluerint, magis nomen Domini noſtri IESV CHRISTI, per quem nobis hæc licet indignis, & cetera bona largita ſunt, per omnia & in omnibus ſemper glorificaretur, qui eſt benedictus in ſecula. De ceteris verò Reliquijs, de quibus incerta ſunt nobis nomina, ab eiſdem ſanctis Patribus receptis, minimè ſcripſimus: cæterarum autem, ſicut decreuimus nomina, iſto ordine notari curauimus. Primùm Reliquias Domini & Saluatoris noſtri, & eius glorioſæ Genitricis, & Sanctorum Apoſtolorum, & ceterorum Martyrum, poſtea Confeſſorum, necnon autem Sanctarũ Virginum atque continentium ſubſecuti ſumus.

RELIQVIÆ DOMINI SALVATORIS.

De ligno Domini.
De veſte eius.
De ſandalijs eius.
De præſepe eius.
De ſpongia eius.
De Iordane vbi baptizatus eſt.
De petra vbi ſedit quando v. millia hominum pauit.
De pane vnde diſtribuit Diſcipulis ſuis.
De Templo Domini.
De candela quæ in Natiuitate eius accenſa eſt.
De monte Oliueti vbi orauit.

De menſa eius.
De monte vbi transfiguratus eſt.
De columna vbi flagellatus eſt.
De ligaminibus vnde ligatus eſt.
De petra vnde Crucem aſcendit.
De clauis vnde Crucifixus eſt.
De loco Caluariæ.
De buccella vbi fel & acetum mixtum fuit.
De petra ſuper quam ſanguis de latere eius ſtillauit.
De Sepulcro Domini.
De lapide reuoluto ab oſtio monumenti, necnon & de ſepulcro Innocentium, qui pro eo paſſi ſunt.
De monte Horeb.
De lignis trium tabernaculorum.
DE LACTE SANCTÆ MARIÆ.
De capillis eius. De veſte eius.
De pallio eius.
DE BARBA SANCTI PETRI.
De ſandalijs eius.
De caſula eius, & de menſa eius.
De menſa ſancti Pauli.
De orario eius.
De cippo in quo miſſus fuit.
De cruce ſancti Andreæ.
De manna ſancti Ioannis Euangeliſtæ.
De Reliquijs Apoſtolorum Iacobi, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Thaddæi, Matthiæ, Barnabæ, & Timothei.
De oſſibus Zachariæ Patris ſancti Ioannis Baptiſtæ.
Reliquiæ B. Simeonis qui Dominum in vlnas ſuſcepit.
De capillis Beati Ioannis Baptiſtæ.
De ſanguine eius.
De veſte eius.
De coſtis ſancti Stephani.
De lapide vnde lapidatus eſt.
De craticula ſancti Laurentij.
Digitus ſancti Apollinaris.
De ſpongia ſancti Symphoriani, & de veſte matris eius.

RELIQVIÆ

Digitized by

RELIQVIÆ MARTYRVM.

S. Pancratij.
Vigilij.
Siſinnij.
Martyrij.
Pamphili.
SS. Geminorum.
Fabiani.
Valerij.
Pergentini.
Coſmæ,
Damiani.
Anaſtaſij.
Georgij.
Alexandri.
Caſſiani.
Magni.
Vitalis.
Nazarij.
Naboris,
Celſi.
Geruaſij,
Protaſij.
Innocentis.
Laurentij.
Tiburtij.
Valeriani.
Hippolyti.
Chriſtophori.
Felicis.
Mauricij.
Candidi.
Exuperij.
Victoris.
Innocentij.
Benigni,
Dionyſij,
Ruſtici,
Eleutherij.
Cornelij.
Leodegarij.
Sixti.
Firmini.
Saturnini.
Quintini.
Valentini.
Marcelli.
Luciani.
Criſpini,
Criſpiniani.
Et de oſſibus XL. Martyrum: & de ſanguine aliorum multorum.

RELIQVIÆ CONFESSORVM.

S. Hilarij.
Martini.
Germani.
Medardi.
Audoëni.
Eligij.
Amandi.
Lupi.
Auentini.
Sulpicij.
Remedij.
Maurilionis.
Albini.
Seruatij.
Hieronymi.
Equitij.
Effrem.
Gregorij.
Auguſtini.
Leonis.
Silueſtri.
Felicis.
Iſidori.
Donati.
Benedicti.
Columbani.
Iſaac.
Vincentij.
Antonij.
Paulini.
Fortunati.
Simpliciani.
Gualarici.
Vedaſti.
Reliquiæ ex corporibus Sanctorum quæ condidit Paulinus Papa.
Reliquiæ ſancti Megimboldi.
Praſci.

Eugenij.	Simpliciani.	Sperati.
Fronti.	Faxidi.	Roberti.
Fidelis.	Aſtogij.	Galemeri.
Aſterij.	Giſlarij.	Oſqualdi.

Reliquiæ Virginvm.

Felicitatis.	Cæciliæ.	Aldegundis.
Perpetuæ.	Petronillæ.	Columbæ.
Agathæ.	Euphemiæ.	Feliculæ.
Eugeniæ.	Fauſtæ.	atque
Theclæ.	Eufraſiæ.	Scholaſticæ.

Huc vſque de certis Sanctorum Reliquijs, de quibus à SS. Patribus, qui eas nobis largiti ſunt, nomina certa recipimus, ſeparatis Martyres vel Confeſſores deſcripſimus. Deinceps autem diſtinctè aliorum Sanctorum nomina ſiue Martyrum, vel Confeſſorum, quia non inuenimus minimè ſcripſimus.

His ita, ſicut paulò ſuperiùs ſcriptum eſt, honorificè, decenterque reconditis, in nomine ſanctæ Trinitatis cum multa diligentia parauimus capſam majorem auro & gemmis ornatam, in qua poſuimus partem ſuprà ſcriptarum Reliquiarum, quam cum ipſis ob venerationem illorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in ea recondi videntur, ſubtus cryptam ſancti Saluatoris ponere ſtuduimus: nam cæterorum Sanctorum Reliquias, quæ ſuprà leguntur adſcriptæ, per alias XIII. capſas minores auro argentóque, vel gemmis pretioſis honeſtiſſimè paratas, quas à ſæpe dictis venerabilibus Patribus cum eiſdem Reliquijs donante Domino adipiſci meruimus, diuidere, atque ſuper trabem, quam in arcu coram altare Beati Richarij ſtatuimus, ponere curauimus: qualiter in omnibus, ſicut dignum eſt, laus Dei, & veneratio omnium Sanctorum eius, in hoc Sancto loco ſemper adoretur, colatur, atque veneretur.

Digitized by

CAPVT X.

De Altarijs, & Altariorum Sanctique ornatu.*

xl. * *De ornatu eiuſdem Eccleſiæ, & de multiplicitate theſauri, ſeu ſacrarum veſtium cultu.*

CVMQVE præſcriptorum Sanctorum veneratioñi altaria ordinata, atque de eorũ Reliquijs venerabiliter, vt ſuprà legitur, à noſtra paruitate eſſent ornata, diligenti cura tractare cœpimus, qualiter ea ad laudem & gloriam Domini noſtri IESV CHRISTI, ob veneratioñem Sanctorum omnium, in quorum honore ſunt conſecrata, de donis Dei, & largitate magni Domini mei, ejúſque nobiliſſimæ prolis, vel reliquorum bonorum hominum liberorum, mihi ab illis collatis, opere fabrili in auro, argento, & gemmis ornare etiam, & vbi loca conuenientia exiſterent de ſuper ciboria ponere potuiſſemus, ſicut prout eodem Domino cooperante valuimus, facere ſtuduimus. Id ſunt in Eccleſia ſancti Saluatoris, ſanctíque Richarij altaria fabricata vndecim, ciboria [a] duo, lectoria [b] auro, argento & marmoribus parata duo. In Eccleſia ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ, & Sanctorum Apoſtolorum altaria fabricata XIII. Ciborium vnum, & lectorium optimè paratum vnum. In Eccleſia ſancti Benedicti altaria parata tria. In Eccleſijs verò Sanctorum Angelorum Gabriëlis, Michaëlis, Raphaëlis, altaria tria, quę ſimul fiunt altaria XXX. & ciboria III. & lectoria III. Nam de allijs vaſis & ſuppellectilibus habentur in eiſdem Eccleſijs auro, argentóque paratæ XVII. coronæ aureæ II. lampades argenteę VI. cuprinæ auro argentóque decoratæ XII. poma aurea III. calices aurei cum patenis II. Calix vnus aureus magnus cum imaginibus ſimul & patena; alij calices argentei cum ſuis patenis XII. offertoria argentea X. ad caput S. Richarij tabula auro & argento parata vna. Oſtia majora auro & argento parata II. alia minora II. alia oſtiola ſimiliter parata duo, balteum aureum I atramentarium optimum argenteum auro paratum I. cultellus auro & margaritis paratus I. codex eburneus auro, argento, & margaritis optimè paratus I. punga [c] auro parata I. incenſaria argentea auro parata IV. hanappi argentei ſuperaurati XIII. concha ar-

[a] Ciborium pro pixide, ſiue ſcrimiolo, in quo ſeruari ſolet in Eccleſia Corpus Chriſti ſuper altare.

[b] Lectorium, lectrinum, & legium, j, pluteus Eccleſiæ.

[c] Pungum, ſeu pungium j, ſacculus.

gentea major cum imaginibus argenteis vna : bocularis [d] argenteus I. vrcei argentei cum aquamanilibus ſuis II. canna argentea I. eburnea vna. Situlæ argenteæ II. clauis aurea I. ſcilla argentea I. coronæ cum luminibus XIII. columnæ ante altare S. Richarij auro & argento paratæ VI. trabes minores cum arcubus ſuis argento paratæ III. cloccaria [e] auro parata III. cloccæ [f] optimæ XV. cum earum circulis XV. Skillæ [g] III. imagines æneæ VI. eburnea I. candelabra auro parata II. oſtia auro parata VII. Inſuper donauimus ibi pallia optima LXXVIII. cappas CC. Dalmaticas XXIV. ſericas. Albas Romanas cum amictis ſuis auro paratas VI. Albas lineas CCLX caſulas de pallio XXX. de purpura X. de ſtorace VI. de piſce I. de platta XV. de cendato V. Stolas auro paratas V. fanones de pallio auro paratos X. caſſinos de pallio V. ſaga de pallio V.

d f Bocala. Gal. *Bocar*, vas inſtar lagenæ.

e id eſt, *cāpanilia*, Gal. *clocher*.
f Campanæ, Gal. *cloche*.
g Schilla. *i*, ſiue ſcilla, hoc eſt, ſignum, tintinnabulum.

De libris, Euangelium auro ſcriptum cum tabulis argenteis auro & lapidibus pretioſis mirificè paratum I. aliud Euangeliũ plenarium I. de alijs libris volumina CC. Inſuper etiam plurima ornamenta in fabricaturis, & diuerſis vtilitatibus, in plumbo, vitro, marmore, ſeu cætera inſtrumenta quæ longum fuit enumerare, prolixiúſque ſcribere : quæ tamen tunc temporis appretiata ſunt à fidelibus Dei & S. Richarij, qui nobiſcum in Dei ſeruitio laborantes extiterant, hæc omnia valere potuiſſe libras XV. millia, vel eo ampliùs.

Huc vſque Sanctiſſimi viri Angilberti ſcriptura de conſtructione, & dedicatione, ſiue ornatu Eccleſiæ Centulenſis digeſta eſt, quæ ab ipſo venerabili viro vſque ad hæc noſtra tempora per CCC. annos & ampliùs valde inueterata, non ſine labore ad futurorum eruditionem à nobis huic operi inſerta eſt. Sunt certè & alia multa, quæ ad decorem diuini officij cum ſuperioribus inueniuntur ab eo honeſtè ſtatuta : ſed quia poſt tanta tempora apud nos tam pro loci immutatione, quàm pro Abbatum voluntate, non ſeruantur, ob hoc iſtic referre omnia vitamus ; è quibus tamen aliqua adhuc aſſumemus ob magnitudinem loci noſtri exprimendam. Poſtquam ergo ornatum Eccleſiæ & impenſas theſauri dixit valere potuiſſe XV. millia libras & eò amplius, ita ſubjecit dicens.

Digitized by Google

CAPVT XI.

De inſtitutione eius erga diuina Officia.

His & alijs, prout donante Domino valuimus, eleganter diſpoſitis, atque ex diuerſis præſcriptis Reliquijs ſupradictorum Sanctorum ornatis Eccleſijs, diligenti mentis affectu tractare cœpimus, qualiter Domino donante ad hoc peruenire valuiſſemus; vt ſicut in ædificijs marmoreis, & in ceteris ornamentis oculis honeſtè clareſcunt humanis, ita etiam in Dei laudibus, in doctrinis diuerſis, & canticis ſpiritualibus Chriſto omnipotenti placere valeamus. Quapropter ccc. Monachos in hoc ſancto loco regulariter victuros auxiliante Deo conſtituimus: optantes, & ordinantes, vt ſi non plus, iſtius numeri congregatio in perpetuum habeatur. Centum etiam pueros ſcholis erudiendos ſub eodem habitu & victu ſtatuimus, qui Fratribus per tres choros diuiſis in auxilium pſallendi & canendi interſint: itaut chorus ſancti Saluatoris centenos Monachos cum lv. & xxx. pueris habeat. Chorus S. Richarij centenos Monachos, tréſque & xxx. pueros jugiter habeat. Chorus pſallens ante ſanctam paſſionem centenos Monachos, xxxiii. adjunctis pueris ſimiliter habeat. Ea autem ratione ipſi chori tres in diuinis laudibus perſonabũt, vt omnes Horas Canonicas in commune ſimul omnes decantent; quibus decenter expletis, vniuſcujuſque chori pars tertia Eccleſiam exeat, & corporeis neceſſitatibus, vel alijs vtilitatibus ad tempus inſeruiat. Certo temporis ſpatio interueniente ad diuinæ laudis munia celebranda denuò redeuntes. In vno quoque etiam choro id jugiter obſeruetur, vt Sacerdotum, ac Leuitarum reliquorumque ſacrorum ordinum æqualis numerus teneatur. Cantorum nihilominus & Lectorum æquali menſura diuiſio ordinetur, qualiter chorus à choro inuicem non grauetur. Quinimmò omnes vnanimes ſacrificiũ laudis Domino omnipotenti pro ſalute glorioſi Domini mei Auguſti Karoli, próque regni eius ſtabilitate continua deuotione jugiter exhibeant. Matutinali etenim, ſeu Veſpertinali officio conſummato,

inox omnes chori ordinabiliter ſe ante ſanctam paſſionem congregent : decem tantùm pſalmiſtis vnicuique choro remanentibus, & ſic per portam ſancti Gabriëlis, ac per ſalam * Domni Abbatis ambulando per Occidentalem Clauſtri regionem cantando veniant ad S. MARIAM, vbi oratione pro temporis ratione depoſita, remeando veniant ad S. Benedictum in Orientali parte Clauſtri ſitum : inde per gradus arcuum intrent ad ſanctum Mauricium, ſícque intrantes ſancti Richarij Baſilicam reſtituantur ſuis choris.

Gal. * *Sala,* aula.

Illud etiam obſeruari, præcipua deuotione mandamus, vt nulla dies prætereat abſque ſacrarum Miſſarum decantatione ; videlicet vt ſi non plus, vel x x x. à Fratribus diuerſorum chororum per diuerſa altaria Miſſæ quotidie agantur, exceptis illis duabus de Conuentu ; quæ mane & meridie ſolemniſſimè celebrantur, in quibus quotidie memoria ſanctiſſimi Papæ Adriani, & glorioſi Domini mei Auguſti Karoli, conjugis, & prolis eius teneatur : qualiter juxta verbum Apoſtoli, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti, Saluatori Deo noſtro obſecrationum vel orationum gratias jugiter perſoluamus.

Edita in Oper. Alcuini pag. 1147. Quam pater-miſimus quòd ad hanc hiſtoriam non ſpectet.

KAROLVS Dei gratiâ Rex Francorum & Langobardorum ac Patricius Romanorum, dilectiſſimo Magiſtro, nobiſque cum amore nominando Albino Abbati in Domino IESV CHRISTO æternam, Salutem. Peruenit ad nos, &c.

* Hæc inedita.

* De hoc autem quod cartula noſtra proſecuta retulit, quod plurima hinc dici poſſent, ſed noluiſſe te extendere modum cartulæ, & maximè quia cum ſapiente paucis vtendum eſt verbis ; ita & nos verſa vice paucis pauca reſcribimus. Quod autem vſurpaſti verba Reginæ Sabæ ad Salomonem de beatitudine ſeruorum qui nobis aſſiſtunt, & audiunt verba ſapientiæ noſtræ, ſi hoc verum fore ſcitis, venite, aſſiſtite, & audite, vt pariter in Domino in pratis vernantibus varietate florum ſcripturarum jocundantes delectemur.

Digitized by

Explicit Epiſtola KAROLI *Magni ad* ALBINVM *Magiſtrum.*

HIc idem Albinus à venerabili Angilberto accerſitus Centulã, vitam S. Richarij antiqua ſimplicitate negligentiùs digeſtã venuſto ſermone compoſuit: prę̃miſſa Operis præfatione ad eundẽ glorioſum Auguſtum Karolum, in qua patenter monſtratur B. Patris Richarij magna & pluriora fuiſſe miracula, quàm ille exiguus vitę eius textus enarrabat. Antiphonas quoque & reſponſoria, vel Hymnos de eodem Sancto compoſuit, vt magni Patris feſtiuitas nihil minus congrui officij habere videretur. Vbi notandum eſt, quòd quodam in Hymno ipſum S. Richarium laudando alloquens dicit; Tu ſtruxiſti cœnobium in loco prope Argubium, & aliud in Centulo, ambo perenni merito.

EPITAPHIVM S. RICHARII.

In fronte ſepulcri.

AVREA *cæleſtem theſaurum contigit vrna*
Cultorem Domini, nomine RICHARIVM.
Stemmate præcelſo, quem Centula protulit iſta,
Quique loci Paſtor floruit egregius.

In latere dextro.

Poſthabito mundi, quo grandi fulſit, honore,
Amplas diuitias ſpreuit amore Dei.
Hic corpus proprium frangens certamine diro,
Vir pius & magnus ſemper in orbe cluit.

In culmine arcæ deſuper.

Hic vitam functis reparauit, lumina cæcis,
Leproſiſque ſalus hoc refouente redit.
Plenus Apoſtolicis virtutibus, atque loquelis,
Cæleſtes tenuit ſemper in ore dapes.

In latere ſiniſtro.

Huic Karolus Princeps condignum mente benigna,
Perficiens templum, condidit & tumulum.
Poſt ſexagenos & centum circiter annos,
Cùm Domini ſeruis integer extat adhuc.

In fronte pedum.

Ipſius vt meritis capiat cœleſtia regna,
Regnáque Francorum pace quietus agat. Amen.

Alibi.

Semper Sancte tuos, RICHARI, *protege ſeruos.*
Abſtractos terrà capiat cœleſtis vt aula.

Siue * Alcuinus. XIV. Kal. Iunij obijt ALBINVS, qui Alcoïnus *, Abbas, Leuita, & Monachus, dictator vitæ ſancti Richarij.

His quoque temporibus florebat Corbeïenſis Abbas S. ADALARDVS, qui nobilitatis, & ſanctæ Religionis laude per totam Galliam colebatur. Hujus amator & auditor præclarus emicuit RATBERTVS, qui tanto caritatis feruore erga noſtrates Monachos agebatur, vt ea ipſa quæ noſtris miſit vel ſcripſit, non amoris verba, ſed totum amor, & pura dilectio deprehendantur. Quíque cùm ipſius ſancti Adelardi digereret vitam; *Gaude*, inquit, *Corbeia, quia cùm cætera loca ſancta proprios emiſerint patronos, Atrebas Vedaſtum, & Centula ſanctiſſimum Richarium, tu quoque emittes Adelardum tuum.* In quo ſtudiosè conſiderandum quanta reuerentia extulerit magnificum Paſtorem, & Patronum noſtrum, quem cum adjectione ſuperlatiua nominauit, cùm illum inſignem Epiſcopum Vedaſtum nudo nomine deſignare contentus ſit. Fecit hoc ob aſſidua miraculorum quæ apud nos gerebantur magnalia, fecit & ob illam reuera ſanctiſſimam eius vitam, quæ non tam ſancta, quàm ſanctitatis ſpeculum vtique comprobatur. Hic ad noſtri Monaſterij Monachum GOLLANDVM ſcripſit expoſitionem ſuper Euangelium Matthæi, tanti pendens Centulenſes,

Siue, Gunlandum.

Digitized by Google

tulenſes, vt ſua eis mitteret ſcripta, quatenus eorum judicio deberent cum auctoritate quaquauerſum proferri.

EPITAPHIVM S. CHAIDOCI Confeſſoris.

MOLE ſub hac tegitur CHAIDOCVS *jure Sacerdos:*
Scotia quem genuit, Gallica terra tegit.
Hic Domini Chriſti gaudens præcepta ſecutus,
Contempſit patrias mente beatus opes.
Hinc ſibi concreuit centeni copia fructus,
Et metit ætherei præmia larga ſoli.
Huic Angilbertus fretus pietate magiſtra,
Et tumulo carmen condidit & tumulum.

ITEM.

Corpore terreno qui cernitur eſſe ſepultus,
Gaudia pro meritis cælica lætus habet.
Iſte fuit Fricorus Chaidoco conſociatus,
Quem ſibi conceſſum Centula gaudet ouans.
Hic virtute valens deſpexit proſpera mundi,
Et modò viuenti gloria magna patet.
Quando Deo placuit cœlorum regna petiuit,
Nunc Angilberti carmine fulget, Amen.

CAPVT XII.

De obitu S. ANGILBERTI *& ſepultura, ſeu de* NITHARDO *filio eius ac ſucceſſore.*

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXIV. Indictione VI. Excellentiſſimæ memoriæ KAROLVS Magnus poſt hoſtes victorioſiſſimè cum Dei fauore triumphatos, cùm Romanorum Imperium, & Francorum & Langobardorum Regna quietiſſimè obtineret, v. Kalend. Februarij tranſiuit è mundo, pro obſequijs, & honorificentia Deo & Sanctis eius ſtudiosè exhibita ac benignè, percepturus, vt ſperamus, fœlicia & immortalia regna. Vene- 814. Obijt Carolus Magnus.

rabilis autem ANGILBERTVS, tametſi ſenio & auſteritate jejuniorum, & vigiliarum, corpore laſſeſcente quoquàm progredi non poſſet vel vellet, ejus tamen diſpoſitioni, quâ theſauros proprios in beneficium eleëmoſynæ Eccleſiarum Præſulibus attribuit, vt pote dilecti ſemper Domini, interfuit; magniſque honoribus & beneficijs Eccleſiam Centulenſem ab eodem antequam decederet ſublimari obtinuit. Fuerunt autem XXI. Metropolitanæ ciuitates, quibus diuiſit dari grandem partem ſuarum facultatum: quarum hæc ſunt nomina: Roma, Rauenna, Mediolanum, Forum-Iulij, Gradus, Colonia, Magunciacus, Iuuauum, id eſt, Salzburc, Treueris, Remis, Senones, Veſontio, Lugdunum, Rotomagus, Arelatum, Vienna, Darantaſia, Ebredunum, Burdegala, Turones, Biturícum. Huic verò diſtributioni nonniſi quatuor Abbates interfuiſſe leguntur, ſcilicet Frudigius, Adalongus, Angilbertus, Yrmino. Ipſe denique Rex in tantùm locum ipſum honorauerat, & extulerat, vt & Regalem curiam inibi tenuiſſe die Natalis Domini, ſeu die Paſchæ, aliquoties inueniatur in geſtis illius temporis: quod etiam à ſucceſſoribus ſuis, ijs ſcilicet qui noſtratem Galliam in ſui ſorte Regni habuerunt, multo tempore amabiliter ſeruatum eſt.

Cùm ergo mortuo KAROLO Magno Hludoguicus ſucceſſiſſet, Regnorum à patre acquiſitorum apicem ſuſcipiens, anno regni eius primo incipiente, ſanctiſſimus Abbas Angilbertus corporis arctatus moleſtia cœleſtibus gaudijs propinquabat, & cœleſti Patre diſponente filius proximè recipiendus flagellabatur, vt dignus fieret cui felix nec peritura hereditas concederetur. Supercreſcente incommodo, cùm videretur jam humanis eximi, multa vſus humilitate, vt pote cujus perſeuerans fuerat conſeruator, præcepit vt ante fores Templi tumularetur. Sanè ſuſpiria & lacrymæ, quæ illo morti proximante fuſæ ſunt non à nobis narrandæ ſuſcipiuntur, ne poſt tanta temporum interſtitia nos quoque ad plangendum reuocet dolor renouatus. Poſt mortem vtique Magni Auguſti Karoli anno eodem, diebus XX. ſuperſtes effectus, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXIV. Indictione VI. menſe Februa-

Angilbertus eodem anno quo Carolus Magnus ab humanis exceſſit.

rio, die XII. Kalendas Martij, celebratis circa ſe Eccleſiaſticis myſterijs. Verè Chriſti amatoris Angilberti glorioſa anima bonorum operum exercitijs & pietatibus cumulata, corporis terreni vaſe relicto, ſupernis ciuibus aſſociatur, & quod votis ambierat, operibúſque meruerat, Chriſti aſpectibus præſentialiter mulcetur, videns eum ſicuti eſt: Veridica hoc & iure probabili Chriſti ſententia aſtruitur, qui ſe diligentes à Patre ſuo, & à ſe diligendos aſſeuerat, & tantæ dilectionis profectum ſui viſionem propalat: Et manifeſtabo, inquiens, me ipſum ei, id eſt diligenti, & probationem dilectionis, quod eſt exhibitio operis, exequenti. Tunc amantiſſimi Patris venerabile corpus dulci filiorum obſequio componitur, & cum omni veneratione ſancto Abbati debita ante portam maioris Eccleſiæ honorificè ſepelitur. Locus autem ipſius ſepulturæ ita aditui Eccleſię proximus eſt, vt à nemine Baſilica ingredi poſſit, qui non ſanctam corporis eius tumbam calcaret. Vbi, ſicut paulò ſuperiùs dictum eſt, humilitatis obtentu poni ſe popoſcerat; in gyro autem ſepulturæ iſti verſiculi in lapideis tabulatis, primus ad caput, ſecundus ad læuam, tertius ad pedes, quartus ad dexteram expoliti ſunt.

Rex Requiem ANGILBERTO *da Pater, atque pius Rex;*
Lex legum vitam æternam illi da, quia tu Lex.
Lux lucem ſemper concede illi, bona qui es Lux.
Pax pacem illi perpetuam dona, es quoniam Pax.

Multa & magna atque inſignia ſunt, quæ de hoc venerabili viro dicere habebamus, ſed quia omnia comprehendere nequiuimus quæ in hiſtoriis Francorum de illo, eiúſque probitate habentur rogamus vt ad laudem Dei omnipotentis, & ad honorem Beati viri paucula hæc noſtratibus interim ſufficiant. Cæterùm, vt omnia quæ de illo ſunt diceremus, defuit virtus, affuit ſed cautela ne plurima differendo faſtidium inferemus auditori. Quieuit verò in loco ſuprà ſcripto per annos XXVIII. Regnante Auguſto Hludoguico annis XXVI. Chriſti autem Domini noſtri regno nullam metam capiente per omnia ſæcula, Amen.

Igitur ſeptimo Centulenſis Cœnobij Abbate intimato, ejúſque ſtudijs & bonitate monſtrata, jam modò pauliſper linguæ noſtræ requies præbeatur, vt & mœſtitia ex ejus ablatione concepta, quò paululùm quia mortales aliter non poſſumus admittitur, eò citius ſuſpirijs ſatisfacta deſideratur * Simul & æquum videtur, vt is qui ſingulari erga nos vſus eſt amore, ſingulari quoque in deſcriptione geſtorum collaudetur libello.

*forte, * Videatur.

De Nithardo filio S. Angilberti Abbate.

Hoc tamen in calce libri neceſſariò recondimus, quòd poſt ejus ſanctum tranſitum filius ejus NITHARDVS, quem de Regis filia Berta ſuſceperat, Centulenſibus jure Abbaticio prælatus eſt, paucíſque diebus in regimine expletis, interemptus prælio præſentis luminis caruit viſu; ſepultúſque juxta proprium genitorem quieuit in pace, Regnante Domino noſtro IESV CHRISTO cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

De Abbate HERICO.

ANNO ſacræ Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCXIV. Ind. VII. dum felix Francia ſub glorioſiſſimi Cæſaris HLVDOGVICI moderamine omni venuſtate floreret, obtinuit beneficio ipſius principis HERICVS Abbas regimen Monaſterij B. Richarij. Notetur autem deſcriptio, quia eodem quidem quo ſanctiſſimus Angilbertus Abbas obijt anno, ſed non eadem Indictione hic Hericus Abbatiæ Centulenſi prælatus eſt: ſi quidem menſe Septembri die XXIV. Indictiones mutantur. De huius verò factis nihil apud nos memorabile habetur, prętęr quod in libro miraculorum B. Patris

Indictionis mutatio.

Richarij inuenitur, quia videlicet vni è ſuis vaſſallis, Heutoni nomine, villam Sidrudem, quæ erat antiquitùs deputata ad Fratrum calciamenta, contulerit: hæc enim villula ipſi ſancto in hoc ſæculo viuenti fuerat donata, vt in vitæ eius ſcripto clarè pateſcit. At nunc placet memorari quid in illa virtutis contigerit, poſtquam Heutonis dominio ſubacta eſt. Fuerat illic prope nemus, vbi Sanctum Richarium accolæ loci & in iter carpendo cùm Britanniam peteret, & in redeundo laſſitudinem corporis temperare, & ſacras fundere orationes juxta quandam fagum ex auita & paterna relatione tradiderunt. Enimuerò dum præfatus Heuto ipſam villam conſecutus fuiſſet, cœpit libera ea vti poteſtate; quadam autem die dum rura illius circuiret, ſuper jamdictam fagum venit; quam enormem intuitus, iuſſit incidi, vt exinde focus ſibi fieret. Cui ſerui parere noluerunt, dicentes ſacratum fuſtem, & ibi B. Richarium conſueuiſſe orare: quod ille ſuperba mente contempſit, & vt incideretur coëgit. Ita dejecta arbore, & partibus inde partitis, ſuperiores quidem findi potuerunt partes, duæ verò inferiores, quę & groſſiores erant difficilè nimis finduntur. Attamen magnis conatibus ruſtici inſiſtentes, penultimum dirimunt fruſtum, in quo inuentę ſunt reliquię quaſi capillorum, & barbæ abraſiones; quæ cùm Ruſtici honori haberent, vt pote quæ à Sancto ibidem repoſitæ, miſer ille, & malè curtenſis * Heuto, ea pro nihilo habens ſpargere fecit, ac deinde vltimum fagi truncum qui ſupererat findi præcepit; ſed ad omnem ictum inſectibilis permanſit: quod ille videns, iuſſit portari in ſuæ domus atrium, quod vulgus curtem dicit, & vt fieri aſſolet ante ianuam iactari. Ipſa autem die quidam villæ colonus acceptam ſecurem quaſi tentando ligno leuiter affixit, & ad ipſum ictum illicò diuiſum eſt, & inuenta eſt quædam crux inſerta vni ex illis partibus, cuius etiam ſigni forma alteri parti inſculpta videbatur: hoc illi qui aderant vt viderunt nimio terrore perculſi ſunt, initóque conſilio, ipſas partes cum cruce intulerunt in apothecam cuiuſdam cuſtodiendas: tunc ſequenti nocte obfirmatis apothecæ oſtijs dormitum eſt: mane facto, dum ſomno excutiuntur, crux illa vel

* Inurbanus, Gal. *mal courtois.*

partes nuſquam inueniuntur. Præfatus autem Heuto, qui ſancta temerauerat, quinto die, Deo vindice, vitalem ſpiritum amiſit. Sed & Hericus aliquantis in regimine annis expletis, diem clauſit extremum.

CAPVT II.

Priuilegium HLVDOGVICI *Imperatoris.*

TEMPORE iſto cùm contigiſſet HLVDOGVICVM glorioſum Auguſtum Pontiuam intrare prouinciam, venerabile templum S. Richarij orationis gratia petiuit. Fratres igitur Monaſterij timentes ne aliquis de parentela ſæpedicti Heutonis villam Sidrudem ſibi vſurparet, majeſtatem Regiam exorant & ſuadent, vt ſuper hac, & ſuper omnibus, quas aliquo euentu perdere metuebant, villis, & quas KAROLVS Magnus ejuſdem genitor dono Regio contulerat, ſuæ auctoritatis præceptum firmaret, quo jamdicta villa, vel aliæ poſſeſſiones, abſque alicuius contradicto, Monaſterio liberè deſeruirent; & vt nemo Abbatum futurorum ex eis aliquam à loci dominio vlteriùs auferens alicui donaret. Ipſe ergo talibus precatis placidè obediuit, & ſuæ præceptionis authoritatem ſuper his tali modo confecit.

„ IN nomine Domini & Saluatoris noſtri IESV CHRISTI,
„ HLVDOGVICVS diuina ordinante prouidentia Imperator
„ Auguſtus, notum eſſe volumus cunctis fidelibus ſanctæ Dei
„ Eccleſiæ, & noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quia dum
„ nos orationis cauſâ in Beatiſſimi Confeſſoris Chriſti Richa-
„ rij Baſilicam aduenimus, adierunt Celſitudinem noſtram
„ Monachi ex eodem Monaſterio, deprecantes, vt ſuper re-
„ bus, quas moderno tempore in quibuſlibet pagis & terri-
„ toriis infra ditionem Imperij noſtri ad victum & veſtitum
„ eorum habent, noſtram auctoritatem firmitatis gratiâ fieri
„ juberemus; per quam decerneremus, vt neque Abbates
„ per tempora ibidem degentes, neque miniſtri, aut alia quæ-
f. dignitatis. libet ſuperioris, vel inferioris * prædicta perſona, de eiſ-
„ dem rebus aliquid abſtrahere aut minuere, vel in alios vſus
„ retorquere præſumat. Quorum petitionem juſtam ac ra-
„ tionabilem judicantes, hos imperiales Apices noſtros fir-

Digitized by Google

mitatis gratia circa ſeruos Dei ibidem per tempora laben- «
tia degentes fieri iuſſimus, per quos decernimus, atque om- «
nimodis ſancimus, vt nullus Rector prædicti Monaſterij, «
aut miniſtri eius, de rebus quas moderno tempore in qui- «
buſlibet pagis & territoriis infra ditionem imperij noſtri «
ad vſus & victum atque veſtimentum eorum habent: quo- «
rum hæc ſunt nomina, Cinini-curtem cum Bronoilo, Al «
dulfi-curtem, Valles, Druſciacum. Nonamuillam, Mons- «
Angelorum, Wiberentium, Bagardas, Curticellam, Crux, «
Langoratum, Altegiam, Sidrutem, Niuiellam, Verculf, «
Concilium, Rocconis-montem, Maris, vel quidquid ad ſu- «
pradicta loca præſenti tempore iuſtè & legaliter aſpicere «
videtur, aliquid abſtrahere, aut minuere, aut in alios vſus «
conuertere, aut paratas, aut lidimoniũ, * aut hoſtilicium *, «
aut alias quaſlibet redhibitiones exigere, aut exactare «
præſumat: ſed eo modo atque tenore quo nunc ſtatuimus «
teneant, atque poſſideant, ita noſtris & futuris tempori- «
bus ſecurè atque quietè habeant & fruantur, quatenus ip- «
ſos ſeruos Dei in prædicto Monaſterio famulantes pro no «
bis, conjuge prolèque noſtra, atque ſtabilitate totius Im- «
perij noſtri perpetim Dei miſericordiam exorare delectet. «
Et vt hæc authoritas per futura tempora iuuiolabilem at- «
que inconuulſam obtineat firmitatem, manu propria ſub- «
terfirmauimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus. «

Signum HLVDOGVICI Sereniſſimi Imperatoris. Data III. «
Non. Aprilis, Anno Chriſto propitio XVII. Imperij Do- «
mini HLVDOGVICI piiſſimi Auguſti. Indict. VIII. Actum «
Monaſterio S. Gualarici feliciter. Amen. DVRANDVS Dia- «
conus ad vicem FRIDVSI recognoui & ſubſcripſi. «

* *Siue*, litimonium id eſt ſeruitium, quod litus vel lidus, (ſeruus dedititius) domino ſuo debet.

*Hoſtilicium eſt functio publica qua in hoſtem ſiue in exercitum proficiſci aliquis cogebatur.

Ex his quæ in hoc præcepto commemorantur ſacratiſſimus Pater noſter Richarius quaſdam quietè habuerat, ſed quia prauorum & nequam hominum inſolentijs ſuper his Fratres turbabantur, ob hoc illas Regia præceptione firmari obtinuerunt. Nam & illæ villæ, quæ à ſancti Richarij tempore habebantur, & de quibus nihil mali metuebatur, vt ſunt hæc, Centula, Abbatis-villa, Altuillaris, Rebelliſmons, & Valerias, & aliæ multæ iſtic ſcribere non curauerunt.

Digitized by Google

CAPVT III.

Deſcriptio de Theſauro, & rebus, ſeu vaſſallis ſancti Richarij.

HLvdogvicvs Imperator promulgata præceptione ſuper poſſeſſionibus Monaſterij, vocauit ad ſe Monachos, rogans vt omnia quæcumque haberi poterant, tam in theſauro Eccleſię, quàm in bonis forenſibus, ſcriberentur, ſibíque monſtrarentur. Anno igitur Incarnationis Domini DCCCXXXI. Indictione IX. Facta eſt deſcriptio de Abbatia ſancti Richarij rogante Sereniſſimo Auguſto, Anno Imperij ſui XVIII. In primis de Eccleſiaſticis rebus, & ſic de prædijs & poſſeſſionibus, ſiue & de vaſſallis, qui ex eadem Abbatia beneficia retinebant.

831.

Habentur ibi principales Eccleſiæ III. vna major in honore Sancti Saluatoris & S. Richarij; altera in honore ſanctæ MARIÆ; tertia in honore S. Benedicti. In quibus principalia habentur altaria III. hoc eſt S. Saluatoris, ſancti Richarij, & S. MARIÆ ex marmore, auro, & argento, & gemmis, ac lapidibus diuerſis fabrefacta. Super illa tria altaria habentur tria ciboria ex argento & auro parata, in quibus tres dependent coronę, ſingulę per ſingula ex auro gemmíſque paratę, cum aureis cruciculis, aliíſque diuerſis ornamentis. In eiſdem Eccleſijs ſunt lectoria tria ex marmore, argento, & auro fabricata. Capſæ reliquiarum aureæ & argenteæ vel eburneę paratæ ſunt XXX. cruces majores V. & minores VIII. poma altarium XXI. è quibus tria ſunt aurea, reliqua argentea. Item poma guntfanonum * VII. ex argento auróque parata: cãdelabra ferrea ex argento & auro parata, majora XV. minora VII. coronæ argenteæ VII. & cupreæ deauratæ VII. lampades argenteæ VI. cupreæ deauratæ VI. hannappi pendentes argentei XIII. conchæ argenteæ pendentes II. Areæ majores III. & minores III. Turibula argentea deaurata VIII. ex cupro I. flabellum argenteum I. paries ad caput S. Richarij, & duo oſtiola parua ex argento & auro, gemmíſque fabricata: ad pedes ipſius oſtiola

* *id eſt*, vexillorũ; Gal. vulgò, *Gonfalons*, ſiue, *bannieres*.

oſtiola VI. ex argento auróque parata. Sunt & alia IV. ſimiliter parata. Ante altare ejuſdem Sancti ſtant columnæ VI. magnæ ex cupro, argento, & auro paratæ ſuſtentantes trabem vnam ſimiliter cupream argento auróque paratam. Sunt & aliæ trabes minores tres ex cupro, argento, auróque paratæ in circuitu altaris vel chori, ſuſtentantes arcus XVII. ex cupro, argento, auróque fabricatos; inter quos ſtant imagines beſtiarum, auium, hominúmque VII. ex ære circuli ad ſigna pendentes argentei V. reliqui ex auricalco.

Euangelium auro ſcriptum vnum cum capſa argentea gemmis & lapidibus fabricata. Aliæ capſæ Euangeliorum duæ ex auro & argento paratæ, faldene addito ex argento fabricatum ad opus ipſarum I. Calices ex auro IV. ex argento majores II. minores XIII. patenæ aureæ II. argenteæ majores IV. minores XIII. ex auricalco I. offertoria aurea IV. argentea LX. eburneum I. magnum argento & auro paratum. Scyphus argenteus major, I. minores argentei IV. ex auriacalco I. tutelli * argentei IV. vrcei argentei cum aquamanilibus II. hanappus ad bibendum argenteus I. ſitula argentea I. ex cupro & ære II. & argento parata I. canna argentea I. ex ſtano I. tabulæ eburneæ ex auro argentóque paratæ I. majores II. minores II. ex cypreſſo vna argento parata: claues argenteæ II. ex auricalco deaurata I. baculus auro, argento, & cryſtallo paratus I. præparatio baculi vnius ex criſtallo I. caſulæ caſtaneæ XL. ſericæ nigræ V. perſæ ſericæ III. ex plata I. ex pallio XX. galnæ [a] ſericæ V. melnæ [b] ſericæ III. ex piſce I. ex cendalo IV. cappa caſtanea auro parata I. ſerica I. dalmaticæ XXXI. hrocci [c] ſerici XV. lanei XI. ſericus albus I. perſi ſerici II. roccus pectoralis I. fanones [d] ad offerendum auro parati XIV. ex brandeo [e] III. ex pallio XV. ſaga [f] ad patenas ferendas IV. pallia LXXVIII. veſtimenta XLIX. viginti alia, cum pallio paratum I. in ſacrario ad tabulam cooperiendam veſtimentum lineum pallio paratum I. tapeta VI. cortinæ III. bancales [g] ſerici IV. & alij X. cuſſini ſerici II. ex pallio IV. veſtimentum lineum dominicale I. naſtolæ [h] ex auro paratæ II. Wanti [i] caſtanei auro parati II. linei II. fanones manuales auro parati II.

f. * Cultelli.

a id eſt, Flaui coloris, Gall. *jaune*.

b Melini coloris, *f.*, candidi.

c ſiue, froci, v. *ſupra p. 3.*

d Fanon olim erat ſudarij, ſiue mappula; quam in læua geſtant ſacris ordinibus initiati. Gal. *Fanon*. nunc manipulus appellatur, faſciæ inſtar, vulgò, *manipule*.

e f. ex velo.

f. velum amplum.

g à banco, *f.* ſcamno. Gal. *banc*. bancalis genus tapetis.

h forte, mappolæ, ſiue mappulæ aut certè muffolæ, maffolæ, *Vide ſup. p. 3.*

i Wanti chirotecæ. Gal. *gants*.

capellum auro paratum I. ex pallio I. facitercula [k] II. cappæ CCCLXXVII.

[k] *forte*, facitergia, i. mantilia, vel manutergia.

De libris libri canonici : Bibliotheca integra, vbi continentur libri LXXII. in vno volumine. Item Bibliotheca diſperſa in voluminibus quatuordecim.

De libris S. Hieronymi : ſuper Iſaiam. Item in Iſaiam ; ſuper Pſalmos; Expoſitio Leuitici ; Opuſcula eius ſuper Ieremiam ; in XII. Prophetas, in Eccleſiaſtem, in Cantica Canticorum, in Ezechiel. Liber Epiſcopalis* ; Commentarius in Matthæum, Expoſitio in Marcum, illuſtrium virorum, ſuper totum Pſalterium, in Epiſtolis duabus ſancti Pauli, hoc eſt, ad Galatas, & ad Epheſios, in Epiſtolis ad Titum & Philemonem ; Liber plenarius Epiſtolarum eius ; Pſalterium Hebraïcæ veritatis ; cantra Iouinianum hæreticum, & Apologeticus ad Pammachium; Quæſtiones Geneſis, & liber locorũ; liber qui dicitur Antiomenon; de ſeptem vindictis Caïn; de Egreſſione filiorum Iſraël ex Ægypto; de Iſaac, de Oſanna, de Seraphim & Calculo : de morte Oziæ Regis ; de Filio prodigo ; de Natura rerum ; de Rhetorica : omnia hæc in vno volumine ; Euangelium in Græco & Latino ſcriptum : qui ſunt libri numero XXII.

[f] * Paſchalis quem è Græco Theophili Latinum fecit Hieronymus.

De libris ſancti Auguſtini : Exameron * ejus contra Manichæos, & alios hæreticos ; decadæ Pſalmorum ; Epiſtolæ ejuſdem ; Expoſitio plenaria ſuper Euangelium Ioannis ; alia Expoſitio Auguſtini junioris * ; de ſermone Domini in monte ; de x. plagis ; de x. præceptis : in vno volumine. In Epiſtola Ioannis Apoſtoli; Concordia Euangeliorum ; de Ciuitate Domini ; Enchiridion ; de natura & origine animæ ; de Doctrina Chriſtiana ; Speculum Auguſtini; Confeſſiones ; Hypomneoſticon * ; de x. chordis, & bono conjugali ; de Arte muſica ; de Virginitate ſeruanda ; & Sermones eius : de XII. abuſibus ; & Interrogationes Horoſij ; & Reſponſiones Auguſtini : in vno volumine. Contra hæreticos ; de Agone Chriſtiano ; de Blaſphemia Spiritus, Explanatio Rufini ; de XII. benedictionibus Patriarcharum : in vno volumine. De Trinitate ; de Videndo Deo ; de Plaſmatione primi hominis ; de Definitionibus dogmatum Eccleſiaſticorum, & Epiſtolæ S. Fulgentij : in

* *ſiue* de Geneſi.

Id eſt, * *forte*, cum adhuc eſſet iuuenis.

* *ſiue* Hypognoſticon.

vno volu. de Magiſtro; de ſancta Virginitate; & Academicorum in 1. volumine. Opuſcula, & Epiſtolæ Auguſtini ad Pelagium & Valentinum; & reſponſiones Proſperi, in 1. vol. Explanatio Auguſtini, & Iuliani, & Pauli; de partibus orationis in 1. vol. qui ſunt libri numero XXIX.

De libris S. Gregorij: Expoſitio in Iezechiel. vol. III. Moralia vol. V. Homiliæ XL. vol. II. Paſtorale; Dialogus; Regiſtrum; ordo Eccleſiaſticus: liber Parterij * de dictis ejuſdem: qui ſunt libri numero XV.

al.* Paterij.

De libris Iſiodori: Etymologias; Rotarum *; Proœmiorum; & Rotarum & Officiorum: item Proœmiorum; item Rotarum; tractatus in Pentateuchon, in Regum, in Ruth, in Ezra; in 1. vol. Sententiæ II. vol. Synonima: qui ſunt libri numero IX.

* Id eſt Cantuum, ſeu Hymnorum.

De libris Origenis: in Geneſi Homelias XVI. II. vol. in Cantica Canticorum: qui ſunt libri IV.

Hilarij autem: de fide ſanctæ Trinitatis; quæſtiones Hilarij, Cypriani, Alcimi Auiti, Hieronymi, Auguſtini, ſuper Pentateuchum in 1. vol. qui ſunt libri duo.

Ioannis Chryſoſtomi; in Epiſtola ad Hebræos; Homeliæ XXXIII. de Compunctione cordis contra Nouatianos; de Ieiunio, & ſermones ejus LXII. & vita ſancti Ambroſij vno volum. qui ſunt libri VII.

Caſſiodori, ſuper totum Pſalterium.

Fulgentij, libri XIV. qui per ſingulos libros vnam litteram detrahit.

Bedæ, de templo Salomonis; triginta quæſtiones eius in Regum, cum Expoſitione Iuſti in Cantica Canticorum; in 1. volum. in prouerbijs Salomonis, & in libro Thobię; in Marco, in Luca, & in Actibus Apoſtolorum; ſuper Epiſtolas Canonicas; ſuper V. libros Moyſi; in Apocalypſi; in Abacuc, cum gloſſis Pentateuc; de Natura rerum; de Temporibus: qui ſunt libri numero XVI.

Diuerſorum autem; Iulij de auctoritate diuinæ legis; Eugipij excerptum de libris ſancti Auguſtini; Paſchaſij de Spiritu ſancto; Primaſij in Apocalypſi; Timothei libri IV. & tractatus Peregrini contra hæreticos, & Epiſtolæ Theophili ad Epiſcopos totius Ægypti in 1. vol. Expoſitio Arno-

bij ſuper totum Pſalterium; Gregorij Nazianzeni libri VIII. & Homeliæ Auguſtini de lætitia & gratia in I. vol. Athanaſij in Leuitico: qui ſunt libri numero VIII.

De Canonibus: Canones Apoſtolorum, & Niceni Concilij; & XII. Concilia, & decretalia Apoſtolorum * I. vol. Canones collecti de diuerſis Concilijs volu. II. Cecili Cypriani de canonibus & inſtitutionibus Eccleſiaſticorum LXXXVII. I. vol. Gelaſij Papæ de libris recipiendis & non recipiendis: Epiſtolæ diuerſorum numero LVI. vol. Homeliarius Sanctorum Patrum anni circuli, Hieronymi, Auguſtini, Gregorij, Origenis, Leonis, Ioannis, Fulgentij, Bedæ in I. vol. Item Homelię SS. Patrum ſuper anni circulum, in III. volu. Homiliæ S. Agnetis: Boëtij de conſolatione Philoſophiæ; Gregorij Epiſcopi Turonenſis de generatione Adæ, & de geſtis Francorum; Expoſitio Philippi ſuper Iob; gloſſæ SS. Patrum ſuper Pſalmos II I. vol. Caſſiani de Incarnatione Domini; Expoſitio Iuſti in Cantica Canticorum; & liber Eucherij Epiſcopi de defectu ſolis & lunæ: vitæ vel paſſiones SS. Apoſtolorũ, Martyrum, Confeſſorũ, Virginum; & collationes diuerſorum Patrum in vol. XVIII. Expoſitio Iuliani Pomerij, & Prognoſticon in II. vol. Expoſitio Pelagij ſuper XIII. Epiſtolas Pauli; Expoſitio cujuſdam in Epiſtolam ad Romanos; gloſſæ ex dictis Patrum in III. vol. Item gloſſæ Patrum vol. III. Liber Martini Papæ; Regula S. Benedicti ſexies; Regula S. Auguſtini, Fructuoſi, & Iſidori, I. vol. Homeliæ Cæſarij Epiſcopi Arelatenſis; Expoſitio fidei Catholicæ S. Hieronymi: Dicta Iſidori de hæreſibus Iudæorũ & Chriſtianorum; & de Philoſophis, Poëtis; & Epiſtolæ Cyrilli, Leonis, Dionyſi, & aliorum de ratione Paſchali; & cycli, in I. vol. Altercatio legis inter Simonem Iudæum, & Theophilum Chriſtianum; Ephrem de die judicij; Albini ad Karolum de fide Trinitatis, & de Incarnatione Domini. Epiſtolæ Caroli ad Imperatorem Græcorum: Pſalteria VII. Quæſtiones ſeptem artium; Collectarium cujuſdam in Matthæo; Collectarium Scotaicum, vbi primus eſt de caritate, vltimus ita incipit, Curre ne parcas; Liber ſcintillarum: qui ſunt libri numero LXX.

ſ. Apoſtolicorum.

Omnes Codices librorum Clauſtralium de diuinitate ſunt CXCV.

De libris Grammaticorum: Donatus, Pompeius, Probus, de pedibus & ſyllabis; Priſcianus; Comminianus; Seruius, Victorinus Martyr [a]; Diomedes; Verus Longinus [b], Taduinus [c], Tullius Cicero, Rhetoricorum libri II. omnia in IV. vol. Proſper, Aratus [d], Sedulius, Iuuencus; Epigrammata Proſperi; verſus Probæ, & medietas Fortunati. I. vol. Quintus Serenus de Medicina; Fabulę Auieni; Virgilius, Eclogæ eiuſdem gloſſatæ. Althelmus, metrum cuiuſdam de veteri & nouo Teſtamento, cum vita Coſmæ & Damiani metrica in I. vol. qui ſunt libri XXVI.

[a] *fortè*, Marius Victorinus.
[b] *fortè*, Verius longus.
[c] *f.* Alcuinus.
[d] *f.* Arator.

De libris antiquorum, qui de geſtis Regum, vel ſitu terrarum ſcripſerunt. Ioſephus plenarius; Plinius ſecundus de moribus & vita Imperatorum; Epitoma Pompeij; Ethicus de mundi deſcriptione; hiſtoria Homeri, vbi dicit, *Et Dares Phrygius*: hiſtoria Socratis Sozomeni, & Theodoriti. Libri Philonis Iudæi I. vol. Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebij. Chronica Hieronymi: II. vol. hiſtoria Iordanis. De ſumma temporum, & de origine actibúſque Romanorum I. vol. Lex Romana; Pactum Salicæ legis: qui ſunt libri numero XV. Item volumen, vbi ſermones habentur de Natali Domini, Stephani, Innocentum: Bodani * cum Partes Donati gloſſatæ; Liber logon, id eſt, Sermonum Græcorum, vel Latinorum; Genealogia Bibliothecæ; Paſſio Domini in Theodiſco *, & in Latino: qui ſunt libri VI.

* *ſiue*, Bedæ.

* *Id eſt*, linguâ Teutonicâ.

De libris Sacrarij, qui miniſterio altaris deſeruiunt: Miſſales Gregoriani tres; Miſſalis Gregorianus, & Gelaſianus modernis temporibus ab Albino ordinatus I. Lectionarij Epiſtolarum & Euangeliorum mixtim & ordinatè compoſiti V. Miſſales Gelaſiani XIX. Textus Euangelij IV. aureis litteris ſcriptus totus I. Lectionarius plenarius à ſupradicto Albino ordinatus I. Antiphonarij ſex: qui ſunt libri numero XXXV.

Omnes igitur Codices in commune faciunt numerum CCL. & VI. ita videlicet vt non numerentur libri ſigillatim, ſed Codices quia in vno Codice diuerſi libri multoties, vt ſuprà notatum eſt, habentur; quos ſi numeraremus,

quingentorum copiam ſuperarent. Hæ ergo diuiriæ Clauſtrales, hæ ſunt opulentiæ cœleſtis vitæ, dulcedine animam ſaginantes, per quas in Centulenſibus impleta eſt illa ſalubris ſententia: *Ama ſcientiam ſcripturarum, & vitia non amabis.*

Sed nunc etiam de exterioribus bonis hîc ponamus indiculum; & villas quæ Monaſterio Chriſti militis præcipui Richarij tunc temporis ſeruiebant breuiter annotemus. Reditus verò villarum qui ſcire cupit, codicem ex hoc conſcriptum reuoluat; nam pro ſui magnitudine hîc totus poni non poteſt. Hæ ergo ſunt villæ S. Richarij: Buniacus, Valles, Druſiacus, Nouavilla, Gaſpanus, Guibrentium, Bagardas, Curticalla, Crux, Ciuinocurtis, Haidalficurtis, Maris, Nialla, Langradus, Alteia, Rochonis-Mons, Sidrudis, Concilio, Buxudis, Ingoaldicurtis. Inter has erant quædam licet paucæ, vbi aliqui militares S. Richarij beneficij quidpiam habebant. Hæ autem ſunt villæ in Dominicatura Sancti eiuſdem, abſque vlla admixtione beneficij, vel alterius poteſtatis, Pontias, Altiſgnico, Tulinæ, Durcaptum, Abbatis villa, Foreſtemonaſterium, Maiocch, ſanctus Medardus, Alliacus, Longavilla, Altuillaris, Rebellis-mons, Valerias. Iſtæ non tam villæ quàm oppida, vel, vt ita dicam, ciuitates habebantur; quippe quibus nulla vis injuſtitiæ inferebatur.

In Foreſti-cella habentur tres Eccleſiæ, prima S. Mariæ; ſecunda S. Petri; tertia S. Richarij: vbi ſunt altaria auro argentóque ornata v. Corona argentea i. capſella auro parata i. Cruces auro paratæ iii. Capſa auro & gemmis parata i. crucicula argentea auro parata i. aliæ deauratæ vi. Poma deaurata v. Ciborium auro argentóque paratum i. Candelabra auro argentóque parata vi. ventaculũ * deauratum i. fuſcellum deauratum i. ſcyphus de argento i. tabulæ deauratæ eburneæ ii. Calices auro parati majores iii. argentei minores iv. offertoria argentea viii. deaurata iii. vrceum argenteum i. Capſa Euangelij argentea i. caſulæ ſatis pretioſæ xv. Dalmaticæ iv. caſulæ paruæ ſericæ ii. hrocci de pallio iii. lanei iv. albæ xxvii. ſtolæ ix. Fanones xiv. boculares ii. conchæ ii. ſandalia cum caltio-

* flabellũ. vulgò Gal. *mentail.*

Digitized by Google

nibus VI. libri quinquaginta vnus. ad lumen Eccleſię aſpicit villa Dulcianæ-vallis. Sunt ibi Canonici XXX. qui habent ad ſtipendia villas IV. hoc eſt Eghod, ſanctum Vigilium, & duos manſioniles, & Eccleſiam S. Martini : & in alijs villis S. Richarij accipiunt aliqua.

Eſt Cellula quæ vocatur Botritium in pago Terragonenſium *; in qua habetur altare I. fabricatum; cruces III. inauratæ II. inargentata I. capſæ XVIII. fabricatæ, thuribulum I. candelabra parata II. vaſa ærea II. calices argentei IV. patenæ argenteæ II. aurata I; ſcyphus argenteus I. offertorium I. opertorium pallium I. caſula I. dalmaticæ I. Miſſalis I. lectionarius I. Antiphonarius I. Homeliarius I. paſſionalis I. Pſalterium I. ſunt ibi Canonici X. habentes villam Teones, villam Neudum, Eccleſias duas, villam Albitrium, villam Guadanniam, & alios multos redditus ex beneficio ſancti Richarij cui ſeruiunt.

* Teriagenſium. vulgo *Tierache*, ſiue Teruanenſium, *Teruannc.*

Eſt & alia Cellula in pago Ambianenſium, quæ vocatur Incra, vbi habentur capſæ paratæ X. cruces paratæ III. caſulæ II. dalmaticæ II. candelabra parata II. liber Geneſis, Exodus, Numeri, Regum, Prophetarum, Parabolæ Salomonis, Miſſale I. Lectionarius I. Antiphonarius I. ſunt ibi Canonici XII. qui habent ad victum decimam, & nonam, & molendinum I. Ipſa villa Centulo Monaſterio ſeruit, habens manſos veſtitos CLXXX. Flamiriaca villa, Catiacus-villa, Montes, Vadimiacus, Loacas: hæ omnes ſancto Richario ſubjacebant. Sed jam illorum nomina recitemus, qui ex S. Richario beneficia retentabant: quíque cum ſibi ſubditis Militibus noſtro Abbati & miniſtris Eccleſiæ nobiliter ſatis ſeruiebant terrâ marique, vel vbicumque eorum comitatu quilibet è ſancti loci Fratribus indiguiſſet.

Heligaudus, Mainfridus, Itherus, Hubertus, Bertuinus, Alquala, Berlandus, Ratuinus, Gyloldus, Lantgerus, Hardradus, Algodus, Geraldus, Iſrahel, Harbertus, Amalbertus, Droptulfus, Milo, Herotiſus, Gutheus, Grinarius, Helmericus, Beringarius, Adatelmus, Aldricus, Heriulfus, Godeardus, Teutſinus, Sigefridus, Hildegarinus, Helmericus, Otlaricus, Hildelandus, Landricus,

Regueguardus, Gualcerdeos, Rogingus, Gualterus, Ingelbertus, Fredenertus, Ombertus, Gualbertus, Madelguarius, Egfridus, Tredico, Eremboldus, Odelricus, Guandelmarus, Leodricus, Ermenardus, Framericus, Boſo, Guntſelmus, Zacharias, Goſbertus, Hatto, Harfridus, Flodeneus, Guandelmarus, Regemfridus, Gualcarius, Odilo, Godefridus, Herembordus, Reſtrudus, Adico, Amalfridus, Adelfridus, Ingrannus, Deodatus, Fronulfus, Regembertus, Aſchelo, Berharius, Framericus, Odfulcus, Ermengarius, Fginboldus, Guaringaudus, Bonothus, Gondacher, Odo, Amalricus, Altmarus, Lambertus, Raimbertus, Tulchrannus, Hyſail, Onulfus, Emlinus, Bero, Regemlandus, Alguinus, Rogherus, Leutbrandus, Berlaicus, Salomon, Meginarius, Guilgeradus, Donatianus.

Hæc ſunt nomina Militum Monaſterio Beatiſſimi Richarij famulantium, quos vbique Abbas, vel Præpoſiti ſecum ducebant; quíque conſuetudinaliter in die Feſti S. Richarij, & in Natiuitate Domini, vel in Reſurrectione, ſeu in Pentecoſte, ſemper Monaſterio aderant, accuratè prout quiſque poterat ornati; & ex ſua frequentia Regalem penè curiam noſtram Eccleſiam facientes.

Villas igitur & prædia, diuerſáſque poſſeſſiones & reditus, quæ ex beneficio S. Richarij obtinebant, longum & nimis graue nobis eſt hîc recenſere, maximè cùm volumen hæc diſſerens pleniter apud nos habeatur, à quo ſcientiam horum ſuſcipiat qui noſſe exoptat.

CAPVT IV.

De Abbate HELISACARE.

ABBATE Herico rebus humanis exempto, HELISACAR elegantis gloriæ vir ſucceſſit in gradu Abbaticio; quem ferunt Gemmetici quoque Monaſterij fuiſſe Rectorem, ob illam, quæ longè ſuperiùs à nobis commendata eſt, mutuæ dilectionis fraternitatem. Hic magnæ ſanctitatis ſtudijs pollebat, & in tantam profecit ſummæ religionis ſeueritatem, vt ab ingreſſu Monaſterij omnimodum

modum arceret feminarum acceſſum. Magnæ igitur ſanctitatis merito Domino complacuit, & vt ex ipſa rerum euentu perpenditur, ipſi ſancto Confeſſori carus permanſit: quia illius tempore ad ſui ſacratiſſimi corporis tumulum, Deo præſtante, magna obtinuit fieri miracula, quorum aliqua ad Domini Dei noſtri laudem hîc ponenda ſunt. Et vt ſciatur, omnipotens Deus in præſtandis miraculorum beneficijs, non ſola ſemper Sanctorum ſuorum merita, vel petentium intueri credulitatem, verùm etiam aliquando conſiderare cernentium dignitatem: dignitatem dico non honoris altitudinem terreni, ſed mentium ſinceritatem; ne enim miracula ante oculos noſtros fiant, non ſola impedit petentium fidei puſillanimitas, ſed & noſtra flagitia obſiſtunt, quibus dum fœdi Dei obtutibus exiſtimus, magna videre indigni habemur. Magnus itaque hic Venerabilis Abbas vitæ merito fuit, cui omnipotens & pius Dominus per glorioſa ſui fideliſſimi famuli Richarij merita magna videre conceſſit. Hæc ita ſe habent.

Quidam pater familias in Burgundia diuitijs valde inclytus, ſed liberis priuatus, vnicam filiam, quam ſolam habebat paralyſi poſſeſſam, quámque per multa Sanctorum loca gratiâ recipiendæ ſanitatis geſtauerat, viſione admonitus ad Venerabile ſancti Richarij templum detulit cum multo comitatu; ibíque in feſtiuitate Sancti, quæ VII. Idus Octobris colitur, ſubſtitit, promiſſam cælitùs filiæ opperiens ſaluationem. Et quia mos in illo tempore, inſtituente prædicto Abbate Heliſachare, erat, ne limina Monaſterij fœminæ attingerent, ipſa introferri non potuit, ſed obpanſis extrinſecus tentorijs manſit. Ipſa igitur die poſt peracta Miſſarum ſolemnia, Fratres caritatis gratiâ, & honoris obtentu, ex vinatico ſancti Richarij homini mittunt benedictionem. At illa quam dira paralyſis poſſidebat, & quæ nunquam locuta fuerat, vel ori cibum intulerat, ex ipſo vinatico vt bibit, tantam ſtatim ſanitatem recepit, vt illicò exiliens ceteris præ gaudio ipſa miniſtraret, & amorem Sancti laudémque omnibus inculcans, non vt infirma, ſed vt verè ſana equitando remearet

In Villare viculo fuit quædam animarum muſcipula

meretrix ſcilicet Olgia, quæ Deo ſibi digna rependente omnium membrorum contractionem & tortionem pertulit, adeò vt ipſa facies more inſolito retrorſum aſpiceret: quam ſui miſerantes propinqui ad peritum archiatrum Richarium deduxerunt; ibíque omninò ſaluata eſt: verumtamen corpore ſanato animus voluntate languebat, dum in priſtina ſe facinora volutaret. Hoc autem eius factum, diuinum non latuit oculum, ſed repetitâ nequitiâ repetitum eſt & judicium. Ad inſtar ergo prioris mali contrahitur, & quod majus eſt, loquendi facultate priuatur: tunc parentes eiuſdem non deſperantes de potentia medici, reportauerunt eam ad ſuffragia patroni. Sanatur itaque & emendatur; ne ſi ampliùs peccaſſet jam deſperatiùs puniretur. Sunt verò & alia multa & magna, quæ referre poteramus, ſed quia libellus hæc dignè explicans noſtris armarijs tenetur, hoc loco iſta ſufficiant: aliàs alia dicentur.

CAPVT V.

De Abbate RIBBODONE: *& translatio Sancti Angilberti.*

HELISACHARE venerabili non multis in regimine annis perfuncto, atque de hoc ſæculo nequam erepto, RIBBODO Abba ſplendidus Centulæ congregationem ſua paſtoralitate ornauit: quo Cœnobij curam adminiſtrante, HLODOGVICVS diuæ memoriæ Imperator cùm regnaſſet annis XXVI. moritur anno Dominicæ Incarnationis
840. DCCCXL. Indictione III. Qui inter magna Regaliáque quæ geſſit opera, Conſtantinopolim dicitur adijſſe, & inde magnas atque mirificas Reliquias detuliſſe; quas per ſancta loca diſpertiens, poſteris honorandas tradidit. Et quia ſancti Richarij Eccleſia nulli tunc temporis Gallicanæ Eccleſiæ honore & gloria, ſeu religione habebatur inferior, ex eiſdem Reliquijs magnam huic loco indulſit partem; hoc eſt, Caliculam * Domini Chriſti, ſummitatem acuminis lanceæ, qua eiuſdem Domini latus fuit apertum; decem lapides Beati Protomartyris Stephani perlitos ſan-

* Caligulam, *vt infra.*

guine, quibus idem Martyr fuit trucidatus: ampullam quoque eius sancto sanguine plenam.

Genuerat autem idem Augustus ex ERMENGARDA Regina tres filios, id est, HLOTHARIVM, PIPPINVM & HLVDOVICVM: ex IVDITH verò Imperatrice genuerat Karolum gloriosum Regem. Itaque post obitum genitoris lites inter fratres exoriuntur, dum vnusquisque sibi imperium exoptat. Dum hæc agerentur, & res in contrarium iret, decernitur vt inito inter se prælio, Rex vel Imperator haberetur, cui fors ministrasset victoriam. Hlotharius ergo adjuncto sibi Pippino, contra fratres suos Karolum & Hludouicum exercitum duxit in pago Autisiodorensi, in loco qui dicitur Fontanetum, ibique Franci cum nationibus sibi subditis mutua se cæde prosternentes, ad vltimum Hludouicus & Carolus fugato Hlotharió triumphum adepti sunt. Ludouici Pij quatuor fil.

RIBBODO, vt dictum est, tunc Centulo Monasterio Abbas præerat, qui videns sanctissimi Angilberti Abbatis corpus sanctum eo loci quiescere, vbi Ecclesiam ingredientes necessariò incedebant, & nimium molestè ferens talem tantúmque virum quotidiano populi accessu calcari, reputánsque esse justum vt homo Dei intra Dei domum pausaret, leuauit eius membra sancta, & transtulit ea intra Basilicam sancti Richarij die Nonarum Nouembrium. Requieuerat in loco priori annis XXVIII. & tamen Deo faciente, qui seruis sui meritum ostendebat, ita integrum & absque corruptela sanctum eius corpus inuentum est, ac si ea hora anima illud depositisset. Odor etiam miræ suauitatis ibidem exuberasse affeuerat. Huic certæ rei testimonium ferunt Francorum historiæ; ex scilicet quæ illius temporis facta commendant. Nam cùm aliquando quidam libellus in manus nostrorum deuenisset, post quædam alia de S. Angilberto hæc inibi scripta notauerunt. Mortuo Hludogoico Imperatore Karoli Magni filio, tres eius filij, &c. * indissoluto repertus est. Idem etiam liber superiùs aliquid repetens, de ejusdem nobilitate pauca subinfert, dicens; Fuit hic eo tempore ortus haud ignotæ familiæ. Madhelgaudus autem, Richardus, & hic de vna progenie

* Vide vitam S. Angilberti & Nithardi.
* Hic aliqua desunt.

Digitized by Google

fuerunt, & apud Magnum Karolum meritò magni habebantur ; qui Angilbertus ex eiuſdem Regis filia nomine BERETHA, Harnidum fratrem meum, & me Nithardum genuit. Centulo opûs mirificum in honore omnipotentis Dei ſanctíque Richarij conſtruxit ; familiam ſibi commiſſam mirificè rexit : hinc poſt vitam omni felicitate defunctam Centulo in pace quieuit. Is ipſe Nithardus Domni Angilberti filius Cœnobio huic præfuiſſe aſſeueratur poſt deceſſum patris : quíque cùm pauciſſimis diebus miniſtraſſet, bello interfectus, juxta patrem ſepulturam meruit. At cùm ibi aliquantis annis pauſaſſet ; jamdudum tranſlato corpore S. Angilberti in Eccleſiam, quidam deuoti poſuerunt corpus eiuſdem Nithardi in patris ſarcofagum. In loco igitur, vbi à Domno Ribbodone ſanctus poſitus eſt Angilbertus epitaphium poſitum eſt.

CAPVT VI.

Priuilegium CLOTHARII.

POST illud, quod ſuprà diximus, cruentiſſimum prælium, pace inter fratres facta, diuiſerunt ſibi ipſi Francorum Imperium. Et Lotharius quidem accepit Regnum Romanorum, & totam Italiam, & partem Franciæ Orientalem, quæ ab eodem mutuato nomine Lotharingia vocatur, totámque Prouinciam. Porrò hic Hlotharius ante patris ſui obitum decem & octo annis vnctus fuerat ad Imperatorem. Hludouicus verò præter Noricam quam habebat, tenuit Alemanniam, Toringiam, Auſtraſiam, Saxoniam, Hunorúmque Regnum. Karolus verò medietatem Franciæ ab Occidente, & totam Neuſtriam, Britanniam, & maximam partem Burgundiæ, Gothiam, Guaſconiam, & Aquitaniam.

CAPVT VII.

De Abbate LVDOVICO.

844 ANNO Dominicæ Incarnationis DCCCXLIV. regnante Karolo anno IV. Indict. VI. Præſule Romanæ

Digitized by Google

Eccleſiæ Sergio Papa, Ribbodone Centulenſi defuncto Abbate, eiuſdem Cœnobij curam ſuſcepit glorioſus vir LVDOVICVS, tam diuina quàm ſæculari prudentia ornatus. Iſte ex Regali proſapia oriundus fuit, & nobilitatem præclari generis in nobilitatem tranſtulit Religionis: vt ſicut ſui parentes, cognati, vel fratres purpura & diadematibus refulgebant, ſic ipſe in oculis Dei animi virtute ſplenderet. Verùm antequam Abbas factus fuiſſet Fratres noſtri Cœnobij Regiam pietatem adierant, eíque Diui Auguſti Hludoguici præceptum, quod ſuper villis Sancti huius auctorizauerat, oſtenderunt, ſupplicantes vt idipſum & ipſe faceret, & ſuper eiſdem villis ſuæ poteſtatis præceptionem proferret. Karolus itaque occidentalis Franciæ Rex, à quo hæc poſtulabantur verenter aſſenſit, & ſeruis Dei fauens, ſuæ præceptionis auctoritatem eiſdem tribuit, his verbis deſcriptam:

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, KAROLVS gratia Dei Rex. Si ſeruorum Dei juſtis & rationabilibus petitionibus benignitatis noſtrę aſſenſum præbemus, Regię Celſitudinis opera frequentamus, ac per hoc faciliùs nos æternæ beatitudinis gloriam adepturos liquidò confidimus. Quocirca nouerit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ Fidelium, atque noſtrorum, tam præſentium quàm & futurorum ſolertia, quia viri religioſi Monachi ex Monaſterio Centulo, præclariſſimi ſcilicet Confeſſoris Chriſti Richarij, culminis noſtri adeuntes ſerenitatem, obtulerunt præcellentiæ noſtræ glorioſæ memoriæ Domini & genitoris noſtri Cæſaris Auguſti Hludoguici auctoritatem, quâ continetur, qualiter idem Dominus & genitor noſter quaſdam villas ex eadem S. Richarij Abbatia vſibus & ſtipendijs eorundem Monachorum conſtitutas eis conceſſerit, atque vt nullius quandóque Abbatis vel cujuſcunque perſonæ minoratione illis ſubtrahantur, Imperiali præceptione pleniter confirmauerit. Ac proinde orauerunt ijdem Monachi Magnitudinem noſtram, vt eandem Domni genitoris noſtri Imperialem auctoritatem nos denuò reconfirmare vel renouare dignaremur per præcellentiæ noſtræ reſcriptionem. Quorum denique preces clementer audiuimus, & ita illis

„ in omnibus conceſſiſſe cunctis notum eſſe volumus: quin
„ etiam reuerentiæ noſtræ ſcriptum hoc ſpeciali conditione
„ fieri juſſimus, per quod memoratas villas, hoc eſt, Cimino-
„ curtem cum Bronoilo, Aldulfi curtem, Valles, Druiliacum,
„ Nouam villam, Montem Angelorum, Guibrentium, Ba-
„ gardas, Curticellam, Crux, Langoratum, Alregiam, Si-
„ drudem, Niuiellam, Verculf, Concilium, Roconis-mon-
„ tem, Maris, vel quicquid ad ſupradicta loca præſenti tem-
„ pore juſtè & legaliter aſpicere videtur, ſicut à Domno &
„ genitore noſtro ſtatutum eſt, vſibus & ſtipendijs Mona-
„ chorum in præfato loco Chriſto famulantium concedi-
„ mus, atque firmamus: videlicet vt nulli vnquam liceat ab
„ eorum dominio ex eiſdem villis aliquid abſtrahere, aut mi-
„ nuere, aut in alios vſus conuertere, nec paratas, aut lidi-
„ monium aut hoſtilicium, aut alias quaſlibet redibitiones
„ præſumat vllo modo exigere, ſed ſicut dictum eſt, eo modo
„ atque tenore quo à pijſſimo Imperatore genitore noſtro
„ ſtatutum eſt, ita noſtris & futuris temporibus ſecurè illas
„ teneant, & quietè poſſideant: Quatenus coſdem Dei ſer-
„ uos in præmiſſo Monaſterio Domino militantes pro ſalute
„ eiuſdem genitoris noſtri, & fœlicitate noſtra, & conjugis,
„ proleque, ſiue ſtabilitate regni noſtri, inceſſanter pijſſimi
„ Iudicis miſericordiam implorare delectet. Et vt hæc au-
„ ctoritas per futura tempora inuiolabilem & inconuulſam
„ obtineat firmitatem, manu propria ſubterfirmauimus, &
„ annuli noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Signum KA-
„ ROLI glorioſiſſimi Regis. MEGINARIVS Notarius ad vi-
„ cem HLVDOVICI recognoui & ſubſcripſi. Data XII.
„ Kal. Iunij, Anno IV. Regnante Domno KAROLO Se-
„ reniſſimo Rege, Indictione VI. Actum compendio pala-
„ tio regio in Dei nomine fœliciter, Amen.

Ludouicus Abbas incipiente v. anno regni Karoli Monachos ſuos, quibus nuperrimè prælatus fuerat ad Regem mittit, quatenus quibuſdam villis à ſe acquiſitis, & ex Regio dono perceptis, ſuæ iteratò auctoritatis præceptionem firmaret. Illi obedienter præceptum Abbatis exequentes, Regem Karolum denuò exorant, vt juxta quod ſuus genitor, & ipſe paulò ante fecerat, Regiæ poteſtatis auctori-

Digitized by Google

catem reconfirmaret. Karolus libenter ac placidè obaudiens, quæ orabatur adimpleuit, & in hoc quoque priuilegio illas notauit villas, quas dudum in superiori firmauerat: adjungens illas quæ ex industria clarissimi Abbatis poscebantur firmari, id est, Foresteм cellam, & quidquid ad illam pertinebat, & alia quædam, quæ ipsa carta liquidò pandit, ita se habens:

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. KAROLVS gratia Dei Rex. Si seruorum Dei, &c. *vt in præcedenti.* Qui à benignitate & licentia dilecti propinqui nostri Ludouici Abbatis eiusdem sacri Cœnobij viri religiosi Monachi exMonasterio Centulo, præclarissimi scilicet Confessoris Christi Richarij, culminis nostri adeuntes Sereniratem, &c. *vt in superiori.* Quorum denique preces diuino intuitu, & deprecatione præfati venerabilis & dilecti propinqui nostri Ludouici Abbatis clementer audiuimus, & ita illis in omnibus concessisse, cunctis notum esse volumus, quin etiam reuerentiæ nostræ scriptum hoc speciali conditione fieri iussimus, per quod memoratas villas, hoc est Ciuinicurtem cum Bronoilo & Argonillare, Adulficurtem, Valles, Drusciacum, Nouamuillam, Montem Angelorum, Guibrentium, Bagardas, Curticellam, Crucem, Langaratum, Alteiam quæ Abatis jam vocatur, Conciliū, Verculsium cum feticis in Ragineri exclusa, terrisque ad eampertinentibus: Roconis montē cum feticis & terris in Asflarijs, Sacrocampo, & Petronutio consistentibus, addito manso precariæ Hegfridi post decessum eius, Nigellam, Sidrudem, capellam in villa maris cum Mansis ad se pertinentibus: Insuper & cellam, quæ Forestis vocatur, cum villis ad eam pertinentibus, quas venerabilis Abbas Ludouicus auxit Monachorum stipendijs, quarum hæc sunt nomina: Argubius cum colonia, quæ Romangilis dicitur, & beneficiolum Nortberti & Guicbaldi in eadem colonia sita; & Bonella cum beneficijs Angaltij, & Godolardi: nec non & villa quæ vocatur sanctus Vigilius, cum Berniaco, & Accinicurte, & Euholt. Et in pago Beluacense, in loco qui dicitur Gellis sitici sex, & de vinea aripennes octo: & in Riuirtficurte feticis duobus, & de vinea aripen-

„ pennes ſex, & in Quentuico ſeticis duobus; in Moſultro „ manſum vnum. In Aſco ſeticis tribus; in Auiſnis manſum „ vnum. Ea verò conditione, vt qui beneficia ex jam- „ dictis rebus modò habent, tandiu ea retineant vſquequò „ aut alicubi pro eiſdem beneficiis alia obtineant, aut poſt „ deceſſum illorum, niſi fortè Abbas pro eorum culpa antè „ ab eis receperit, Fratres abſque vlla interrogatione reci- „ piant; & XII. Canonicos in eadem Cella Monachi ſub ſua „ cura & ordinatione in debitis & neceſſarijs ſtipendijs reli- „ giosè cuſtodiant. Ex ſylua etiam, quæ ad eandem cellam, „ quę Foreſtis dicitur, pertinere videtur, quæ neceſſaria in „ vtilitatibus maioris Monaſterij fuerint, diſcretione & ordi- „ natione Abbatis præuideant. Hæc autem omnia, quid- „ quid ad ſupradicta loca præſenti tempore juſtè & legali- „ ter, &c

„ Signum Karoli glorioſiſſimi Regis. IONAS Diaconus ad „ vicem HLVDOVICI recognoui & ſubſcripſi. Data V. Ka- „ lendas Octobris anno V. Ind. VII. Regnante Carolo glo- „ rioſiſſimo Rege. Actum compendio palatio Regio in Dei „ nomine feliciter, Amen.

CAPVT VIII.

Ablatio S. RICHARII, *& Relatio.*

COENOBIO Centulenſi Ludouico præſidente, ob malignorum timorem Danorum, quos ſequana illis alebat temporibus, multa Monaſteria mari finitima ac villæ fœcundæ priſtinum amiſere decorem. Quo rumore & hoc Monaſterium concuſſum eſt, in tantùm vt non ſolùm facultates Eccleſiæ, verùm etiam ipſum intemerabilem theſaurum, ſancti ſcilicet corpus Richarij, contigerit fugam inire. Fratres denique illud tollentes, paucóſque loci cuſtodes relinquentes diſceſſerunt, & tribus circiter hebdomadis diſperſi Monaſterio caruerunt. Dei autem voluntate Danis diſcedentibus aliáque regna petentibus, Fratres retulerunt Sanctũ Domini in proprium locum. Reuertenti patrono occurrunt Patrienſes, de eius reddita præſentia indicibiliter exultantes. Omnipotens ſanè, vt ampliorem

ſui

ſui Sancti cordibus Pontiuorum amorem accenderet, duo magna in ipſo reditu perfecit miracula. Quidam enim nobilis Gotſelmus paralyſi detentus, omnium membrorum officio manebat priuatus. Hic reuertenti ſancto Confeſſori ſuorum auxilio geſtatus occurrit: & mox vt eius lecticam conſpexit, ſtatim omni malo liberatus optatam ſanitatem perfectiſſimè recepit. Alter quidam ignobilis vocabulo Magimbertus habebatur hydropicus, inutilis ad omne opus, & niſi ab alio moueretur, vno ſemper reſidebat loco ceu truncus: hunc quidam alij ſubmonebant, vt Sancto regredienti obuiam iret, & ſalutem ſuam ab illo repoſceret. Negante illo & impoſſibilitatem oſtentante, illi eum accipientes obuiam Sancto tulerunt. Cúmque proceſſio Fratrum referentium Sanctum illis è contra veniſſet, infirmus exclamauit à quodam ſe calcari, & poſtmodùm viſum eſt illi quòd aqua calida perfunderetur, ſícque ex integro ſanatus eſt.

CAPVT IX.

De HRVODOLPHO *Abbate Comite.*

POST aliquot annorum ſpatia mortuo Abbate Ludouico, Abbatia Centulenſis Rectorem habuit egregium virum nomine HRVODOLPHVM, virum Imperialem, & tam diuina Philoſophia quàm ſæculari prudentia ornatiſſimum. Qui cùm eſſet auunculus glorioſiſſimi Regis Caroli, & tamen ſpreta ſæculi gloria Domino vt nobiliſſimus nobiliter deſeruiret, à Fratribus Centulenſibus, quorum ſodalis in propoſito erat, Abbas eligitur. Quíque cùm hoc officio Regis precatu functus fuiſſet, eiuſdem Regis Caroli, ſui ſcilicet nepotis, dono & prece Comitatum maritimæ prouinciæ ſuſcepit: quia erat, vt diximus, non ſolùm ſtudiorum ſpiritualium, ſed & humanæ prudentiæ peritiſſimus. Ornabatur itaque noſtrum Monaſterium Hruodulpho Abbate, refulgebat res alternatim publica Hruodolfo Comite. Huius largitione Eccleſia noſtra villas tunc optimas promeruit ſex, quæ in ſequentibus notantur. Qui etiam Monachos, ſicuti anteriores Abbates fecerant,

Hæc in margine MS. exarata. Poſt Dominum Ludouicum præfuiſſe dicitur Dominus Nithardus; & quia tum perſecutio grauis inſiſtebat paganorum, etiam maritimæ oræ Comitatum ſuſcepit.

Digitized by Google

ad Regem tranſmiſit, vt ſuper his villis & ſuper alijs de quibus in poſterum calumnia timebatur, ſuæ iterum poteſtatis auctoritatem firmaret, quod & factùm eſt : nam Fratres regiam Majeſtatem adierunt, poſtulatum auunculi deferentes : quibus ille vt ſolebat benignè paruit, & eiſdem tale præceptum confirmauit.

„ In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis CAROLVS „ gratiâ Dei Rex. Si ſeruorum Dei, &c. *vt ſuprà.* Quia vo„ luntate & licentia dilecti Auunculi noſtri HRVODVLFI „ Rectoris Centulenſis ſacri Cœnobij, Monachi ex eodem „ Monaſterio præclariſſimi ſcilicet, &c. Quorum denique „ preces diuino nutu tactus, & deprecatione præfati auunculi „ noſtri Hruodulfi Abbatis clementer audiuimus, & ita illis „ in omnibus conceſſiſſe cunctis notum eſſe volumus. Quin „ etiam Reuerentiæ noſtræ ſcriptum hoc ſpeciali conditione „ fieri juſſimus, per quod memoratas villas, hoc eſt Ciniui„ curtem cum Broniolo, & Arcouillare, Hardulficurtem, „ Valles, Druſciacum cum Eccleſia Cardordenſe, & appen„ dicijs ſuis, Nouam villam, Montem Angelorum, Guibren„ tium, Bagardas, Curticellam, Crucem, Langoratum, „ Alteiam, quæ Abbatis jam vocatur, Verculſum, Conci„ lium cum manſo in Vertunno, quem Theutdradus pro „ quodam Concambio S. Richario dedit : Niallam cum man„ ſionile Filcarijs, Roconiſmontem cum ſeticis & terris in „ Masflarijs, Sacrocampo, & Petronutio conſiſtentibus : „ nec non etiam & Sidrudem cum omnium rerum plenitu„ dine. Inſuper & hoc quod quidam homo nomine Ragem„ bertus jure beneficiario quodam tenuit pro commntatio„ ne Foreſtenſis Cellulæ, quam hactenus per auctoritatem „ præcepti noſtri habentes tenuerunt, ſecundum opportu„ nitatem, eorúmque petitionem, atque conſenſum jam„ dicti Auunculi noſtri Hruodulfi : id eſt, Argubium cum „ appendentijs ſuis, Longum ſuperiorem, Spaniam, Hadar„ di-villarem, Habacurtem, & in Hambiæca-villa Eccle„ ſiam vnam cum manſis duobus, Manſionilem vnum qui „ dicitur Ponticulis, & in Buxide manſum vnum cum ſua „ integritate, & quidquid ad iſta aucta vel commutata, ſu„ pradictáque loca præſenti tempore juſtè & legaliter aſpi-

Digitized by Google

cere videtur, ſicut à Domno & genitore noſtro, &c. "

Signum KAROLI glorioſiſſimi Regis. ÆNEAS Notarius " ad vicem Hludouici recognoui & ſubſcripſi. Data II. Kal. " Martij. Indict. III. Anno XVI. Regni Karoli glorioſiſſi- " mi Regis. Actum in Germiniaco Palatio Regio, in Dei " nomine fœliciter, Amen. "

Hruodulfus igitur Venerabilis Abbas & Comes, poſtquam per aliquos annos Cœnobium cum prouincijs maritimis gubernauit, ſe Deo vocante ex hujus mundi ludibrio emigrauit, percepturus pro fideli adminiſtratione dulcia paradiſi. Fratres verò de eius morte nimiùm triſtes, librum rotularem conficientes direxerunt per Eccleſias, & loca Sanctorum, dilecti Patris exitum nuntiantes; & pro ipſo orari cupientes. Quod ideò placuit memorari, quia ipſius voluminis Epiſtola noſtra ætate adhuc durans inter antiqua monimenta ſancti loci gratam ex ſe Fratribus facit lectionem. Ipſius itaque Epiſtola rolli * talis eſt: *f.* * torulli.

Fratres Cœnobij ſancti Richarij glorioſæ memoriæ om- " nibus Chriſti Militibus. Petimus obnixè Paternitatem ve- " ſtram pro noſtris fraternè geri Defunctis, & veſtrorum " æquè dirigi vocabula mortuorum, diémque aduentus præ " ſentis curſoris ad vos venientis per monimenta Kalenda- " rum ſignificari, ne fallaciæ ſuæ præſtigijs nobis poſſit men- " tiri. Officio verò Abbaticio, ſeu Præpoſituræ, vnà cum " Decaniæ qui fungi videntur pariter intimare ſciat. Obijt " itaque apud nos Domnus HRVODVLFVS Comes, Abbaſ- " que ſimul noſter VIII. Idus Ianuarij. Ideóque rogamus " quatenus pro eo decertetis apud Dominum, vt & vos mer- " cedem habeatis, & ille in congregatione Iuſtorum aggre- " getur, veſtris ſuffultus ſanctiſſimis opitulationibus. Statui- " múſque juſtum eſſe, vt quem Patrem habuimus pijſſi- " mum dulci filiorum amore pro eo pium Dominum inceſ- " ſanter rogemus. "

Digitized by Google

CAPVT X.

De HELIGAVDO *Abbate Comite.*

VNIVERSÆ carnis viam ingreſſo Hruodulfo ſuſcepit HELIGAVDVS Comes Centulenſium gubernationem. Hic ex ſæculari Comitatu tranſijt ad animarum Ducatum. Nam antequam Abbas aut Monachus foret, ſæculo militauit, & etiam vxoratus filium ſuæ carnis reliquit, terræ quidem poteſtatis, ſed non Monaſticæ ſeruitutis hæredem, nomine HERLVINVM, ſimiliter Comitem. Verùm ſi aliquis quærat cur noſtras Rector, Abbas, & Comes inſimul extiterit, reddimus quam antiquiores tradunt hac de re rationem. Eo enim tempore permittente Deo, & peccato Chriſtiani populi exigente, feræ nationes Danorum, aliarúmque barbaries gentium, perſæpe Franciſcos limites peruadebat, & ipſos Reges ac Proceres regno deturbare, & penitùs interimere conabatur. Pontiuus, vel Wimacus, Prouinciolæ tunc Caſtella aut munitiones aut rarò, aut nuſquam habebant, & proinde per has liber ingreſſus ad Franciam hoſtibus exiſtebat: quod etiam in hoc Opuſculo gemino poteſt animaduerti exemplo, quando ſcilicet Domnum Nithardum ſancti Angilberti filium, bello interemptum retulimus, vel quando tempore Abbatis Ludouici ſanctum Patrem Richarium illorum timore hinc fuiſſe ſublatum docuimus. Reuerà autem noſtri aſtipulauere ſeniores, quod & ipſe Nithardus vtriuſque officij miniſter extiterit, & quia expeditioni non relicto regulari ordine inſeruiens, ab hoſtibus ſit occiſus. Cùm ergo horum canina rabies frequenti ſuo aduentu mala grauia orbi Gallico infligeret, viſum eſt Regibus Francorum & Optimatibus vt Abbas Centulenſis, qui magnæ gloriæ magníque nominis habebatur, huius ſedandæ tempeſtatis onus exciperet: quia & in ipſo loco ſancto magnæ generoſitatis viri habitabant, & qui tam pro bonorum immenſitate, quàm pro parentum Militum numeroſitate, magna & fortia aggredi poſſent. Nec enim vnquam aliquis de nobilibus loquens aliud nobilius quæſiuit, ſi ſancti Richarij Monachorum nobilitas

Digitized by

ei nunciata fuit. In hoc enim Cœnobio Duces, Comites, filij Ducum, filij Comitum, filij etiam Regum educabantur: omnis ſublimior dignitas quaquauerſum per Regnum Francorum poſita, in ſancti Richarij Monaſterio ſe parentem habere gaudebat. Tali igitur quâ diximus ratione quidam noſtratum Abbatum Comites inſimul erant & Abbates, qui & generoſæ parentilitatis lumine emicabant, & ſacræ Regulæ ſeruatores, in ipſis etiam exercituum turmis ante Dei oculos habebantur.

Abbas ergo Heligaudus ſimúlque Comes, cùm huius Cœnobij moderator exiſteret, cuidam militari viro Rollenicurtem, & alia quædam, proh dolor! quæ nuper à Duce Hugone noſter receperat locus, in beneficium ſub certi temporis denuntiatione tradidit: cujus facti precaria cartula à nobis habetur, ſed nihil eorum hîc ponimus, quæ non honoris augmentum, quin potiùs materiem doloris præſtarent: qui etiam poſt aliquot annorum exhibitam Abbatiæ Comitatus adminiſtrationem humanis rebus exceſſit: nec Comitatus curam jam Abbatibus agendam reliquit, quia hanc filius eius Herluinus ſuſcepit. Verumtamen huius Heligaudi Comitis leges, quas in ſæcularibus propoſuit, adhuc à prouincialibus tenentur, ſciuntur, ſeruantur.

Anno Karoli XX.

Obijt III. Non. Nouembris.

CAPVT XI.

De Domno GVELFONE *Abbate: & Translatio capitis ſancti Richarij.*

ILLO itaque mortis euentu ſubſtracto, Abbatem habuimus & verè Patrem virum Regali genere procreatum, nomine GVELFONEM. Quantæ verò ſtrenuitatis & probitatis fuerit Domnus iſte, non paucis poteſt explicari relatis. Verumtamen bonitatem illius animo inſitam hinc quiſque lucidè capere poteſt, cùm ſicut ſequentia docebunt, erga S. Richarium fidelis ac deuotus, erga ſubiectos benignus, erga Principes ſemper extiterit amatus. Hic ob expertam in ſe prudentiam, & religioſitatis deuotionem, ſanctæ Martyris & Virginis Columbæ apud Senones ſitæ,

Digitized by Google

ſicut & noſter, Abbas permanſit : Ea autem quæ ſub ipſo eius regimine geſta fuiſſe inueniuntur, referri debent, vt & in his quoque nobilitas viri liquidò perpendatur.

864. Anno igitur Dominicæ Incarnationis DCCCLXIV. Ind. XII. Menſe Octobri, die VI. Kal. Nouembrium, tranſlatum eſt ab ipſo Abbate, vel à Fratribus, glorioſum caput S. Richarij de capſa lignea in capſam argenteam, auro gemmíſque redimitam. Siquidem cùm, vt ſupra dictum eſt, barbarorum impulſu patria vaſtaretur, Fratréſque fugere cogerentur, fecerant capſam ligneam, in qua caput beatum ſancti Richarij condiderant, vt facilè & leuiter ſecum poſſent quaquauerſum portare. Data verò quiete, & hoſtibus fugatis, Odulfus venerabilis Monachus Sancti eiuſdem habebatur ædituus; qui dum ardenti animo ſacratiſſimum Patrem omni honore proſequeretur, ex theſauris Eccleſiæ auro & argento preciosíſque lapidibus abundantiſſimè eam capſam parauerat, vbi cari Patroni caput de lignea tranſmiſſum narramus: quod dum fieret, contigit adeſſe vnum è Monaſterij famulis nomine Geraldum, qui lumine oculorum ante annum & dimidium fuerat Dei permiſſu orbatus; transfertur Sanctus, ille orans ſolo tenus jacet, dum Sancti caput veneranter reconditur, iſtius oculis ſe lux peregrina refudit. At memoratus Cuſtos in ipſam quam diximus capſam multas Sanctorum Reliquias cum Sancti capite repoſuit, de quibus paulò poſt pauca referemus. Sed quia pietas Regum multa nobis contuliſſe deprehenditur, ad illorum facta pauliſper ſtilus reuertatur.

CAPVT XII.

De Regibus: & de Reliquijs quas ODVLFVS *Cuſtos vndecunque meruit.*

IN ſuperioribus recognoſcat nos lector dixiſſe HLVDOVICVM filium Auguſti HLVDOGVICI, poſt habitum cum Fratribus certamen, Noricorum & Alemannorum, Auſtraſiorum quoque & Saxonum ac Hunorum regna percepiſſe, quæ poſtquam XL. & III. annis ſtrenuè gubernaſ-

Digitized by Google

ſet, jámque ſibi de ſepultura cogitandum attenderet, tribus filijs regnum ſuum partitus eſt, & Carlomanno quidem dedit Noricam, id eſt Baioariam, & Marchas contra Sclauos & Langobardos. Hludouico verò Toringiam, Auſtraſiam, Franciam,& Saxoniam dimiſit. Karolo quoque Alemanniam, & Curgualam, id eſt Comitatum Cornugalliæ reliquit. Anno autem Incarnationis Chriſti DCCCLXV Ind. XII. poſt Paſchalem feſtiuitatem hæc regnorum partitio facta eſt. Ipſe tamen Hludouicus ſuper filios ſuos feliciter principatum tenuit poſteà per XI. annos, ſícque mortuus eſt. 865.

Eo igitur anno quo filijs regna contulit, ODVLFVS Cuſtos Eccleſiæ S. Richarij petijt venerabilem HILMERADVM Ambianorum Præſulem, vt ſibi ad honorem Dei, & ob amorem Fratrum ſuorum aliquam portionem Reliquiarum donaret. Quod ei diuina gratia illuſtratus animo ceſſit libenti, atque diem quâ pro eis mitteret ſtatuit. Prædictus verò Cuſtos diſcipulum ſuum Samuhelem Preſbyterum Ambianis miſit, qui perceptas ab Epiſcopo Reliquias Idus Iunij Centulo deportauit. Videlicet ex Caſula ſancti Firmini, quam habuit indutam cùm interficeretur pro Chriſto; & de oſſibus poplitum Beatorum Martyrum Fuſciani, Victorici, atque Gentiani; necnon & partem anterioris digiti famoſiſſimi Honorati Confeſſoris Chriſti. Tunc religioſiſſimi Fratres obuiam è Monaſterio procedentes, & terra tenus adorantes, exceperunt illas cum ingenti gaudio ac ſummo honore, & in capſam quâ ſancti Richarij caput beatum ſeruabatur, repoſuerunt.

Eodem anno petijt ipſe ædituus ſancti Fratres Iudoci, vt ſibi pro caritate ex ipſius Sancti corpore aliquid largirentur: at illi exultantes quod apud ſe haberetur vnde à Centulenſibus potuiſſent rogari, memorato Cuſtodi citiſſimè paruerunt, & medietatem digiti de eodem Sancto ei contulerunt: quem, vt moris erat, noſtrates Monachi honoranter exceperunt, & in capſam ſæpefatam cum ſancti Richarij capite Idus Decembris poſuerunt.

Sequenti etiam anno idem Monachus rogauit à Fratribus Cœnobij Fontanellæ, quod nuperrimè fuerat popu-

latum, vt ex corporibus Beatorum Guandregiſili & Anſberti ſibi & loco noſtro tribuerent quantulamcunque partem. Acceptas ergo ſacras Reliquias legatus æditui, oſſa ſcilicet & cineres, Centulo II. Idus Februarij intulit: quæ à Fratribus cum honore ſuſceptæ, & in capſam ſæpe dictam reconditæ ſunt.

Præfatus Cuſtos Odulfus orauit quandam Abbatiſſam euntem Valentianas ad placitum Karoli Regis, quo ſibi ſuo precatu obtineret aliquid donari ex Reliquijs almi Martyris Saluij à Cuſtodibus eiuſdem Sancti. Quæ vbi ad locum venit, non immemor acceptæ precis, impetrauit ab eiuſdem loci alumnis, quorum Rector erat eiuſdem Abbatiſſæ filius nomine HVGO, ex Reliquijs jamdicti Martyris portionem; ex ſanguine ſcilicet, vna cum capillis eius: ſed & partem manicæ quam habebat veſtitam tempore Dominici ſacrificij; quæ IV. Non. Maij Centulo allatæ, atque à Fratribus verenter exceptæ, ac in præſcriptam capſam honeſtæ conditæ ſunt.

Anno quoque Incarnationis Domini noſtri IESV
866. CHRISTI DCCCLXVI. Ind. XIII. obtinuit Cuſtos ſæpe-
Id eſt, * Bel- dictus apud HVDONEM Belgiuagorum * Præſulem inter-
uacenſium. ceſſu HILMERADI Præpoſiti ſancti Luciani Martyris, quo ſibi aliquid è ſuis Reliquijs dependere dignaretur. Legatus itaque illò veniens, à jamdicto Epiſcopo Reliquias ex capillis S. Luciani, & de veſte eius, nec non de corpuſculo ſancti Iuſti os quoddam accepit, attulitque ad Cœnobium Centulum II. Idus Iunij, quas Fratres cum hymnis & laudibus adorantes exceperunt, & cum capite S. Richarij Pontiuorum Patris condiderunt.

CAPVT XIII.

Priuilegium HLVDOVICI *de Ciuinocurte.*

867. POST hæc verò anno ſequenti Ind. XV. cùm honeſtiſſimus Abbas GVELFO Cœnobium Centulenſe modeſtè ac religiosè gubernaret, Villam ſanctiſſimi Patris Richarij, Ciuinicurtem vocabulo, contigit peditum equitúmve frequenti tranſitu nimis grauari. Quod piùs Rector peruidens,

Digitized by Google

peruidens, & reputans quòd ſi res inſoleſceret, nimietate diuertentium deleretur villa, acceſſit ad Regem Hludouicum, qui ante fermè triennium fuerat à patre Rex ſtatutus *; & deprecatus eſt, vt propriæ auctoritatis præceptione inhiberet, ne aliquis commeantium peditum equitúmve villam jamdictam causâ hoſpitandi intraret, cui Venerabili Abbati vti dilecto parenti Rex jamdictus annuit, & ad eius petitionem tale præceptum firmauit.

* Hoc nuſquam legi.

In nomine Domini Dei æterni, & Saluatoris noſtri IESV CHRISTI HLVDOVICVS miſericordiâ Dei Rex. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ Fidelibus, & noſtris, præſentibus ſcilicet atque futuris, quoniam GVELFO Venerabilis Abbas conſanguineus noſter cariſſimus, ad noſtrã accedens Serenitatem, precatus eſt vt propter hoſpitum oppreſſionem facere juberemus præceptum noſtræ auctoritatis ex villa Fratrum ſancti Richarij nomine Ciuinocurte; quatenus nemo ibi manſionaticum faciat, nec in hoſtem vadens, nec iterans, ſed libera ſit jamdicta villa ab omni oppreſſione hoſpitum, & liberè poſſit ſuis Senioribus deſeruire. Nos itaque eius petitionibus aſſenſum præbentes propter amorem Dei, & reuerentiam prædicti loci, & remedio animæ noſtræ, & ob jamdicti Abbatis Guelfonis cariſ. ſimi conſanguinei noſtri dilectionem, ita & fecimus. Præcipientes igitur jubemus per hoc præceptum noſtræ auctoritatis, vt nullus in prædictam villam ex omni regno noſtro introeat causâ vllius manſionatici ſine voluntate prædictorum Fratrum, ſed liberè ab omnium hoſpitum oppreſſione maneat ſine vlla reſultatione. Si quis verò hoc noſtrum præceptum infringens quippiam ſine licentia Fratrum ex prædictis fecerit, argenti libras XXX. coactus exſoluat. Et vt hæc noſtræ conceſſionis auctoritas per omnia tempora inuiolabiliter ab omnibus conſeruetur, annuli noſtri impreſſione ſubter eam ſigillari juſſimus. AVDACER Notarius ad vicem GAVZLINI recognouit & ſubſcripſit.

Datum III. Kalend. Ianuarij. Ind. XV. Anno II. Regnante Ludouico glorioſiſſimo Rege. Actum Compendio Palatio in Dei nomine feliciter, Amen.

CAPVT XIV.

Item de ODVLFO, *& Reliquijs.*

* *Id eſt*, janitor, *ſeu*, cuſtos, ædituus.

HOc eodem anno, eadémque Indict. Odulfus januarius * ſanctæ ædis Almi Richarij, quæſiuit à Fratribus Senonenſibus ex Monaſterio ſanctæ Columbæ Virginis, coram Guelfone gratiâ Dei vtriuſque loci Abbate, vt per ipſius aſſenſum & juſſionem aliquid ſibi impertirent è corpore prædictæ Virginis. Nam eorumdem Fratrum aliqui tunc temporis Centulo morabantur. Qui precatis libentiſſimè fauentes id ſe impleturos dixerunt, ſi Chriſto protegente proprium incolumes poſſent reuiſere locum, quò poſtquam venerunt, & cæteris Fratribus ſuis Centulenſium preces intimauerunt, reſponderunt illi cum magna deuotione, ſi aliquid ex loco illorum procedere ad honorem famoſiſſimi loci quiuiſſet, cum omni liberalitate ſe tribuere velle. Sumpſerunt itaque ex ſacro corpore Virginis Martyríſque os ex humero quod adhæret ſcapulæ, & ad Cœnobium B. Richarij miſerunt. Monachi autem eiuſdem loci gratificum donum excipientes, & Deo glorificum melos reddentes, repoſuerunt illud in gremium capſæ auro gemmíſque ornatæ, vbi & conditæ ſunt aliæ Reliquiæ cum glorioſo capite Beatiſſimi Richarij.

Eodem Anno Venerabilis HRVODVM Abbatiſſa, Centulenſium caſta dilectrix, attulit ad Monaſterium ſancti Richarij Reliquias Sanctorum Patrum, ſcilicet Aratoris, ſancti Pauli, ſancti Mauri, ſanctíque Saluij Confeſſoris Epiſcopi, quas Fratres eiuſdem loci repoſuerunt 11. Kal. Aprilis in capſam quâ conditæ ſunt ceteræ Sanctorum Reliquiæ.

In eodem verò Chriſti Incarnationis anno contigit quendam è Fratribus noſtris, Samuhelem nomine, limina ſancti Dionyſij attigiſſe, quò impetrauit apud quendam Preſbyterum ciuitatis Pariſiacæ quoddam oſſillum ex corpore ſancti Viti Martyris; quod etiam Centulum miſit, quódque à Fratribus XV. Kalend. Maij ſuſceptum,

& in superiori capsa decenter positum est.

Nicolao Papa Romanæ Ecclesiæ præsidente, quidam Almi Richarij Monachus, homo prudens, nomine ANSEGISVS, imperio KAROLI gloriosissimi Regis missaticum tulit ipsi Summo Pontifici, pro communi vtilitate sanctæ vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ. Qui Ansegisus munificentiâ tanti viri honorificè susceptus, & eis propter quæ missus fuerat allegatis, à quodam impetrauit Romano tum prece tum præmio Reliquias Sanctorum. Corpus scilicet, S. Ioannis Martyris penè totum, necnon & brachium S. Papæ Vrbani, Sanctique brachium Alexandri quinti Apostolicæ sedis successoris, simúlque caput B. Fœlicitatis, vnà cum quatuor filiorum eius Reliquijs, atque Reliquias Sanctorum plurimorum, quorum ob multitudinem nomina non recensemus. Has igitur secum referens diuitias, Monasterij proprij intulit gazophylacijs. Examen denique Monachorum obuiam exiens, & pronis in terram corporibus in modum crucis adorans, Kal. Decembris eadem recepit, & cum capite Sanctissimi Richarij honorificè collocauit.

Odulfus venerabilis iterum obtinuit à quodam Sancti Mauricij ministro, qui his forte diebus Pontiuo habebatur, vt ex sacro jamdicti Sancti corpore quippiam percipere mereretur. Cuius probitati ille digna rependens, largitus est ei quandam portiunculam de sacratissimo capite gloriosi Martyris Mauricij, & particulam de camisia sancti Exuperij sanguine infectam, qua vestitus erat quando pro Christo martyrizatus est: quibus reuerenter acceptis, facta est pars capitis sancti Mauricij cum jamdicta portione interulæ sancti Exuperij, concapsalis capiti Beati Richarij.

CAPVT XV.

Priuilegium KAROLI, *de Hasloas.*

REGNANTE glorioso Rege KAROLO Hludoguici prioris filio anno XXVIII. Indict. I. qui erat Dominicæ Incarnationis annus DCCCLXVIII. Venerabilis Guelfo Centulensium Pater exorauit eiusdem Regis Majesta- 868.

tem, vt villam Hasloas, ſuper Somena fluuio ſitam, ſua præceptione auctorizaret perpetuò ea ratione habendam, vt nullus Abbas, vel quilibet alter, ab illa quidpiam ex appendicijs ſubtraheret, aut aliorſum quàm in vſus Fratrum delegaret. Annuit ei Rex glorioſus; & pro hac ratione tale condidit præceptum.

„ In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, KAROLVS „ gratiâ Dei Rex. Si Fidelium noſtrorum juſtis ac rationa- „ bilibus poſtulationibus, quas prò ſacris locis ſibi commiſ- „ ſis noſtræ ſagacitati intimauerint, aſſenſum præbemus, eáſ- „ que ad effectum perducimus, profuturum nobis ad præ- „ ſentis vitæ curricula feliciùs tranſigenda, & ad futuræ bea- „ titudinis præmia faciliùs obtinenda non dubitamus. Com- „ periat igitur omnium Fidelium ſanctæ Dei Eccleſiæ, no- „ ſtrorúmque præſentium ac futurorum induſtria, quia di- „ lectus nobis GVELFO Venerabilis Abbas Monaſterij Cen- „ tuli, vbi S. Richarius egregius Confeſſor corpore quieſcit; „ vbi etiam turma Monachorum Deo jugiter militare di- „ gnoſcitur, noſtram ſupplicauit Celſitudinem, vt quaſdam „ res eiuſdem Abbatiæ, id eſt, in pago Ambianenſi ſuper „ fluuio Sominæ villam quæ dicitur Haſloas, cum farina- „ rijs & piſcatorijs, & omnibus ſibi pertinentibus, vſibus ac „ ſtipendijs eorundem Monachorum, ad ſui etiam refugium „ deputaremus, & noſtræ auctoritatis præcepto perpetim „ habendam confirmaremus. Res etiam alias vſibus ac ſti- „ pendijs eorundem Monachorum deputatas, & præceptis „ piæ recordationis genitoris noſtri Hludoguici Sereniſſimi „ Auguſti, & noſtris confirmatas, iterum noſtræ Celſitudi- „ nis auctoritate corroboraremus. Cuius juſtis ac rationa- „ bilibus petitionibus fauentes, hoc Altitudinis noſtræ præ- „ ceptum fieri, eiſdémque Monachis dari juſſimus, per quod „ præcipimus atque firmamus, vt omnes res illis deputatas, „ & auctoritatibus genitoris noſtri, & noſtris corroboratas, „ ſicut in eiſdem præceptis continetur, abſque alicujus Ab- „ batis contradictione aut minoratione firmiter teneant, or- „ dinent, atque poſſideant; & præfatam villam quæ dicitur „ Haſloas, cum domibus, ædificijs, terris, ſiluis, pratis „ aquis, aquarúmve decurſibus, farinarijs, piſcatorijs, man-

Digitized by Google

cipijs vtriuſque ſexus deſuper commanentibus, vel ad eandem villam juſtè pertinentibus, plenáque integritate ad ſui refugium deputamus, & hoc auctoritatis noſtræ præcepto confirmamus: ita vt nulli Rectorum eiuſdem Cœnobij liceat ex omnibus rebus quicquam ſubtrahere, aut minuere, aut in alios præter quos conſtituimus vſus retorquere; quatenus ipſi Monachi liberiùs Deo famulentur, & pro nobis, conjuge, & prole, totiúſque regni noſtri ſtatu continuis precibus Dei miſericordiam implorent. Vt autem hæc noſtræ auctoritatis præceptio inuiolabilem obtineat firmitatem manu propria ſubter eam firmauimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum KAROLI glorioſiſſimi Regis. FROTGARIVS Notarius ad vicem GOZLINI recognoui & ſubſcripſi. Data VII. Idus Decembris. Ind. I. anno XXVIII. Regnante Karolo glorioſſimo Rege. Actum Cariſiaco Palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

CAPVT XVI.

Donatio KAROLI, *de Ballis-Villa.*

DEo autem inſtigante, & Fratrum religioſitate id promerente, non ſuffecit iſti potentiſſimo Regi ea indulgere, quæ ſuper prædiorum, & villarum confirmatione poſcebantur, ſed ſua ſponte illa etiam loci victus amore conceſſit quæ nunquam à quoquam rogarentur; tum quia opus non erat reditu abundante, tum quia alia multa præſtantem id non rogare fas erat. Donauit igitur Cœnobio Centulo pro ſuæ remedio animæ villam in pago Beluacenſi ſitam, Vallis nuncupatam, ſuper cuius deditione talem firmauit præceptionem.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis KAROLVS gratiâ Dei Rex. Quidquid locis diuino cultui mancipatis largiendo conferimus, profuturum nobis ad præſentis vitæ curricula fæliciùs tranſigenda, & ad æternæ beatitudinis præmia faciliùs obtinenda non dubitamus. Comperiat ergo omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium, noſtrórúmque, præſentium, ac futurorum ſolertia, quia ob Dei &

» S. Richarij egregij Confeſſoris amorem & honorem, com-
» placuit Celſitudini noſtræ pro noſtrorum abſolutione pec-
» caminum, vſibus & ſtipendijs Monachorum in Monaſte-
» rio eiuſdem S. Richarij, vbi ipſe ſanctus Confeſſor cor-
» pore quieſcit, vbi etiam GVELFO Abbas eſſe dignoſcitur,
» Deo militantium; quaſdam noſtræ proprietatis res & man-
» cipia largiri, & largiendo delegare; id eſt, in pago Belloa-
» cenſi, in villa quæ dicitur Vallis, ſeticum indominicatum
» habentem quadrellos CXXX. & de vineis bunuaria XXX.
» & de arabili terra bunuaria XXI. & de prato bunuaria II.
» & quadrellos XLVIII. & de ſylua bunuaria XX. & de con-
» ciſo * bunuaria V & quadrellos II. & de mariſco * qua-
» drellos CX. & de alnido * bunuarium I. & farinarium I.
» & manſellos IV. habet vnuſquiſque bunuaria III. & alios
» manſellos II. habet vnuſquiſque bunuaria III. & dimi-
» dium Vnde hoc Altitudinis noſtræ præceptum fieri, &
» eiſdem Monachis dari juſſimus, per quod præfatas res &
» mancipia, cum domibus, ædificijs, vineis, terris, ſyluis,
» pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, mancipijs
» vtriuſque ſexus deſuper commanentibus, vel ad eaſdem res
» juſtè pertinentibus, farinarijs, omníque integritate eius
» largimur, & largiendo conferimus; ita vt nulli Rectorum
» eiuſdem Monaſterij liceat ex eiſdem rebus quicquam ſub-
» trahere, &c. *vt ſupra.* Sigillari juſſimus. Signum KAROLI
» glorioſiſſimi Regis. FROTGARIVS Notarius ad vicem GOZ-
» LINI recognoui & ſubſcripſi. Data VI. Kalend. Aprilis
» Ind. I. anno XXVIII. Regnante KAROLO glorioſiſſimo
» Rege. Actum Siluanectis ciuitate in Dei nomine feli-
» citer, Amen.

f * Gallicè, *bois taillis.*

* Pallude Gal. *marais.*

* *Id eſt*, alneto, Gall. *aunaye.*

CAPVT XVII.

Donatio eiuſdem de Berſaccas cum priuilegio.

GVELFO Venerabilis Deo dignus, & omnibus amabilis, vbi comperit Regiam erga ſanctum locum munificentiam, ſimúlque quia, vt jam patuit, eius conſanguineus erat, ex amore ſumens audaciam atque fiduciam, hortatus eſt ſæpefatum Regem Karolum, vt ad laudem &

Digitized by Google

amorem Dei, ac Sancti venerationem Richarij, quem Dei amicum miracula crebra teſtabantur, aliquid adhuc Centulenſibus Fratribus impartiretur, quo & Deum ſibi placabilem per Sancti merita faceret, & eiuſdem loci honorem in aliquo augmentaret, ſalubriter certè inſinuata, ſalubrius ſunt perfecta: nam hortatui dilecti cedens parentis, donauit iterum S. Richario villam juxta Monaſterium poſitam, quæ Berſaccas dicitur, pro cuius largitione tale auctoritatis ſuæ teſtimonium confecit.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis KAROLVS gratiâ Dei Rex. Si locis diuino cultui mancipatis aliquid competentium ſubſidiorum conferimus, id nobis prodeſſe ad Sanctorum eorundum ſuffragia conſequenda, eorúmque precibus ad miſericordiſſimam pietatis Dei clementiam adipiſcendam proculdubio confidimus. Quapropter omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ Fidelium, & noſtrorum, tam præſentium quàm futurorum ſolertia nouerit, quia nos ob emolumentum noſtræ ſalutis, deprecante GVELFONE Monaſterij ſancti Richarij præcipui Confeſſoris Abbate, præcepto noſtræ auctoritatis delegamus quendam locum Berſiaccas nomine in pago Pontiuo, haud ſecus Monaſterio ipſius Confeſſoris, ad luminaria ſcilicet prænotatæ Eccleſiæ perpetuo ritu ſubminiſtranda, & quaſdam res quæ juris ipſius Eccleſiæ eſſe noſcuntur: eo videlicet tenoris pacto, quatenus deinceps ſub manu miniſtrorum luminaria coram præcipuo illo Confeſſore, Reliquiiſque Sanctorũ illic degentium ſint adminiſtrata: vnde hoc Præcellentiæ noſtræ præceptum fieri juſſimus, miniſtróque huic præpoſito dari, per quod prædictas res omnes, cum Eccleſia ſcilicet inibi fundata, & ſyluis, pratis, paſcuis, molendinis, aquis, aquarúmve decurſibus, & omnia quæ ad ipſum locum Berſaccas ſcilicet juſtè & legaliter pertinere videntur, præfato ſancto loco largimur. Statuentes quatenus ex hac opitulatione tria continuè luminaria coram capite ſæpè dicti præcipui Confeſſoris, Reliquiiſque Sanctorum ardeant, & anno vna * tranſlatione Sanctarum Reliquiarum illi conditarum, quæ euenit IV. Non. Decembris, commemoratione Sanctorum, & commercio

* f. * annua.

» ſuorum præmiorum Fratribus ibi Deo militantibus refectio
» cibi & potus congruæ opulentiæ eorum exhibitione ſub-
» miniſtretur, qui res eaſdem in prædicto Monaſterio regen-
» das & ordinandas perceperint. Et nequis ab hodierna die
» & deinceps hanc prædictam villam Berſaccas ab obſequio
» diuini cultus ſubtrahere quocumque molimine attentet,
» aut inde dona, vel quaſdam exhibitiones extorquere præ-
» ſumat, ſed ſicut ſtatutum eſt inuiolabiliter manere con-
» tendat, ante diuinum conſpectum prædicto Patrono &
» Collegis ſuis circumſtantibus precamur, ſed perpetua hu-
» jus ſtabilitatis tranquillitate potiti ipſius loci miniſtri & præ-
» taxata luminaria indeſinenter, & refectionem Fratrum an-
» nuatim adminiſtrent. Et pro nobis, conjuge, prole, regni-
» que ſtabilitate Domini miſericordiam jugiter obſecrando
» depoſcant. Vt autem hæc noſtræ roborationis & largitio-
» nis auctoritas pleniorem in Dei noſtri nomine obtineat ſta-
» bilitatis vigorem, manu propria ſubterfirmauimus, annu-
» líque noſtri impreſſione aſſignari juſſimus. Signum KA-
» ROLI glorioſiſſimi Regis. HILDEBOLDVS Cancellarius
» ad vicem Gozleni recognoui & ſubſcripſi. Data IV. Ka-
» lendas Iunij Indict. I. Anno XXVIII. regnante Karolo
» glorioſiſſimo Rege. Actum Cariſiaco Palatio in Dei no-
» mine feliciter, Amen.

CAPVT XVIII.

De Miraculis S. RICHARII.

SED nunc ad S. Patris noſtri opera recurrendum eſt, vt noſtris opuſculis per ſe nimis inſulſis quaſi condimentum diuinitatis ex eis conferatur. Eo enim tempore fœmina paupercula detulit filium ſuum ante annos quatuor natum ad ſuffragia Patroni noſtri, jam per duos annos omni corpuſculo contractum; & vbi pio medico eius cauſam commiſit, illicò virtute meritorum Sancti amiſſam recepit ſanitatem. In Wilcaſſino pago homo grandæuus & pauper habebatur in villa Floriaco, cui à die natiuitatis in reliquum fuerat negata omnimodi ſermonis facultas. Huic diua miſeratio in viſu perſuaſit Sanctum requirere Richarium,

rium, vſum loquendi illum poſſe dare confirmans. Credulus ille dictis intimatum requirit archiatrum : quo inuento cœleſte mox ſenſit antidotum : nam in ſancti Patris ſolemnitate damnata taciturnitate natiua, linguæ loquacis accepit officia. Puer nomine Dodigerus mutato jure naſcendi in hanc lucem contractus, & diſtortus confuſo membrorum ordine proceſſit : fuit verò Rotomagenſis indigena territorij. Verùm eius genitor multiformi nuntio cognoſcens potentiam & pietatem Pontiuorum Patroni Richarij, & ſe eius beneficijs vti poſſe non deſperans, ſuſtulit illum ad Cœnobium noſtrum in Sancti magna feſtiuitate. Et quia fidem habuit, ſpes eum præſumpta non fefellit : Nam cùm in Eccleſia aſtans filium in brachijs teneret ſuperno reſpectu ſanatus eſt. Contigit eo tempore Danorum cateruam de palatio Domni Karoli regredientem, & Anglicos ſinus repetentem, per hoc Monaſterium habuiſſe commeatum : nemo autem putet iſtos modò fuiſſe, quorum violentijs & priùs & poſtea patria depopulata eſt noſtra, nam iſti gratiâ legationis forſitan pacificæ Regiam petierant Duce ANSLEICO aulam. Itaque in regreſſu hoc ſanctum Cœnobium peruium habentes, gratiâ orandi intrauerant Baſilicam hi quos fides Chriſtiana illuſtrabat, cum quibus vnus intrauit paganiſmi adhuc errore obſeſſus, qui Deo omnipotenti vel Sanctis eius nullam exhibuit reuerentiam, ſed curiosè agens cœpit perluſtrare ſacrarum ædium diuerſoria, volens aliquid videre vnde noſtræ fidei cultoribus poſſet inſultare : quam eius præſumptionem malitioſam diuina extemplò proſecuta eſt cenſura, per quam coactus eſt bono ſuo fieri Chriſtianus, ne ampliùs malo ſuo illi dominaretur Zabulus. Nempe cùm perſcrutata Baſilica exijſſet, & illo vſque veniſſet, vt mari ſe nauigio tranſuehendus committeret, cœpit omni ſua virtute deſtitui, moleſtia etiam corporis & angore ingẽti affatim grauari. Cúmque jam oculos in mortem clauderet, propinqui eius ſortilega indagine quęſiuerũt pro qua re tam fortiter torqueretur. Deprehendunt fuiſſe cauſam, quòd S. Richarij paganus intrauiſſet Baſilicam ; quod ita ſibi videri jam & ipſe fuerat confeſſus. Spondet itaque ſi reddatur ſanitas, ſe Chriſtianorum necem in æter-

num non appetere, & ipſum ritum ſuſcepturum ſe fore: quatuor quoque fila argentea vnúmque aureum, ſuæ longitudini coæqua tendere fecit, & pro deuotione B. Richario mitti rogauit, addito tot candelarum numero, quot ibidem altaria peruiderat: quæ vt fieri ſtatuit, ſtatim propitio Deo totius mali leuamen accepit, & deinceps moleſtiam ex hoc non pertulit.

CAPVT XIX.

De Abbate KARLOMANNO; *& donatio Durcapti.*

IGITVR ſanctiſſimo Guelfone Abbate felici exceſſu mortalia cuncta ſuperante, feliciſſimi noſtrates Monachi Regium Abbatem nomine KARLOMANNVM ſortiuntur, qui bonus boni ſucceſſor extitit. Hic glorioſiſſimi Regis Karoli filius fuit, & Imperialem nobilitatem ſanctitatis & pietatis executione felici animo vicit: qui ab eo tempore quo ſanctum ſuſcepit ordinem omni humilitate ſemper itatenus fulſit, vt ipſa ſumma & excellens generoſitas nullã in eo conciperet mentis ignobilitatem; ſed ſicut genere ita & virtute magnificus Paſtor eligeretur; quippe qui ſuo ſplendore ad ſe traxerat dignitatem. Nemo autem indignum putet quod dicimus Regis filium noſtrum fuiſſe Abbatem, quoniam tunc temporis S. Richarij Abbatia omnium rerum affluentia, & ipſius dominationis elegantia, & certè militarium virorum ſeruitijs cujuſpiam Epiſcopi præcellebat dignitatem. Poſtquam verò is Abbas ſtatutus eſt, placuit ei genitorem Karolum adire, & vt pro ſui amore S. Richarij bona augeret, rogare. Vadit itaque dulciſſimus filius ad cari curiam genitoris, & quid animi habeat confitetur. Pater amplectitur filium, percipit vota, & contra ſæcularis potentiæ conſuetudinem exultat ſe videre filium Monachum & Abbatem, qui certè facilè potuiſſet Ducatus vel Regni infulis decorari. Exultat Karolus de filio quòd caduca contempſerit; lætatur & filius quòd patrem ſuo propoſito non aduerſantem, quin omninò fauentem attendit. In illa verò militum deſcriptione quæ ſuperiùs inſerta eſt, inuenitur Hungarius Miles Durcaptum villam ex beneficio

Digitized by Google

Centulenſis Abbatis Herici tenuiſſe; qui quoniam mortuus erat, nullúmque heredem, qui contrà tenere eam poſſet, reliquerat: ſi quidem tanta noſtrorum auctoritas, tantúſque timor ac reuerentia habebatur, poſtulauit Abbas Karlomannus, vt jamdictam villam Durcaptum præceptione ſua ſtabiliret genitor pius, quatenus nec beneficiariè, nec alio modo à dominio Fratrum cuilibet data ſubtraheretur, ſed ſancto Monaſterio propriè deinceps ſeruiret. Vt hæc autem peteret, ratio fuit talis: Domno adhuc viuente Guelfone donauerat idem Rex ſancto Richario villam Berſaccas, ſtatuerárque etiam ſcripto, vt ex reditu eiuſdem tria in perpetuum ante glorioſum Sancti Richarij caput luminaria arderent: hoc autem addendum cenſebat Karlomannus hic Venerabilis Abbas, vt etiam ad pedes Patroni eximij tria itidem ex dono Patris luminaria ſemper arderent, & omni nocte ante vnumquodque Altare vna lampas ſtatueretur: quod & factum eſt: nam glorioſus genitor dilecti nati poſtulatis aſſentiſcens, quicquid rogarat velociter mandat impleri, tale ſuper his edictū confirmans.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. KAROLVS « gratiâ Dei Rex. Cùm precibus Fidelium noſtrorum de- « bitè faueamus, conſequentiùs procul dubio videtur, vt pijs « monitis liberorum noſtrorum aſſenſum præbere ſaluberri- « mè non abnuamus. Igitur nouerit omnium ſanctæ Dei Ec- « cleſiæ Fidelium, noſtrorúmque, tam præſentium quàm « & futurorum induſtria, quia Dilectiſſimus filius noſter « KARLOMANNVS Monaſterij ſancti Richarij Abbas, ad no- « ſtram accedens magnificentiam ſuppliciter expetiit, qua- « tenus per auctoritatis noſtræ præceptum ad luminare ipſius « ſacroſancti Confeſſoris Chriſti Richarij, quandam villam « ipſius Eccleſiæ, Durcaptum nomine, quam HVNGARIVS « jure beneficiario quondam habuiſſe dignoſcitur, cum om- « ni ſua integritate concedere, & conſentire ad ſeruiendum « Deo jugiter dignaremur. Cujus precibus ratis & ratio « nabilibus aſſenſum præbentes, hoc Celſitudinis noſtræ « præceptum fieri, & altari jamfatæ Eccleſiæ dari juſſimus, « per quod memoratas res cum pleniſſima ſui integritate, « cum terris ſcilicet cultis & incultis, ſyluis, pratis, paſcuis, «

» molendinis, aquis, aquarúmve decurſibus, & vniuerſis
» legitimis terminationibus ſeu appendicijs; hac conditione
» perpetuo ritu famulandas * concedimus, quatenus ad pe-
» des ſanctiſſimi Confeſſoris, pro nobis, próque anima quon-
» dam cariſſimæ conjugis noſtræ YRMANDRVDIS, ſeu & pro
» prædicto cariſſimo filio noſtro Karlomanno & Fratribus
» eius, tria luminaria olei aſſiduè ardeant. Inſuper huic piæ
» inſtitutioni, vt vnumquodque ipſius Eccleſiæ altare pro-
» prium ſingulis noctibus habeat luminare. Addimus in villa
» Encra manſum & molendinum vnum, vſui horum lumi-
» nariorum perpetuè ſeruiendum *. Necnon & in vſibus
» Fratrum in villa Haſloas molendina duo, quæ Notarius
» * in beneficio habuiſſe dignoſcitur: quam villam jam noſtro
» præcepto his ipſis Fratribus integerrimè contuleramus,
» ſeu etiam ad portam ipſius Monaſterij villam Aniſceïas;
» & in Hamangi monte, hoc quod Atto, & Atgerus habue-
» runt, precibus ſupplicantis filij eiuſdem noſtri Karlomanni
» perpetuè ſeruiendum conferimus, conferentéſque conce-
» dimus. Præcipientes ergo jubemus, jubentéſque omni-
» modis rogamus, vt nullus per ſucceſſionem Abbatum, Re-
» ctorúmque Abbatiæ huius res prædictas in nullos alios re-
» torquere audeant, ſiue attentent vſus; ſed propria ſtabi-
» litate his, quibus ſtatuimus deſeruire concedant, atque
» conſentiant nemine refragante, locis; quatenus hac diſpo-
» ſitione, ſanctíque Confeſſoris Chriſti Richarij prece, Do-
» mini miſericordiam habeamus propitiam, & anima con-
» jugis noſtræ Yrmindrudis perpetuam obtineat quietem, &
» filij noſtri jugem ſtabilémque ſalutem. Vt autem hæc no-
» ſtræ aſſenſionis ſeu roborationis auctoritas firmiorem per
» futura tempora obtineat ſtabilitatis vigorem, manu propria
» ſubter eam firmauimus, & annuli noſtri impreſſione aſſi-
» gnari juſſimus. Signum KAROLI glorioſiſſimi Regis HIL-
» DEBOLDVS Notarius ad vicem GOZLENI recognoui & ſub-
» ſcripſi. Data XVIII. Kal. Februarij. Ind. III. Anno XXX.
» regnante Karolo Rege, & in ſucceſſione Regni Lotharij
» anno I. Actum Aquiſgranij Palatio in Dei nomine feli-
» citer, Amen.

* *Id eſt*, famulaturas.

* *ideſt*, ſeruituros.

* *forté*, Rothardus.

Digitized by Google

CAPVT XX.

De Regibus Francorum: & de Guaramundo Pagano, ſub quo Eccleſia noſtra combuſta eſt.

MVLTIS & grandibus Karoli Regis beneficijs huic loco, vt jam clarum eſt, impenſis, juſtum videtur de temporali eius felicitate paucula recitare; vt quia quàm liberalis fuerit erga loca Sanctorum, noſtri loci exemplo monſtrauimus, quantùm à Deo ſit exaltatus recenſeamus. Anno regni ſui XXXVI. Italiam pergens ad limina Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli causâ orandi peruenit, ibíque ab omni Romano populo Imperator eligitur, & à Ioanne Papa in Imperatorem conſecratur VIII. Kal. Ian. Anno Incarnationis Domini DCCCLXXV. Indéque Galliam proſperè reuerſus eſt. Hic præter ea quæ dudum conſtructa ampliauit, aliqua ſancta loca inſtaurauit; quibus hodiéque Chriſti laus & gloria pollet decenter. Anno quoque Regni ſui XXXVIII & Imperij inchoante III. Italiam iterum perrexit. Inde dum repedat, tranſcenſo Ciniſo monte, præſentis luminis caruit viſu III. Non. Octobris Ind. X. Anno Domini noſtri IESV CHRISTI DCCCLXXVII. ſucceſsítque in regno filius eius HLVDOVICVS. Præterea Karlomannus eiuſdem Karoli filius Centulenſium Abbas decurſo præſentis vitæ curſu feliciter migrauit è ſæculo.

AVREA ſceptra tibi ſors KARLOMANNE *parabat,*
Vt morum, generiſque ſimul probitate cluenti.
Omnia ſed ſpernens nihilum quandóque futura;
Gaudes æterni geſtans inſignia regni.
Hæc ſunt, Chriſte, tuis quæ donas præmia Sanctis,
Vt te percipiant, qui te ſuper omnia quærunt.

Porrò frater eius Rex HLVDOGVICVS, anno regni ſui II. nec dum expleto mortuus eſt Compendio Palatio V. Idus Aprilis.

His ſanè temporibus, qui poſt Venerabilem Karloman-

877. *Quæ hîc annotantur in margine cod. MS. extabãt.* LECTORI. Hæc quæ de hoc Venerabili Karlomanno feruntur, vera eſſe pro certo compeſimus, quia tantam patris gratiam in tantum offendit, vt poſtmodum ab eodem patre ſuo ſit cæcatus, quia verò qua occaſione ſit factum neſcimus, monemus vt quæratur & ſcribatur inuéta occaſio. *Vide Annales Bertinian. ad ann. 870. & ſqq. & ſequentes huius ætatis ſcriptores.*

num huic sancto loco præfuerint, nulla certa intimat narratio. Fuerunt tamen penes hæc tempora nostri loci Abbates Herebertvs atque Hedenoldvs egregij æquè viri; sed & Hvgo atque Girardvs magnæ sanctitatis viri, qui quantum temporis in regimine protraxerint, quibúsve terminis huius vitæ auram excesserint, nullis antiquorum docemur monimentis.

Abbates & de quibus nihil apud veteres reperitur.

At post mortem Hlvdogvici, filij eius Hlvdogvicvs & Karlomannvs Regnum inter se dispertiunt. His ergo regnantibus, contigit Dei judicio innumerabilem barbarorum multitudinem limites Francię peruadere agente id Rege eorum Guaramundo *, qui multis, vt fertur, regnis suo dirissimo Imperio subactis, etiam Franciæ voluit dominari, persuadente id fieri quodam Esimbardo Francigena nobili, qui Regis Hludoguici animos offenderat, quique genitalis soli proditor, gentium barbariem nostros fines visere hortabatur. Sed quia quomodò sit factum non solùm historijs, sed etiam patriensium memoria quotidie recolitur & cantatur; non pauca memorantes, cetera omittamus, vt qui cuncta nosse anhelat, non nostro scripto, sed priscorum auctoritate doceatur. Enimverò jamdictæ gentes cum nostris oris proximantes omnibus perniciosam indicerent vastationem, Hieremias Monachus, & Thesaurarius sancti Richarij, homo nobilis, nec solùm claustrali, sed etiam sæculari prædirus prudentia, fugæ præsidio vitam seruare disposuit. Ne si ab eis quos venire audiebat inueniretur, atrociter perimeretur, vel alios morientes videre cogeretur. Fecit itaque capsam aliquantæ magnitudinis, quam ne facilè cuiquam pateret, cingulis ferreis firmiter ambiuit. Deinde nullo existente qui contrairet (nam Abbas loci id ipsum volebat, ceterique Fratres similiter fugam parabant) accepit de thesauro Ecclesiæ, vel ornamentis, quæque potuit pretiosiora, & in arcam jamdictam recondidit. A tempore etenim Domni & sancti Angilberti Abbatis in majus semper & melius locus iste excreuerat, & tam forensibus bonis quàm Ecclesiæ thesauris nimis valdè fuerat augmentatus; vnde & multa fuerunt quæ pro timore hinc ablata sunt, quæ hic noster sermo ideò non explicat, quòd

* Gormont.

Digitized by Google

omnia recenſere vt longum ita & graue fuerit: hæc ſunt tamen quæ omni auro cariora & regnis præponenda ab hoc loco per jamdictum Hieremiam ſunt ablata: Caligula Domini Saluatoris quâ tempore ſuæ ſanctæ pueritiæ vſus eſt; nam vnius cubiti habet longitudinem: ſummitas laneæ, de qua eiuſdem Domini latus pro noſtra ſalute jam mortui manu militis fuit apertum, vnde etiam Eccleſiæ Sacramenta fluxerunt: ampullæ duæ in quibus B. Protomartyris Stephani ſanguis habebatur, vnà cum lapidibus decem cruentis, quibus lapidatus eſt à Iudæis: Reliquias etiam Innocentum, Apoſtolorúmque & Martyrum tantas tulit, vt præter illud amabile Beatiſſimi Richarij corpus in comparatione horum quæ tulta ſunt, pauca, aut minima putarentur quæ relicta ſunt. Hæc omnia cum eximijs Eccleſiæ ornamentis jamdictus Cuſtos aſportauit, & in Monaſterium ſanctæ Columbæ Virginis apud Senones recondidit; propter illam quæ tempore Domini Guelfonis contigit amborum locorum vnitionem: quique cùm pro amicitia priſcæ dilectionis, tum pro tanti allationis theſauri officioſè ſuſceptus vti qui probus vir fuiſſet, ibique de reliquo habitare ſtatuiſſet, decedente loci Abbate à Fratribus electus, & eiuſdem Cœnobij Rector eſt inſtitutus; quique cùm huic officio eleganter ſatis miniſtraret, Senonenſi Epiſcopo morte ſubtracto, à Clero & plebe vniuerſa electus, & eiuſdem Ciuitatis Archipræſul eſt ordinatus. Portò cùm tanto gradu polleret, ſuggerentibus Clericis æquum ſibi viſum eſt, jamdictas gloriolas Reliquias in ſuam Eccleſiam transferre; vt quâ ipſe exaltatus fuerat tantorum pignorum receptione æternaliter honoraretur; ſed hæc triſtia nobis ſeponentes ad reliqua tranſeamus.

Cùm populi ſuperuenientes noſtris finibus primùm appuliſſent, exeuntes de nauibus, Vimmacum & Pontiuum Prouincias luſtrarunt, Eccleſias ſtrauerunt, Chriſtianos jugulauerunt, & omnia mortibus & ſanguine repleuerunt. Denique Eccleſiam ſplendidiſſimam B. Richarij quę pro ſui magnitudine vel firmitate deijci non poterat, admoto igne ſuccenderunt, ſublatis priùs omnibus, quæ diſcedentibus Fratribus ex ſupellectili remanſerant Eccleſiæ.

Digitized by Google

Prædictus ergo HLVDOGVICVS Rex in pago Vimmaco cum eiſdem gentibus bellum gerens, triumphum adeptus eſt, interfecto eorũ Rege Guaramundo. Et cæcis * millibus populi infidelis, cæteri fugati ſunt. Dicitur autem quòd in ipſo congreſſu præ nimio feriendi conamine ſua interiora ruperit, ac deinde mortuus eſt. Regnauit autem annos II. menſes III. dies XXIV. Cui ſucceſſit in regno frater ſuus KAROLOMANNVS; & hic quoque annis tribus & dimidio potitus eſt regno, ac deinde in Euuelina ſaltu in Monte Æricoà fera ſingulari perculſus, mortuus eſt. Obijt anno 884. Domini DCCCLXXXIV. Indict. II. VIII. Idus Decembris. Deinde KAROLVS Rex ſecundi Hludoguici filius, quem longè ſuperiùs retulimus Alemanorum & Cornugalliæ Regem fuiſſe, Monarchiam totius Imperij Francorum & 885. Romanorum aſſumit, Anno Domini noſtri DCCCLXXXV. Indict. III. Hunc comperimus erga Dei obſequia promptum, & ad Eccleſias quæ incurſu paganorum dirutæ erant, reſtruendas aliquantulùm è ſuis reditibus donauiſſe. Sed his ita ſe habentibus, ad ſancti loci noſtri hiſtoriam articulum reflectamus.

* f. cæſis adde ex annal. Fuld.

Populus Chriſtianus, qui cædibus gentilium ſupereſſe potuit, ac fideles quique dolentes nimis iſtius loci nobilitatem abolitam, ſtuduerunt qualitercunque agere, vt ſacer locus non omnimodis deleretur, ſed pro poſſe, & pro temporis opportunitate, viuifica Chriſti laus, & Sanctorum memoria iterum in eo celebrari reinchoaretur: & licet officinæ, ſeu Clauſtrum, ſeu omnes dirutæ eſſent Monachorum priſcæ habitationes, altaria tamen & Eccleſiæ parietes inconuulſi perſiſtebant; vnde & reparandi locum ſpes promptior habebatur. Accedebat & hoc, quia quicunque ibidem Domino militaſſet, magnis redituum villarúmque copijs potiretur. Hac igitur ratione, & pia Fidelium curioſitate atque induſtria cœpit locus iterum aliquatenus aptari, & tectis non plumbo vt priùs, ſed ligneis tabulatis qualiter poterant obductis, Clericorum exercitus cum aliquibus Monachis, Deo & Sanctis quotidie ibidem vota laudum ferebant, vno ex clericis nomine Gerberto jure Abbatis eis Abbas XIX. præſidente, quique cùm aliquanto tempore huic loco præfuiſſet,

Digitized by Google

fuiſſet, multis villis & prædijs ac reditibus venditis, vel donatis, vel occupari permiſſis, mortuus eſt apud Buxidem villam noſtræ Eccleſiæ, quæ in ratione proprij victus delegata ei fuerat. Per totum autem tempus quo præfuit, Monachi qui aderant ſemper in omnibus prævalebant, & tum religioſitatis eorum intuitu, tum obtentu fidelitatis erga locum probatæ, forenſis populus eis potiſſimùm deferebat honorem, vnde & Clericorũ facultas & libitus minor omninò exiſtebat. Denique cùm eis diſponendi loci copia maximè, vellent nollent Clerici, traderetur, ad hoc compellere Girbertum nitebantur, vt relicta ſæculi leuitate parem victum & habitum ſuſciperet: illo autem ambiente Prælationis honorem, potiùs relinquere, quàm ſæculi illecebris non ſeruire, Monachi multa erga eum vſi bonitate tribuerunt illi jamdictam Buxidem villam, in qua priuatam vitam exegit, dum & Monachorum ſollertia, Clericorum contubernia pro poſſe à ſe repelleret, & ille vt Monachus fieret nulla conſentiret ratione.

Hoc itaque mortuo, Clericorum & Monachorum Centulenſium primatum excepit Monachus FVLCHERICVS, quia jam in tantùm per Domini gratiam Monachi profecerant, vt contempto ſupercilio Clericorum, è ſuis ſibi & valerent & vellent præponere.

CAPVT XXII.

Ablatio S. RICHARII *ab* ARNVLFO *Flandrenſi.*

POSTQVAM igitur peccatis exigentibus diuinæ juſtitiæ placuit, vt per manum Paganorum, quorum Princeps fuerat Guaramundus, Francia vexaretur, & dirutis multis Sanctorum locis, Centulenſis quoque Eccleſiæ honeſtas & gloria maxima ex parte deleta eſt; multa per Galliam admodùm confusè geſta ſunt, dum defficiente principatu Regio, ceteri Proceres vel populi tanquam filij Belial viarum ſuarum prauitates exercent. Nempe ſi qui Ducum vel Comitum potentiores erant, circumquaque manus inijcere, & vicinas ſibi prouincias vaſtare, ſibíque ſubijcere non ceſſabant. Regnum quoque ſibi vſurpare mo-

liebantur. Ex his ARNVLPHVS Comes Flandrenſis multa inepta agere cœpit, captóque Monaſteriolo caſtro Regio, Pontiuam Prouinciam propriæ ditioni ſubegit. Hanc itaque fraude vt perplura ſolebat adeptus, tranſtulit hinc S. Patrem Richarium, cupiens tam nobile lucrum cum quibuſdam Sanctis propriæ regionis habere. Eo etiam tempore ſanctum corpus Beati Gualarici abſtulit, & in Monaſteriolo caſtro vnà cum ſancto Beatiſſimi Richarij corpore ſeruari præcepit. Poſt aliquot annorum curricula, FVLCHERIVS Monachus, qui poſt Gerbertum Clericum Clericorúmque Abbatem Centuli Monaſterij Rector erat, adijt memoratum caſtrum, locutúſque cum ædituo, qui Sanctorum corpora aſſeruabat, clanculò impetrauit cum maximis xenijs, & infinitis precibus, vt ſibi carus Patronus redderetur. Deſignata itaque nocte Fulchericus equum conſcendit, & toto quieſcente populo foribus Eccleſiæ adſtabat exſpectans: Cuſtos autem ille valde formidans Dominorum animoſitatem, populíque furorem(nam incredibiliter hic noſter Sanctus ab omnibus venerabatur & amabatur) egreſſus Eccleſiam his Fulchericum affatus eſt verbis: Ego quidem tuis precibus, & Domini victus timore Sanctum tibi Richarium reddam, ſed ſi reſcitum fuerit me illum diſtraxiſſe, procul dubio periculum vitæ meæ incurram; vnde neceſſe eſt, vt te cum Sancto recedente, ego quaſi ad furtum debeam exclamare, vt tali arte ignorantiam poſſim ſimulare; tu verò cum Sancto Dei fugam celeriter inibis. Sícque Sanctum ſuo loco reſtituens temetipſum quoque ſeruabis. His ita compoſitis Eccleſiam intrauit, glorioſum ſancti corporis lectum accepit. Cúmque Fulcherici manibus illud voluiſſet tradere, equus cui ſedebat ilicò poplitibus in terram dimiſſis, capitéque inclinato vſque ad ſolum, Domini Confeſſorē qua potuit veneratione adorauit. Fulchericus tali miraculo exhilaratus Beatiſſimum Patrem cum ineffabili gaudio recepit, protinúſque retrocedēs quam citiùs poterat veniebat. At vbi Cuſtos ille intellexit illum jam leucæ ſpatio elongatum, quaſi pro aliqua neceſſitate exurgens, & accenſis luminaribus exclamat, perſtrepit, & multis vociferationibus S. Richarium

Digitized by Google

ſibi furtim ablatum conqueritur. Protinus ergo Eccleſia turbatur, populus accenditur, Principes tali nuntio percelluntur. Continuò milites populíque fugientem ſequuntur, & quia equus cui Fulchericus inſidebat erat candidiſſimus, ob hoc & per tetram noctem faciliùs fugiens agnoſcitur: verùm cum huic jam penè laſſeſcenti adhuc grandis via reſtaret, illíque proximarent, placuit Creatori Domino mirum quiddam operari, quo agnoſceretur huius Sancti fauere relationi. Nam dum Fulchericus peruẽniſſet ad villam quæ antiquitùs Mons Angelorum, ſed ex hac occaſione Nubili-mons vocatur, tanta aëris denſitudo, tantáque nebulæ caligo inſequentes circumſepſit, vt non modò fugientem, ſed nec ſe alterutrum videre poſſent. Erat etiam eis mira itineris difficultas, vt patulè cognouerint veraciter Dei nutu ſe eſſe præpeditos. Videntes verò nihil ſe proficere (nam & Centulæ populus, jam in obuiam currebat) cum ineffabili mœſtitia receſſerunt. Hæc verò Sancti relatio parum valuit, cùm eum Centulenſes diu habere non licuit. Nam Arnulfus idem qui primò, iterum Sanctum ſibi vindicauit, & tanquam cautior factus, non jam in Pontiua patria, quam quandoque perdere metuebat, ſed in fidentiori loco ſibíque vicino, hoc eſt in Monaſterio ſancti Bertini repoſuit, ſimúlque ſanctum Galaricum, vbi longiore tempore quam Monaſteriolo fuit. Longo itaque tempore Monaſterium Centulenſe tanti Patris præſentia caruit agente jamdicti Comitis Arnulfi potentia.

CAPVT XXIII.

De Abbate INGELARDO.

TANDEM placata Diuinitas, & ſuorum precibus inclinata, decreuit glorioſo reditu patrum, filiorum pectora releuare, quæ diuturnis gemitibus grauabantur pro eorum ſublatione: verum Flandrenſi Arnulfo dudum morte prærepto, & eius poteſtatis herede nati filio ſubſtituto, dicto ſimiliter ARNVLFO, Hierarchiam Francorum abſque titulo Regij nominis diſponebat filius HVGONIS Magni Dux inclytus HVGO, qui cùm grauiter ferret patriã

hoſtili acerbitate demolitam, nec minus indignaretur, quòd & Sanctorum corpora, & cætera quæ Eccleſias venuſtant fraude factioſorum ſublata forent proprijs locis, & ad hæc in melius commutanda animum ſedulò præpararet; quadam nocte quieſcenti ei affuit viſio ex præcepto cæleſti, quæ illum repulſis dubietatis obſtaculis animauit perficere, quod pio quanquam ſed tamen timido corde facere diſponebat. Beatus igitur Gualaricus per viſum ei aſſiſtens, ex Dei mandato talia verba profudit: Quid hîc, inquit, facis? Ille hoc percepto ſermone, quiſnam eſſet, cœpit interrogare. Et Sanctus: Ego ſum, ait, Gualaricus Legonai quondam Monaſterij Abbas, & Dei præcepto hæc tuis ſenſibus veni inferre. Venerabilis Confeſſor & coram Deo clarus Sacerdos Richarius vnà mecum ante hos annos extat captiuus, & dolo Arnulfi longè à noſtris diu manemus ſedibus pulſi, jam Deo placet vt te miniſtro obtineatur, téque jubente noſter regreſſus; vt de noſtrorum corporum viſu præſentiáque noſtrorum mœſta refocillentur corda ſeruorum, & vt ij noſtra lætificentur relatione, qui nos poſt Deum gaudent habere pios Patronos. Id celerrimè age, locáque noſtra Clericis aufer, atque in ea vt priùs erant Monachos ſtude ſub regulari norma vnire: quòd ſi hæc imples, promitto tibi ex Dei juſſu per Sancti pia merita Richarij, & mea prece, te fore Regem, prolémque tuam Francigenarum, ſtirpemque tuam regnum tenere vſque ad ſeptem ſucceſſiones. Inclytus igitur Dux volens ocyùs perficere Dei præceptum per Sancti vocem ſic intimatum, accitis Conſiliarijs inquirit quonam modo poſſet inuenire idoneum hominem, cui Centulenſe Cœnobium poſſet committi ad releuandum. Huic inquiſitioni intererant quidam qui nouerãt ſatis hujus Prouinciæ habitatores; quíque Hugoni tale feruntur dediſſe ſolamen. En, inquiunt, Corbeïa retinet virum nobilitate valdè inſignem, cui putamus quod dignè ſatis poſſit committi opus quod dicis: nam parentibus nobilibus, & militia inclytis valde fulcitur; qui cùm in eiuſdem loci vicino & in ipſa Prouincia maneant, propinquo ſuo in Dei opere laboranti auxilium ferre non denegabunt. Audiens hæc inclytus

Dux, támque ſalubri conſilio congratulans, miſit è veſtigio viros honeſtos, qui ab Abbate Corbeïenſi ſuper jamdictum Monachum factam deprecarentur non retardari electionem. Illo annuente vocatur elegans juuenis INGELARDVS, quem adhuc eo tempore ferunt ſcholis ineſſe, quíque ex ipſa die vel hora Subdiaconatus perficiebat miniſterium. Deductus ergo in præſentiam Ducis, accepit curam atque laborem quo ſe inſtante repararetur quantùm valeret hæc Abbatia. Inde ex more Abbas ſacratur, atque accepta Fratrum ac Militum caterua Centulam venit. Sanè Domnus ille ſancti Richarij relator Fulchericus Abbas ſub die VIII. Iduum Nouembrium tranſierat è ſæculo; cuius ſuggeſtu & hortatu aliqui Clericorum Monachilem ordinem ſuſceperant. Abbas igitur Ingelardus Centulam veniens cuncta pro poſſe meliorauit, clauſtra reparauit, non tamen vt antiquitùs fuerant, ſed modo quo adhuc ſtare videntur. Deinde diebus ac noctibus religioni inſiſtens, & congregationem Monachorum augmentans, agebat ſobriè ſibi commiſſi loci prouectum: velle enim habenti difficultas nulla ineſſe poterat; quia magnis villis oppidíſque & reditibus locus abundans facilem cœptis dabat perfectionem. Abbas XXI.

CAPVT XXIV.

Relatio S. RICHARII.

MONASTERIO igitur ex parte reſtaurato habitaculis religioni congruis, cœpit præfatus Dux perquirere, quomodò quod adhuc reſtabat perfici poſſet, vt ſanctus Dei Confeſſor Richarius proprio loco reſtitueretur. Sapienti verò conſilio vſus, dirigit Legatos in Flandriam, mandans ARNVLFO Comiti, vt ſancta Sanctorum corpora proprijs ſedibus reddat; quod ille audiens, & tantis carere nimis ægrè ferens, primò abnuit, dicens non à ſe reddi debere Sanctos, quos ipſe non abſtuliſſet. Reuerſi nuntij obedire nolle Comitem Duci inſinuant. Tunc ille coacta in vnum militum manu fortiſſima, illò ire decreuit quò Sancti erant, volens per ſemet inde ſublatos ad loca

Digitized by Google

propria reportare, Arnulfus autem aduertens non proſperè ſibi ceſſurum, ſi contra Francos juſtos injuſtus agat conflictum, lacrymis humectus, miſit Legatos Duci HVGONI; orans vt patriæ nullam ferat vaſtationem, dirigat tantùm optimos viros qui Sanctos Dei recipientes vadant in pace. Fecerat Arnulfus Comes Beatiſſimis Confeſſoribus lecticas argenteas, vbi cum honore corpora eorum ſancta condiderat: in Lectica verò glorioſiſſimi Patroni noſtri Richarij tales ab eo verſiculi exarari juſſi ſunt.

ARNVLFI *Comitis quaquauerſum facta ſciatis;*
Quæ ſolitus Domino fecerat ipſe pio.
Iſtud RICHARIO *lectum qui condidit almo,*
Collocauit ei membra pudica ſui.

Mittuntur igitur viri inſignes, recipiuntur Sancti à noſtris gaudentibus, & pijs lacrymis atque laudibus Deum magnificantibus: ſubſequuntur ab illis dolentibus, & præ nimia triſtitia voce in altum elata ejulantibus. Cúmque jam ab Hugone Duce, & ab omnibus qui longiuſculè expectabant videri potuerunt quis voces emiſſas præ gaudio, quis dulcium profuſionem lacrymarum affatim queat explicare? Magnitudo quippe gaudij clamoribus modum abſtulerat, dum lætitia pro Sanctorum reditu concepta, in ſingulorum cordibus feruens ſeipſam vix caperet. Acceptis ergo beatorum corporum amantiſſimis capſis, noſtri parumper ſubſiſtunt. Poſt hoc Primores populi, & qui bonæ mentis habebantur, jurare à Duce rogantur, quod de Sanctis corporibus nihil ſubtractum, nihílque eſſet mutatum. Quod cùm illi mente libera & animo hilari perfeciſſent, ſumptis Sanctorum corporibus ad propria feſtinare cum modeſtia cœperunt. Fama autem tam felicis regreſſus vt prouincialium corda concuſſit, extemplò proſilierunt omnes, vterque ſexus, communis conditio, juuenes cum grandæuis, Monachi cum Clericis, omníſque profeſſio obuiam ruunt; ſéque putabat criminis reum qui non occurriſſet. Menſe Iunio, die ſecunda, B. Gualaricus ſuo loco reconſignatur: noſtratis autem Patris regreſſus in ſequentem

Digitized by Google

lucem procraſtinatur. Menſe jamdicto ſæculis ternum * diem fundente, inclytus Hugo accepit Sanctum, per vnam leucam ſcapulis ſuis noſtrum aſportans Patrem beatum, pedibúſque nudis, madidúſque fletu venit ad templum, Chriſti amicum ſui altaris ſedi imponit; interim choris, populóque cuncto gratias Deo, laudéſque Chriſto vociferante.

* tertium.

Anno Incarnationis Domini noſtri IESV CHRISTI DCCCCLXXXI. Ind. IX. III. Non. Iunij * hæc Beatiſſimi Patris Richarij relatio facta eſt. Veruntamen in ipſo relationis itinere quid miraculi contigerit, operæ pretium remur narrare. Huius enim tempore menſes campi flaueſcentes, genitæque ſpicæ largam annonam ſpondent colonis. Beato quoque Gualarico reſtituto propriæ ſedi, cùm ſancti Richarij, vt dictum eſt, reditio in craſtinum ordinata fuiſſet, ipſa nocte moratus eſt Dux HVGO cum exercitu & populo medijs in agris, qui ſcilicet ſegete læta jámque fœcunda erant onuſti. Itaque dum hîc coquina agitur, illic conuiuia celebrantur, dum & humanis corporibus quies ibidem, & jumentis ſtabula coaptantur, dum diutina ſtantium vel jacentium impreſſione deijcitur; dum pecude paſta, & pedibus calcata atteritur, ſpes omnis fructuum meſſori denegatur: tanta verò conculcatione attrita & perdita meſſe cultor non triſtatur, quia Patroni obtentu pro nihilo computatur. Poſtmodùm igitur veniente metendi tempore ſeges diruta & deſperata tam læta & fecunda deſecatur, vt in illius comparatione defenſæ meſſes & ſæpibus munitæ vbertate grani paruipenderentur.

* 981. al. * Iulij.

CAPVT XXV.

Epiſtolæ IOANNIS *Papæ.*

INGELARDVS Abbas auditu & viſu comperiens ab anteceſſoribus ſuis, Girberto ſcilicet & Fulcherico, qui Clericis præfuerant, multas ſancti Richarij terras donatas & diſtractas fuiſſe, aliquas etiam, dum illi tacent nec contradicunt, à fortioribus occupatas, omni ſtudio cœpit ſatagere qualiter Sanctus ſua rehaberet. Quod ex parte per Dei auxilium factum eſt. Aliqui tamen inflatiores, dum in

Digitized by Google

his bonis quæ tulerant Sancto, complacent ſibi, aut ſatis inuiti, aut certè nunquam quæque reddiderunt. Vnde ſagax Abbas non ſolùm Regiam dudum Ducis Hugonis implorauit pietatem, ſed etiam Papæ Romani per ſemetipſum efflagitauit auctoritatem. Nam poſt conſtructam congruam ordini habitationem, cùm videret dura Patrienſium corda nolle Sancto ſua reddere quæ abſtulerant, vadit Romam, nuntiátque Pontifici Summo qualiter Paganorum incurſu famoſum ſancti Richarij Monaſterium depopulatum ſit, & qualiter conſultu Procerum Franciſcorum ſibi ſit delegatus ad reparandum locus, orare ſe, vt quod ſolum præſtare poterat ſuæ auctoritatis excommunicatio hos ſequeretur, qui Sancti bona injuſtè tulta reddere nollent. Apoſtolicus Pontifex ex intimo affectu ei compatiens, & tanti nominis Eccleſiam deletam fuiſſe gemiſcens, annuit ei ſatis benignè; talia Apoſtolicæ auctoritatis mandata ei attribuens, quæ inuaſoribus forent monſtranda.

AD COMITES.

» IOANNES Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ARNVLFO
» Comiti, BALDVINO Comiti cum matre ſua, GOZBERTO
» Vicecomiti, atque ILDIARDÆ, dilectiſſimis filijs noſtris
» ſpiritualibus, omnimodam ſalutem & Apoſtolicam bene-
» dictionem. Monemus vos à prauis operibus recedere, &
» bonis operibus adhærere, quatenus Dei omnipotentis mi-
» ſericordiam conſequi mereamini, & vitam perpetuam ac-
» quirere valeatis. Quapropter Cariſſimi mandamus vobis,
» vt omnem hereditatem quam abſtuliſtis ex Monaſterio
» ſancti Richarij Confeſſoris pro Dei omnipotentis amore
» reddere procuretis. Nam ſi reddideritis, habebitis bene-
» dictionem ſancti Petri, & noſtram: Si autem monitionibus
» noſtris non obaudieritis, ex auctoritate Dei omnipotentis
» & noſtra ſciatis vos eſſe excommunicatos & maledictos,
» & ab Eccleſia Dei, & à Communione omnium Chriſtia-
» norum ſeparatos, niſi ad ſatisfactionem perueneritis.

ITEM

Digitized by Google

ITEM AD EPISCOPOS.

IOANNES Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, GVIDONI Venerabili Epiſcopo, FVLCONI Ambianenſis ciuitatis Venerabili Epiſcopo, BALDVINO Terganenſis ciuitatis Epiſcopo, dilectiſſimis filijs noſtris ſpiritualibus cariſſimam ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si ſoſpitatis copiam, alacritatíſque abundantiam erga vos fore noueri-mus, haud aliter, quàm de nobis ipſis lætamur. Cæterùm mandamus vobis, quatenus pro Dei omnipotentis amore, ſanctíque Petri veneratione, & noſtra interueniente, huic Abbati nomine Ingilardo ſuccurratis, vt Monaſterium ſancti Richarij Confeſſoris per noſtrum & per veſtrum auxilium releuetur. Illis quoque Militibus, qui hæreditatem Monaſterij abſtulerunt, veſtras excommunicatorias literas vnicuique mittere non prætermittatis, vt omnia quæ de prædicto Monaſterio abſtulerunt reddere procurent. In hoc apparebit quòd Sanctam Romanam Eccleſiam diligitis, cùm noſtra deprecatio apud vos venerit, ſi eam adimpleueritis.

CAPVT XXVI.

De prudentia Abbatis INGELARDI.

HIS Abbas INGELARDVS apicibus Apoſtolicis fretus, & benedictione munitus, Galliam reuertitur, & Comitibus quidem ſpecialiter deſignatis Apoſtolicæ Sedis porrigit mandata; Epiſcoporum verò præceptis erga inferiores vſus, rem optimè geſſit; qui videlicet ex auctoritate Romanæ Eccleſiæ nolentes reddere quæ loco ſancto abſtulerant, excommunicabant. Valuit igitur plurimùm hæc ipſius Abbatis ſolertia, & multa prædia multóſque reditus auferens ſubreptoribus, Eccleſiæ Centulenſi viriliter reformauit. Sicut in Terguanenſi territorio Rollenicurtem & Botritium, quæ ſuperiùs leguntur fuiſſe tradita cuidam ab Heligaudo Abbate & Comite; Guatenaas etiam in prædicto territorio, & Buxidem in pago Pontiuo,

quæ ideò auferebatur, quia Girberto Abbati priuatè viuenti fuerat attributa. Alia etiam multa ſibi reddi conualuit, quæ ſi narrarentur tædium generarent. Eccleſias autem multas, quæ priſco tempore ſancto loco noſtro ſeruierant, & quæ nuper à Clericis inuaſæ fuerant, de iniquorum dominorum poteſtate auferens Abbatiæ reſtituit : inter quas Eccleſiam Berellæ reddi fecit ; verùm hoc anteà geſtum eſt. Igitur pro his ſtudijs & laboribus omnibus bonis venerabilis exiſtebat, ſicut in epiſtola quæ ei à Remenſi Epiſcopo miſſa eſt, poteſt ſentiri : quam nos ob emolumentum laudabilium eius operum hic inſerimus.

Hæc in margine codicis MS. adnotata reperi. Arnulfus iſte Remorum Archiepiſcopus filius fuit Regis Clotarij : & quia prodere voluit regnum Francorum Lotharienſibus, ob hoc facto Concilio depoſitus eſt, juſſu Hugonis tùc Regis, dudum Ducis. Cui Concilio interfuerunt & Godiſmannus Ambianorum Epiſcopus, & Ingelardus Abbas Centulenſis.

» ARNVLFVS gratiâ Dei Remorum Archiepiſcopus,
» dilectiſſimo Abbati Domno Ingilardo, affluentiam totius
» ſalutis. Peruenit ad aures noſtras quomodò fideliter labo-
» raſtis in vinea Chriſti ab adoleſcentia veſtra. Videte ergo ne
» poſt portatum à vobis pondus diei & æſtus, denegetur vo-
» bis merces laboris veſtri, glorioſus denarius: manifeſta enim
» nobis eſt reparatio veſtri loci funditùs à vobis reparati, in-
» feſtatione paganorum olim deſerti, per fructuoſam perſe-
» uerantiam veſtram ſapienter exculti. Cauendum eſt igitur
» vobis, vt ſemper detineatis ad vtilitatem veſtri Monaſterij
» Eccleſiam loci qui vocatur Berella, ne aliqua perſona ali-
» qua occaſione vobis eam & Fratribus veſtris poſſit ſubri-
» pere, quam Deus reddidit Caritati veſtræ. Semper itaque
» à vobis cuſtodito oculo veſtræ prouidentiæ, quod Deus po-
» ſuit in veſtra poteſtate vtilitati veſtræ firmiter reſeruate.
» Non deerit vobis, Deo volente, noſtra auctoritas ſi præ-
» clara vobis fuerit veſtra hereditas. Valete.

Tantis & talibus honeſtorum fotus fauoribus, in dies bona fama creſcebat, qui magna virtute rem deſperatam in bonum ſtatum, Deo auxiliante, compoſuit.

CAPVT XXVII.

De Abbatis-Villa, & Incra, & Domno-Medardo.

VERVM quia nihil omni conſtat parte beatum, his duntaxat temporibus, quando corrupta omnia & in peruerſum vniuerſa mutata ſunt, is de quo loquimur

Digitized by Google

Abbas, ſicut quæ perdita fuerant ſtuduit reuocare, ita multa quæ liberè poſſidebantur non recuſauit donare, diſtrahere, inuadiare, tum quòd aliquando eorum quibus dabat conſanguinitate vel ſeruitijs cogebatur aliquid impertiri, tum quòd multas terras deſertas eis partiri erat neceſſe, qui habitabiles eas poſſent facere vel frugiferas: ſed & Reges Francorum circa hæc tempora nobis magna abſtulerunt prædia, quæ foſſatis ambientes, & muris circumdantes caſtella effecerunt.

CAPVT XXVIII.

Aduentus Beatiſſimi VIGORIS *Epiſcopi à Neuſtria in Pontiuum.*

MVLTA verò Dei gratia erga hunc ſanctum locum cœpit vigere, itavt ſæpè per Sancti pia merita Richarij multis daretur ſalus optata. Sanctorum etiam corpora ad perpetuam loci tutelam, Deo jubente, iſtis temporibus nobis & poſteris noſtris veneranda collata ſunt, quorum præſentia & interceſſio contra mundi aduerſa vmbraculum ſecuritatis & protectio manet. Ex his præclarus Pontifex VIGOR vnus exiſtit, qui præeunte Dei virtute noſtras ſedes ex tunc & modò clarus attollit. Quia igitur auctore Deo Beati Vigoris corpore ſanctiſſimo ditari meruimus, dignum eſt vt ad laudem omnium bonorum largitoris Dei & Domini noſtri IESV CHRISTI, quali modo ad nos venerit ipſum Beatiſſimi Præſulis venerabile corpus breuiter depromamus.

Factum eſt cùm Beatiſſimi Vigoris venerabile corpus intra ſui quondam Epiſcopij loca adhuc pauſaret, Neuſtriam patriam contigit barbarorum incurſu adeò vaſtari, vt non modò pompam ſæcularem, verùm etiam decorem Eccleſiaſticum contigerit fœdari. Ea tempeſtate in Baiocenſi Eccleſia quidam Clericus nomine Auitianus matricularius habebatur, qui dum rerum copijs patriam ſolito non abundare, Eccleſiarum quoque obſequia, quæ Sanctis Dei deuotè ſolent exhiberi, penitùs defeciſſe cerneret, ſecum orſus eſt meditari, quonam modo vitæ præſentis

fugeret egeſtatem, reputans ſuo æuo patriam hoſtili acerbitate vaſtatam non poſſe reparari: tali cogitationum volumine circum ſeptus, ratum æſtimauit, ſuæque vtilitati commodum, ſi illum qui ſolus ſupererat Sanctiſſimi corporis B. Vigoris theſaurum aſportaret. Reuera ſciens quòd vbicumque hoc detuliſſet, eius gratiâ bona ſibi præſtarentur. Magis autem noſſe debet Fidelium deuotio, diuinitus hæc eius ſenſibus fuiſſe illapſa, quoniam ſuperna deſtinatio erat implenda, quæ Pontiuorum populum iſto etiam patrono munire diſpoſuerat. Furtiuè ergo Sanctiſſimi Pontificis corpus abſtulit, vbicumque dignè vendi poſſet, ſeu Atrebas vt quidam dicunt illud ferre geſtiens. Hæc ſecùm agens ſolum Pontiuum ingreſſus eſt, habuítque manſionem in villa Centula, quæ antiquitus ex omni ipſa prouincia nobilis exiſtit & clara; quámque Beatus Pater & eximius Confeſſor S. Richarius ſuo olim decorauit exortu, inſignuit exemplo, nunc verò ſuo tuetur patrocinio, ſuíque lætificat ac beatificat corporis præſentiâ. Ad hanc igitur caſu itineris perueniens, hoſpitio receptus eſt à quodam viro nomine Bernardo, qui eiuſdem Clerici conſanguineus ſciebatur: verùm Clericus ſui theſauri conſcius, hoſpitem infinita prece exorat, vt zabernam quæ ſanctis oſſibus erat onuſta diligentiſſimæ atque fidiſſimæ traderet cuſtodiæ, poſt parum temporis quo viſum fuiſſet iter acturus: acceptam verò zabernam Bernardus tali loco ponere eam nititur, quem latrones adire non poſſent, licet omninò neſciret quæ vel quanta res in ea haberetur. Et erat ei in Monaſterio ſancti Richarij arca, ob tutelam ſcilicet quarumque rerum pretioſarum, vt dum domi quædam non audet habere, domicilio pacis tam ſecurè quàm fideliter ſeruarentur. Hujus certè fida cuſtodia theſauro Clerici apta creditur. Sed cùm repoſita fuiſſet zaberna intra arcæ ſinum, pietatis diuinæ bonitas quæ ante ſæcula futurum præuiderat jamjam inchoat operari. Nam quadam vice cùm ſuam arcellam quid neſcio capere volens Bernardus aperuiſſet, vidit totum ipſius arcæ ſinum mira claritate fulgere, ac ſi flammiferis eſſet ſuppleta incendijs: quo viſu perterritus procul ſeceſſit, aliquid diuini à ſuo hoſpite ſibi

Digitized by Google

commendatum reputans. Dein vocans Clericum inquirit quale ſit illud ab illo ſibi commendatum: ille pauens, vtpote qui videbat ſe propalari, non valens tamen celare quod Deus Omnipotens prodiderat, reſpondit ſe magni pretij ac meriti inibi Reliquias habere. Hæc dicens orat etiam ne cuiquam iſta prodantur: ſed cùm neuter illorum tanti arcani quenquam conſcium faceret, egit ſuperna virtus quo celatum omnibus innoteſceret. Fertur verò quòd multi Religioſi cùm in ipſa Baſilica ſecretiùs ſupplicarent, luminaria illic diuinitùs accendi viderint. At nos ſcrupuloſa omittentes, illa potiùs exequamur quæ fideliter comperta ſunt. Die quadam quædam fœmina quid in ipſa arca haberetur neſcia, dum diuinum officium ageretur illò aduenit, ac poſt diutinam ſtationem laſſabunda membra ſuper illam injecit. Quanquam autem è conſcientia culpa non prodiret, quæ nec eſſe culpa putabatur, placuit tamen diuinæ juſtitiæ mirum quoddam operari, vt dum quaſi vindicat ſui Sancti injuriam, merita eius ac dignitatem omnibus patefaciat. Mulieris namque, quæ ſuper arcam innitebatur, veſtis à parte natium accenſa cœpit ardere; cùm ſubitò inſpiciente populo mulier ignis ardore compulſa ab arca reſilit, & loco cui indignè hæſerat faciente incendio ceſſit coacta. Fit continuò clamor cum tremore, & quod in arca aliquid magni eſſet abſque dubio propalatur.

His diebus Cœnobij Centulenſis regimina vir nobilis Ingelardus detinebat; cui cùm fuiſſent relata quæ fecerat mirabilis Deus, illicò nulla mora interueniente inquiri citiùs jubet cujus eſſet arca, erga quam talia gererentur. Reſpondentibus qui nouerant nomen poſſeſſoris, illicò eum miſſo nuntio acciuit: à quo perquirens cauſam mirabilis facti, audit continuò ſuam quidem eſſe arcam, ſuum verò non eſſe quod miraculum feciſſet, eſſe ſibi commendatum vnde tantæ virtutis proceſſiſſet operatio: Sed quia, inquit, diuina dignatio iſtud cæteris portendit, quid etiam mihi demonſtrauerit audiatur. Hæc inquiens ſubſequenter intexuit quod prælibatum eſt, quódque ſatis celauerat: quia ſcilicet cùm aperuiſſet locellum, ſuperna virtus mirum ſplendorem oculis eius ingeſſit. Tantis ergo magnalibus

Abbas Ingelardus feruefactus, omninò decreuit talia non omittere quin studiosiùs perscrutaretur, rogárque hominem vt ad se festinet deducere allatorem tantæ rei. Clericus tum absens erat: sed vbi rediit Abbati citissimè præsentatur: quem Abbas blanda satis allocutione demulcens, hortabatur confiteri quod mente gerebat, se quidem scire quia sanctum erat illud quod zaberna tenebatur, tantùm insinuaret sibi Sancti nomen seu dignitatem. Asserebátque idem Abbas omnia quæ peteret se præbiturum, dummodò sibi panderet tantæ virtutis arcanum. Suggerebat etiam in hoc considerari debere diuinam voluntatem, quæ vtique, inquit, si à nobis nolleт possideri illud sacrum, nullo modo præmonstrasset tantæ virtutis indicium. Sic itaque tam promissis animatus, quàm certa ratione superatus consensit, & S. Vigoris Baiocassinæ vrbis Episcopi se corpus attulisse indicauit. Tunc Abbas multis donarijs animum eius illiciens, meruit tandem vt dato pretio sanctissima ossa reciperet. Hinc Fratribus collectis, & vestibus splendifluis decenter ornatus, cum numerosa plebis caterua, atque cum ingenti lætitia, multóque honore illuc vsque chorus dirigitur: B. Vigoris sanctissima membra proferuntur, ac velut cœlestis thesaurus intra eandem sancti Richarij Basilicam conuenientiori loco diligenter reconduntur. Sed diuina iussio, quæ Pontiuorum gentem ac Centulæ cohortem ornauerat tanto Confessore, non inaniter patitur tempus transire, quin ostendat quanti apud se sit meriti, quem sua gratuita bonitate nostris sedibus voluit inferri. Denique licet in quocunque periculo inuocatus citus sit exauditor, in ipsis tamen incendiorum periculis tam efficacem, támque conspicuum humanis obtutibus inculcat virtutem, vt si quando ignis conualescens, flatibúsque agitatus extingui humana manu non potest, ac sibi quæque propinqua flamma peruadit, dum S. Vigor objicitur, resilire, & quæ jam absumi cœperant nutu diuino Sanctique merito illicò relinquere cernatur: & hoc non semel, non bis, nec ter quidem, sed multoties inspiciente Centulensi populo, in eorum habitaculis factum est. Hæc cùm necessitas exigit aguntur, hæc semper fieri speranter vsque in finem sæculi per Christum Dominum nostrum, Amen.

Digitized by Google

CAPVT XXIX.

Translatio S. MADELGISILI *Confeſſoris.*

CVM Cœnobij Centulenſis Abbas Ingelardus adhuc teneret regimina, inter cætera bona quæ illi contulit pietas ſuperna, Sancti quoque MADELGISILI Confeſſoris meruit habere corporalem præſentiam. Eſt denique vicus in pago Pontiuo, qui vocatur Monaſteriolus *, vbi ipſe Sanctus à die ſui tranſitus deinceps quieuerat; ſed cùm curioſitate fidelium delatum fuiſſet corpus eius Centulam in Monaſterium Sanctiſſimi Richarij, cœperunt quidam ex Monachis quadam ſtoliditate permoti dicere, quod indignum eſſet eius hominis venerari oſſilla cuius ignorarent actus vel vitam. Cúmque hac ratione vel potiùs irrationabilitate aliquoties contenderent, erat antiquitùs Eccleſiola quædam in confinio Centulæ ſub ipſius Sancti nomine dicata, ad quam decreuerunt ipſum ferri debere, dum & ſuæ Eccleſiæ domicilio frueretur, & illum tali modo non cogerentur honorare. Factúmque eſt ita. Cùm ergo illic fuiſſet poſitus ille, Deus qui humilia reſpicit, quíque olim videns Liam deſpectui haberi cauſa deformitatis, dedit ei fœcunditatem, vt prolis ſaltem numeroſitate amari poſſet, quæ ſui vultus fœditate horrebatur: Ille, inquam, Deus cùm videret hunc ſuum ſeruum pro ignoratis vitæ eius geſtis non ſatis amari, vt quanti penderetur meritum illius populis demonſtraret, voluit ſua pietate eo loco multa patrare magnalia, quo eius fuerant membra non ſine deſpectu portata.

* Monſtrolet.

Cùm ergo tam euidenter claruiſſet, verè hunc apud Deum eſſe magnum, cœpit Abbas Ingelardus cum Monachis ſuis pœnitentia moueri, quòd tam claram Dei margaritam quaſi quoddam vile abieciſſent, & quem priùs pro obſcuritate deſpexerat ſanctitatis, cum deuota cordis humilitate & celebri honore diſpoſuit reportare, ad quem amandum & honorandum magnifica Dei virtute inuitabatur. Tunc aggregatis Fratribus cum multo honore, magnáque timoris Dei reuerentia iam dictam Eccleſiolam

expetiuit; præmiſſáque erroris pœnitentia, atque adorato Domino, qui in Sanctis ſuis mirabilis eſt & glorioſus, corpus Sanctum accepit, & Eccleſiæ Sanctiſſimi Richarij cum laudibus reſtituit; quod etiam huc vſque ibidem ſeruatur.

Igitur hæc ſunt glorioſa Sanctorum pignora, quibus præter illas, quæ longè ſuperiùs deſignata ſunt, Centula nobilis decoratur: Sanctum Abbatem & chariſſimum Patrem Richarium ex ſe progenitum primatem læta excolit: poſt quem ſecundo honoris loco apud nos B. Pontifex Vigor veneratur. deinde ille ferax diuinorum mandatorum Caydochus habetur. poſt quem ipſe, de quo modò narrauimus, S. Madelgiſilus decibiliter amatur. Veneratur cum iſtis S. Caydoci ſocius, quem quidam Adrianum vocitant. Inter tantorum merita Beati & Sancti Angilberti Abbatis munimur Reliquiis, Beatarúmque Martyrum Chriſti & Virginum Eleuaræ, Sponſaræ, patrociniis confouemur. Hæ autem Beatiſſimæ Virgines, quantum à prioribus comperimus, Beatæ Macræ Martyris ſociæ & conuirginales extiterunt, & vnà cum ipſa à perſecutore Rictiouaro pro Chriſti nomine Martyrizatæ ſunt.

His Abbas Ingelardus munitus Patronis, híſque aduocatis protectus, multam bonorum abundantiam Deo miniſtrante meruit. Fuerunt etiam ſub ipſo in hoc Sancto loco aliquanti optimi viri, qui & regularis normæ ſeruatores, & eidem in laboribus fuerunt adiutores: horum aliquos pro eorum reuerentia memoramus. Angelrannus, qui cognominatus eſt ſapiens, noſter poſtmodùm Abbas; Guido Foreſtis-Cellæ Abbas; Arnulfus Sancti Iudoci Abbas; Hubertus Foreſtis-Cellæ Abbas; Gualterus cognomento Grimutio, Sancti Saluij Abbas.

CAPVT XXX.

De Prædiis in Hlotharij regno Notkero Leodij Epiſcopo oppignoratis.

IN HLOTHARII regno habebantur aliqua prædia, quæ quia longè poſita non facilè viſebantur, placuit Domno Abbati ea committere Leodicenſi Epiſcopo, tunc temporis

poris Notkero, acceptis XXXIII. denariorum libris, eo tenore, vt ipſe Epiſcopus per xx. annos eorum reditibus potiretur; & tunc redditâ ſibi, vel Eccleſiæ ſuæ, iamdictâ pecuniâ, Centulenſis Eccleſia ſua rehaberet, de qua pactione tale teſtimonium confectum eſt.

IN NOMINE Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis NOTKERVS ſolius Dei gratiâ prouidente Leodicenſis Eccleſiæ aliquantulùm prouidus Pontifex, Catholicæ Matris Eccleſiæ Filiis, tam præſentibus quàm futuris, quibus cenſeri conſtat ſemper profeſſione tenendæ pietatis, notum fieri volumus quam conuentionem ego & Abbas INGELARDVS inuicem habuimus. Habebat ſiquidem prædictus Abbas S. Richarij quædam prædia in noſtro Epiſcopio ſita, v. videlicet manſos in villa Hair, & v. in villa Farmala, ac I. in villa Burſis, & I. in Gledela, quæ nobis oppignorauit, datis ſibi à nobis ex theſauro S. Lamberti XXXIII. denariorum libris, ea ſcilicet ratione, vt nos vel noſtri ſucceſſores annis xx. ſine reclamatione teneremus, ſumpto tantùm vſufructuario cum cæteris redditibus, non alio ſuſpecto fœnore. Annis verò prædictis finitis, quacumque die ille aut quilibet ſucceſſor ſuus nobis vel noſtris ſimiliter ſucceſſoribus memoratum pondus argenti reportando redderet, ſua prædia abſque vllius contradictionis impedimento recipiendo rehaberet. Vnde vt ſic rem geſtam noſtri cognoſcerent poſteri, huius teſtimonij chartulam juſſimus conſcribi, ſignóque noſtro, ac ſignis fidelium noſtrorum tam Clericorum quàm Laicorum, qui nobis tunc temporis aderant, vt prudens petierat Abbas, cenſuimus confirmari. Signum NOTKERI Epiſcopi, S. GODESCALCI Præpoſiti; S. Nithonis; S. Siconis; S. Ecberti; S Frederici; S. Gualteri Militis; S. Hiſerelmi Militis; S. Norberti Militis; S. Odelmi Militis; S. Butſonis Militis. De ſuis autem, S. INGELARDI Abbatis, S. Angelranni Monachi; S. Duodelini Monachi; S. Senardi Militis; S. Heriberti Militis. S. Ruethelini Militis. Acta ſunt hæc Leodij publicè v. Kal. Nouembris.

Hac ſtabilita conditione, Ingelardus Abbas iam reuerſus direxit dictitia ipſi Epiſcopo, poſtulans vt hæc con-

uentio iterum firmaretur, & ne quis futurorum Epiſcoporum illam infringeret, ſub anathemate prohiberet, quo inconuulſa non tantùm chartę teſtimonio ſed & timor prolatæ excommunicationis permaneret. Scripſit autem ita:

„ NOTGERIO Epiſcoporum Præcellentiſſimo, INGE-
„ LARDVS Abbas cum cuncta caterua Centulenſium Fra-
„ trum, plurimarum virtutum & boni operis perſeueran-
„ tiam. Quoniam quidem tuæ beneuolentiæ immenſitas
„ longè latéque diffuſa peruenit ad nos, ſcilicet compatiendo
„ nos expendere ſæpiùs vanum laborem in eundo aut re-
„ deundo, dum nitimur inuiſere quæ ſunt in hac terra Sancti
„ Richarij prædia: habemus gratias, próque tua tuorúmque
„ ſalute diuinis auribus porrigimus precum vota: parati etiam
„ impendere ſi vſus fuerit multimoda corporis ſeruitia. Et
„ quia tantum onus nobiſcum ſupportare dignaris, poſtula-
„ mus vt ſuper hoc negotio ſis ſollicitus, excolens inculta,
„ reædificans deſtructa, quatenus à nobis reddito mutuo à te
„ ſumpto, res ſuas auctas recipiat noſtra Eccleſia à tua indu-
„ ſtria. Suggerimus etiam vt autoritate tibi tradita interdi-
„ cas, ne aliquis aliter quàm ſtabilitum eſt, immutare præſu-
„ mat: vt ſi aliquis tuorum ſucceſſorum, quod Deus prohi-
„ beat, rebus à te bene paratis malè abuſus fuerit, in redden-
„ do argento non ſentiamus diſpendium receptionis. Neque
„ hæc, idcircò quòd ſimus imparati nimis ad ſuſcepta redde-
„ re, ſed quia tenemus ſacræ Scripturæ teſtimonio, quòd
„ permittat Deus impium regnare pro ſcelere, omnia con-
„ tradictionis oſtia cupimus obſtruere.

„ Cunctipotentis
„ Dextera Chriſti,
„ Qui miſeratus
„ Noſtra caduca,
„ Miſſus ab alto
„ Venit ad ima;
„ Ac pretiosâ
„ Morte redemit
„ Noxia vitæ
„ Crimina noſtræ:
„ Te, pie Paſtor,
„ Protegat omni
„ Tempore ſæcli.
„ Sícque pudicè
„ Det tibi totam
„ Ducere vitam;
„ Vt merearis,
„ Exſpoliatus
„ Tegmine carnis,
„ Eſſe cohæres
„ Cælicolarum.

Digitized by Google

Suscipiens verò hæc precata Venerabilis Episcopus, & volens omninò manere inuiolatam conuentionem apud suos successores, iamdicto sæpe talia rescripsit Abbati.

NOTGERIVS Episcopus Leodicensis Carissimo suo INGELARDO Abbati. Quoniam hactenus, mi dilectissime, nihil ex sacrilegio habere cupiuimus, nec cupimus, ne quid, quod quidem absit, ex sacrilegio nostræ Ecclesiæ post discessum nostrum relinquatur, nimia tui deuictus dilectione petitioni tuæ fauentes, quod mandasti prouidus, fieri dignum duximus, ne quis successor meus conuentionem quam inuicem habuimus mutare præsumat in pejus: ideó que notum fieri volumus cunctis Ecclesiæ Fidelibus tam futuris quàm præsentibus, quòd quacunque die tu, aut quilibet successorum tuorum, nobis, vel nostris similiter successoribus, XXXIII. denariorum libras reddiderit, absque vllius contradictionis impedimento sua prædia recipiat Ecclesia sancti Richarij. Quicumque id temerare præsumpserint, ex auctoritate Dei, sanctæque MARIÆ Genitricis Domini nostri, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Beati Lamberti Martyris Christi, sint damnati, anathematisque vinculis obligati.

CAPVT XXXI.

De Villa quæ dicitur Matermortua.

EST in confinio Letgiæ quædam Villa sancti Richarij vocabulo Matermortua *, quam sæpedictus Abbas cuidam, petenti ita habere concessit, vt quandiu viueret, possideret, & post suum decessum vnus suus hæres similiter in vita sua teneret. Permisit autem intuitu laboris qui ex longo itinere accidebat, sumptis à iamdicto Milite centum argenti solidis; ita tamen vt vno quoque anno redderetur census XXV. solidorum. Super cujus firmatione talis confecta est chartula.

* *Metamorte au Liege.*

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. INGELARDVS diuina dispositione Centulensis Cœnobij Abbas ad notiam sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium, tam futurorum quàm præsentium, veniat; quòd quidã Miles nomine HVBERTVS

» noſtram præſentiam adierit, magnopere deprecans, qua-
» tenus ei quandam terram in Lotharij Regno ſitam, quæ
» dicitur Matermortua, jure venditionis concederemus.
» Nos verò ipſius petitioni fauentes fieri dignum duximus.
» Conceſſimus ergo ipſi, atque ſuæ conjugi nomine Algui-
» di, vnique hæredi ipſorum, terram quam poſtulauerat;
» ſumptis ab eo centum argenti ſolidis. Ea conditione, vt
» quiſquis ſuperſtes fuerit, eam abſque vlla contradictione
» poſſideat; atque omni anno tempore Quadrageſimæ XXV.
» ſolidos denariorum perſoluat. Sed quia de nomine hære-
» dis, necdum certus erat, poſtulauit duorum annorum in-
» ducias, quas & à nobis impetrauit: hæc idcircò, vt quia ad
» ipſius nomen ſcribendum vacua relinquitur membranula,
Ita in margine cod. ALGVIDIS. » vocabitur ſiquidem . . . . . , ne fortè diſſimilitudine litte-
» rarum ſuſcribatur cartulæ falſitas. Et vt per ſuccedentia
» tempora ſic ſtabiliter permaneat, manu propria firmatur
» ab omnibus nobis. Signum Abbatis INGELARDI. S. Adieri
» Decani & Monachi. S. Ingelranni Monachi. S. Otberti
» Archidiaconi Leggienſis. S. Alboldi Archidiaconi. Signum
» Ioannis Archidiaconi. Actum Monaſterio S. Richarij IV.
» Idus Mart. regnante Rege Roberto, Anno XI.

CAPVT XXXII.

De farinario præſtito. Et obitus eius.*

Sup. * Ingelardi.

IN riparia Scarduonis fluuioli eſt inter alia quoddam farinarium, quod dicitur Mirumdolium, quod idem Abbas cuidam ſuo parenti, nomine Raginero, in ratione victus aliquandiu ceſſit; ſimúlque reditum publici cliba-ni. Sunt & alia multa quæ geſſit aliquando in redimendis, aliquando verò in inuadiandis ſancti loci terris ac villis, quæ, quia non omnia profutura ſperamus, recitare faſti-dimus. Illud autem neceſſariò & conuenienter intima-mus, quòd ſtabilitis Fratrum officinis, ſtabilita quoque Monachorum congregatione, cui ipſe longo valde tem-pore præfuit, mortuus eſt Nonas Iunij, & ſepulturam meruit in ſancti Patris noſtri Richarij Eccleſia hactenus conſpicuam.

Digitized by Google

MATERIALE *tuum repetens hic Abba quieſcis*
INGELARDE, *tuba reuocet dum cœlica functos:*
Quem mundo genuit Heroum clara propago,
Baptiſmus Chriſto per verbum fontis & vndam.
Qui Monachus primò, Monachorum Rector abinde.
Richarij ſacram Sancti, quam barbarus hoſtis
Vepribus implerat, reparaſti funditùs ædem
Feruidus. At quintum voluebat Iunius orbem
Dum tibi communem mors intulit aſpera ſortem.

Huic ſucceſſit è ſuis vnus Monachus nomine ANGILRANNVS, ſapiens cognominatus. De quo, quia hîc tertius huius Operis liber prolixior eſt habitus, nunc referre ſuperſedimus: maximè cùm eius illuſtris vita ante hoc tempus à quodam Fratre exarata inueniatur. De hoc itaque aliqua relaturi, quartum recreato ſpiritu libellum incipiemus; vt more Euangelico juſtorum quadrigam deducere videamur: auxiliante gratia Domini noſtri IESV CHRISTI, cui cum æterno Genitore & coæterno Flamine ſit laus, & honor, & poteſtas in ſæcula ſæculorum, Amen. Abbas XX.

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

De ortu Domni ANGELRANNI; *& de doctrina eius.*

CVM igitur omnis mundus Vnigeniti Dei deſcenſione per carnis aſſumptionem ſe gratuletur redemptum; ſítque vniuerſalis exultatio liberatio communis; proprium tamen quorundam locorum dignoſcitur eſſe gaudium, viros habuiſſe tales qui ſan-

Digitized by Google

ctitatis ac doctrinæ prærogatiua Patres non immeritò vocentur & Paſtores: hoc priuilegio poſita ſitu & nomine dulcis Pontiua prouincia, præcelſorum ſæpiùs lætata eſt virorum geniturâ. Ipſa denique illud fulgentiſſimum ſydus, Beatum ſcilicet Richarium, olim protulit, cuius patrocinio & corporali præſentia ſe beatam exultat Centula. Ipſa etiam poſt illos, quos ſuprà meruiſſe legitur, glorioſæ recordationis virum protuliſſe ſcitur Angelrannum, qui quoniam omnem ſui temporis laudem excedit, ſui nominis memoriam vſquequáque protendit.

Natus eſt ANGELRANNVS Deifer parentibus juxta ſæculi pompam non adeò generoſis, quamuis omninò ingenuis, ſed planè Dei timore elegantiſſimis. Qui quantæ opinionis, quámque boni odoris foret futurus, ante ſuam natiuitatem diuinitùs præmonſtratum eſt. Vidit namque eius genitrix quadam dormiens nocte quaſi ex ſe leniter ſertum procedere, quod totius Centulæ muros præcingens, omnium ora in ſui laudem, & admirationem ſoluebat. Quod poſtquam religioſo marito inſinuauit, ille gratia doni cæleſtis afflatus, dixit pro certo hoc fore præſagium optimæ prolis, quam Domini dono proximè eſſent accepturi, quæ bonorum odore operum vniuerſos afflaret.

Hic ergo bonæ indolis eſſe incipiens, profundíque ſenſus acumine vigens, infra ætuum puerile repertus eſt in litteris diſcendis feruentiſſimè ardens. Iam enim Deo ſe inſpirante idem puer quinam futurus foret præſagio quodam oſtentabat: & cùm ſcriptum ſit, *Anima juſti ſedes ſapientiæ*, Sapientia verò Dei Chriſtus eſt, ſummæ Sapientiæ præſignabat ſe templum fieri dum litterarum non poterat ſcientia ſatiari. Et quia non laſciuiam mundi amplecti, ſed Dei ſeruitio perpetim maluit mancipari, monachili auctus eſt toga intra S. Richarij Monaſterij Clauſtra. Dein diuinis donis cum ætate creſcentibus, habitum quem humanis præferebat obtutibus multimodæ ſanctitatis exornabat ſpeciebus. Inerat ei mater & nutrix virtutum humilitas, præpollebat in eo obedientiæ inedicibilis qualitas, conſeruabatur ab eo illa quæ odiſſe quenquam neſcit caritas. Enimuerò quia, vt ſuprà dictum eſt, in diſcendo multùm

Digitized by Google

gliſcebat, receptâ à patre loci, nomine Ingelardo, non minimâ reuerentiâ digno licentiâ, longè ſepoſita ſcrutatus eſt ſcholarum magiſteria; more ſcilicet prudentiſſimæ apis, quæ circuit diuerſorum florum arbuſta, vt mellis dulcore ſua repleat receptacula. Denique multorum experientia probatum, & liberalibus ſtudijs ornatiſſimum ciuitatis Carnotenæ venerabilem Epiſcopum, ac cum multo honore vocitandum Fulbertum, præceptorem adeptus eſt atque didaſcalum: hic ei monitor, hic tam morum, quàm litterarum fuit inſtitutor. Gaudebat Venerabilis Præſul de tanti diſcipuli ſolatio, releuabatur tam idonei auditoris induſtriâ atque ingenio. Tandem igitur Grammatica, Muſica atque Dialectica optimè inſtructum, Centulum remittit tyronem amiciſſimum, jam tunc Sacerdotio ornatum; quem velut grandem theſaurum recipit pia Congregatio Centulenſium. Hinc jam quod ingenti ſtudio fuerat quæſitum, profertur magnæ ſcientiæ præcipuum margaritum, reparantur libri, conſcribuntur necdum conſcripti. Educantur pueri, diſpertiuntur quamplurimis ſapientiæ theſauri. Illuſtratur patria, & ab omnibus circumquaque felix vocatur Centula, quæ tanto præſagiebatur patre beanda. Verùm populi id fieri geſtientis voluntati, & deſiderio felix acceſſit effectus.

CAPVT II.

Qualiter Regi ſit notificatus; vel qualiter Abbas ſit effectus.

EO tempore Rex ROBERTVS, prudentiæ lumine clarus, regni Francorum poſt patrem HVGONEM illuſtrabatur faſcibus. Cui nutu diuino, vt credimus, ſæpedictus vir tali modo refertur notificatus. Cùm enim adhuc in Franciæ partibus detineretur diſciplinis ſcholaribus, ſupradictus Rex ire Romam bonæ voluntatis deuotione eſt coactus: dúmque juſſu eius diuerſis in locis quærerentur diuini ſeruitij plenè imbuti officijs, ab omnibus prædicatus eſt efficax in hac re ANGELRANNVS venerabilis. Itaque pro-

fectione parata Rex callem arripit, cui Angelrannus honeſtiſſimâ vitâ comes accedit. Interim dum gradiuntur, diuitię hactenus ocultatę latiùs aperiuntur, prædicationum verba procedunt, commeantium corda infundunt: miratur Rex eius affamina, delectatur continentis vitæ munditiâ, obſtupeſcunt omnes linguę nitorem, reuerentur animi puritatem. Verùm quod in ipſo itinere relatum eſt geſtum fuiſſe, dignum videtur inſeri hiſtorię: ſi quidem multimoda aſſertione inſinuatus eſt ita per omnem viam Deo Regíque in diuino ſeruitio militaſſe, vt librorum nunquam indiguerit juuari ſolamine: quod an fieri potuerit, non inertes judicent, ſed ſtudioſi examinent. Igitur Romam peruentum, atque inde feliciter eſt remeatum.

Huius ergo euentu itineris vir Dei Angelrannus ad Regis notitiam venit: quapropter ipſe Rex non eum inter infimos relinquere corde tenus ambiuit. Interim verò dum Rex perquirit, quo eum honore fulciat, ſemper Venerandus Angelrannus ſua inhabitatione Centulam exaltat. Et
Abbas XXI. prouenit Deo ordinante vt Abbatia Centulenſis paterna priuaretur ſollicitudine. Fratrum ergo ſanioris conſilij concordi electione id officij ſuſcipere cogitur Angelrannus, qui Domini præſcientia ante omnia ſæcula ad hoc fuerat præparatus. Tunc Rex ouans, quòd ſicut cupierat locum honorandi reperiſſet, ſæpedictam Centulam hac de cauſa concitato gradu deuenit. Enimverò famæ velocitas Angelranni aures percellens, dicto citius timore ſalubri eius præcordia replet. Quid ageret non inueniebat: Fratrum vnanimis electio, extante admodùm parua quorundam ſua nobilitate inflatorum contradictione, paſtoralitatem ſuſcipere cogebat; Regia etiam auctoritas ad hoc impulſura propinquabat. Sed ille, qui ſubeſſe quàm præeſſe malebat, omninò ſe indignum hujuſce rei perceptione præjudicabat. Sumpto igitur auſu ſyluarum luſtra expetit, ibíque ſe ne inueniretur abditis quibuſdam recondit. Rex aduenies virum interrogat, furtim eum abſceſſiſſe Monachorum turba proclamat. Rex miratur intentionem, prædicat humilitatem, jubétque vt citiùs pergatur, ac electus Domini ad ſe reducatur. Exeunt ergo militares præclarum Dei militem

litem perquirentes : ſciſcitantur à quibuſcunque obuiantibus ſicubi viſus fuiſſet vir cluentiſſimus. Tandem igitur peracta multa ſcrutatione in ſylua Olnodioli dignoſcitur latere. Itur ocyùs, perquiritur, inuentus adducitur, Regíſque Roberti præſentię ſiſtitur. Rex itaque gaudens, Eccleſię baſilicam intrat, omníque ſpectante nobilium vel ignobilium caterua, per funes ad ſigna pendentes ipſi totius loci dominationem delegat. Dein jubetur ab ipſo Rege, vt quantocyùs acceleraretur benedictionis conſecratio digna. Verè ergo iſte ſuperni membrum capitis fuit, qui memor ſuum Dominum, dum eum vellent populi facere Regem, fugiſſe in montem, ne ſupercilio prælationis extolleretur, maluit ſubire cauernam.

CAPVT III.

Renouatio conditionis inter Ingelardum Abbatem & Notkerum Leodij Epiſcopum.

IAM verò ſumpto Abbatis officio, quis eius bona dignè potens ſit explicare ? Erat enim ei ſtudium juge propriæ vitę næuis carere, coram Deo & hominibus bona ſemper prouidere, commiſſorum inepta reſecare, tam exemplo quàm verbo bona eorum augere ; quicquid bonum ſemper ambire, quicquid prauum ſemper cauere : nec eius beneuolentiæ ſat eſt animarum ſalutem obtinere, ſed curat etiam terrenis ædificijs locum commiſſum honorare. Denique mœnia ſtruxit, ſacras aras auro & argento veſtiuit, Chriſtíque vaſa ſacroſancta pro poſſe ampliauit. Delectabatur planè ſanctum ingenium bono opere, paſcebatur pia mens ſancta exercitatione. Intereà Notkerus Leodicenſis Epiſcopus, cui à Domno Ingelardo Abbate quædam ſancti Richarij prædia fuerant oppignorata, obierat ; & poſt alios duos DVRANDVS ipſius Sedis ſuſceperat Præſulatum. Hunc itaque Abbas ANGELRANNVS adijt, & vt conditionem, quam illius & ſuus fecerat anteceſſor, renouaret, ne infirmaretur, exorauit. Qui Epiſcopus venerandi viri precibus acquieſcens, nam & à Domno EBALO

Remensi Antistite idipsum facere fuerat exoratus, tale denuò rescriptum promulgauit.

» In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, DVRANDVS » diuina propitiante Clementia Sanctæ Leodicensis Ecclesię » Pontifex, vniuersis Christianæ religionis fidelibus, præ- » sentibus videlicet & futuris compertũ fore volumus, quòd » ANGELRANNVS Abbas S. Richarij Confessoris Christi à » nobis sibi petierit, vt conuentionem quam suus anteces sor » cum Notkero hujus Sanctæ sedis Episcopo habuerat, reno- » uaremus scripto. Sumpserat enim idem suus Anteces sor ex » thesauro S. Lamberti XXXIII. denariorum libras, oppigno- » rans nobis quædam S. Richarij prædia; scilicet in villa Haït » v. mansos, & v. in villa Farmala, & I. in villa Bursis, & I. » in Glemdena: ea videlicet ratione, vt quacumque die no- » bis nostra redderet, sua sine contradictione aut ipse, aut ali- » quis suus succes sor reciperet. Fecimus ergo quod sugges- » serat, & scriptura præsentis chartulæ quod Anteces sores » nostri statuerant renouauimus. Acta sunt hæc Leodio pu- » blicè sub die XIIII. Kal. Octobris, Anno Dominicæ Incar- 1022. » nationis MXXII. Imperij vero HENRICI XIX. Signum HE- » ZELONIS Comitis: Sign. HVMBERTI Clerici: Sign. GVA- » THONIS Clerici: Sign. HILDRADI Clerici: Sign. ADE- » LARDI Laici: Sign. LIBVINI Laici.

CAPVT IV.

Quomodò Ecclesiam Scabelliuillæ acquisierit.

HAc igitur pactione vtiliter reparata, Monasterium reuersus est. Aliquando etiam Neustriam iuit, & colloquio Marchionis RICHARDI vsus, postulauit eundem Ducem, vt pro salute suæ animæ S. Richario aliquid largiretur: qui sciens virum esse prudentem, & Monastici tramitis amatorem, benignè ei paruit: conferens per eius manum S. Richario casulam pretiosæ purpuræ, & Ecclesiam Scabelliuillæ. De cujus donatione talem condidit descriptionem.

» In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, ego RICHAR- » DVS diuina concedente gratia Normannorum Dux. Com-

Digitized by Google

pertum eſſe volumus omnium Sanctæ Dei Eccleſiæ fide- «
lium induſtriæ, quòd ANGELRANNVS Abbas Centulenſis «
Cœnobij, vbi venerabilis Confeſſor S. Richarius quieſcit, «
Clementiam noſtram expetierit, quatenus ipſi Sancto lar- «
gitione noſtræ Eleëmoſynæ conferremus aliquid. Conſilio «
ergo & ſuggeſtu noſtrorum fidelium decreuimus tradere «
perpetuò prædicto Sancto, & ſeruis eius, Eccleſiam, quæ «
ſita eſt in Scabelli-villa. Præfatus verò Abbas & Fratres «
ſub teſtificatione præſentis chirographi ſpoponderunt, «
quòd amore genitoris noſtri, noſtro, & matris, conjugis «
& prolis, perſonâ vnius Monachi ipſius Congregationis «
augeretur numerus: ea conditione vt illo decedente à ſæ- «
culo, alterius per ſæcula ſubſequatur ſucceſſio. Illud etiam «
vt ab hodierna die & deinceps nos, noſtríque filij ſupradictę «
Congregationis appellati ſocij, omnium quæ ibi geſta fue- «
rint bonorum habeantur participes. Vt igitur hæc futuris «
temporibus donatio ſtabilis permaneat, ſub graui anathe- «
mate facto ab Archiepiſcopo, me præſente, vel à quibuſ- «
dam Epiſcopis cum ſuis Sacerdotibus, qui fortè tunc noſtrę «
aderant Curię, juſſimus roborari, & hanc inſuper chartu «
lam fieri, quam ſigno manus proprię voluimus conſignari. «
Signum RICHARDI Marchionis; S. ROBERTI Archiepi- «
ſcopi. S. GONNORIDIS matris eorum. S. IVDITH; S. RI- «
CHARDI pueri; S. ROBERTI pueri; S. WILLELMI pueri; «
S. MALGERI. Actum Rotomago 11. Idus Martij. «

Robertus quoque ipſe Rotomagenſis Archiepiſcopus, virum bonum eſſe cognoſcens Domnum Angelrannum, donauit ei vnum bonum dorſale, quo hodieque noſtra Eccleſia ornatur.

CAPVT V.

Aſſertio de S. Vigore.

AT quia nunc Normanniam intrauimus, libet parumper ſubſiſtere, vt quoddam neceſſarium explicemus. Retulimus ſub domno Ingelardo B. Vigoris Epiſcopi corpus honorabile à Neuſtria Centulam tranſlatum: quod quia meruimus, Deo omnipotenti ex corde intimo gratias

rependamus. Securi igitur de Dei munere in ſancti corporis collata nobis benedictione, jam modò contra illos agamus, qui tantum bonum noſtrum obſcurare nituntur. Eſt enim quiddam ſenſibus noſtris illatum, quod Deo auxiliante abundanti ratione purgabitur, ſi tamen faciente inuidia obliquus non adſit auditor. Verùm nos ſingulariter neminem appetimus, omnibus ſemel reſpondentes: dum enim quenquam noſtratum cum Neuſtrianis vel Siluanectenſibus de Sancti corpore colloqui contingit: dicentibus iſtis, quia noſter Epiſcopus fuit, nobis quieſcit. Illis æquè referentibus ſe hunc habere. Noſter à Deo nobis datus theſaurus apud incertos quaſi fuſcari videtur. Vndè ſatis neceſſariè hanc modò rationem perſoluimus, qua ſcilicet apud nos illum eſſe veraciter comprobemus; quòd ſi quiſquam clareſcentibus miraculis hunc ſe habere defendat, & nos multò magnificentiùs eadem experti ſumus. Verè enim Chriſtiana fides fatetur omnes Deo conjunctos non eo tantùm loco quo corpore habentur; ſed vbicumque fideliter rogantur, diuina poſſe monſtrare. Sed jam pergat ſermo in nomine Domini quo deſtinatum eſt; húncque Sanctum confirmemus nos habere, tametſi aliàs magna operari videatur. Chriſtus veritas nobis adſtipulatur, ipſa ſancti viri anima cęleſti ſemper heredirate beata teſtimonium redder; immò de verbis eius verbi noſtri teſtimonium fiet.

Neuſtriani tamen, qui & Normanni, ſui Epiſcopi non bene cuſtoditi arguendi videbantur: ſed mentem remordet; quia niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam. Ob hoc autem illos ſinentes, alia expediamus. Dum & theſauri quondam habiti, & modò perditi, amiſſione conſtet eos ſatis punitos. Siluanectis autem ciuibus de Sancti corpore inaniter ſuperbis jam modò ora claudamus. Quo primo igitur tempore ſancti corporis illatione beata eſt Centula, abſque vllis geſtorum eius adminiculis aliquandiù permanſit. Delator nempe nomine & gradu atque ciuitate Epiſcopij eius relatis, de ceteris conticuerat. Cùm autem Ingelardi Abbatis de medio facti, hic Venerabilis ANGELRANNVS, cognomento ſapiens, vicem ſuſcepiſſet, fuit ei neceſſitas illa, quæ ſuprà expoſita eſt,

Normanniam ire: his pro quibus jerat peroratis, vel definitis, à Clericis ipſius prouinciæ, & à Monachis S. Audoëni cœpit inquirere, an noſſent aliquem Sanctum qui diceretur Vigor: illi autem optimè hunc ſcientes, hoc ſolùm mirati ſunt, quòd ipſe Abbas tantum Confeſſorem neſciret; referentes ortum, vitam, eiúſque dignitatem. Tum Abbas rogat ſibi monſtrari vitæ eius ſcripturam, & deſcribendi largiri copiam: at illi cùm annuiſſent, tali ab eo auditu percelluntur. Cœnobio, inquit, Centulæ in Monaſterio Domini mei S. Richarij hujus Sancti corpus habetur. Tum Monachi B. Audoëni dixerunt ei: In hoc, honorande Pater, te ſcito hunc reuerà habere, ſi oſſa ipſa inſpectans, mentum non inueneris apud te: quod os idcircò illic tu non inuenies, quia Deo gratias nos illud habemus. At vbi patriam noſtram cum libello vitæ eius repedauit, curauit inſinuata citiùs probare. Reuoluit ſancta membra, & inuenta tota oſſium congerie, mentum deeſſe inuenit: quia verò ipſius vitæ lectio docebat, qua die Sanctus è mundo migraſſet, hæſitabat parum quid faceret, quia eam diem omnium Sanctorum feſtiuitas ex moderna Patrum inſtitutione vindicabat. Statuit autem vt ſequenti die feſtiuitas ſua Sancto reexhiberetur. Factúmque eſt ita; ſed non ſic vt tantum decuiſſet Confeſſorem. His proficuè, vt ſperamus, inſertis, ad Domni Angelranni vitam tranſeamus, alibi de S. Vigore certiora, & quibus obuiari non poſſit probamenta dicturi.

CAPVT VI.

De conſtantia Domni ANGELRANNI: *& Donatio Comitis-villæ.*

MVLTO ſudore & ingenio hic venerandus homo ſemper ſtuduit ad vſum Monaſterij illa reuocare, quæ vel deſolationis tempore, vel ſub ſui tempore anteceſſoris aliqua fuerant fraude ſubducta. Conſtantia quippe internæ fortitudinis, quæ menti eius inerat, multam potentium ſuperbiam edomabat, quia fiducia ſanctitatis ſe vallante nullius potentiam verebatur. ANGELRANNVS

denique Comes Pontiuorum, HVGONIS aduocati filius cum ob expertam in illo ſanctitatem compater eius factus fuiſſet, magno etiam timore erga illum agebatur, quippe apud quem humani ingenij prauitati nihil ſucceſſum ſciebat. Antiquitùs ſeruata eſt conſuetudo, vt in feſto ſancti Richarij tota Pontiuorum militia Centulam veniret, & veluti patriæ Domino, ac ſuæ ſalutis tutori & aduocato ſolemnem curiam faciebant. Cùm itaque jamdictus Comes ineuitabiliter ad S. Patris feſtum, aut alia qualibet die Monaſterium intraſſet, ſtatim ab Abbate venerabili ſiquid loco abſtulerat tanta inuectionis auctoritate arguebatur, vt miro modo non Comitem à Monacho, ſed ſeruum à Domino increpari qualitate rerum putares. Si aliquando corripienti non obediſſet, Abbas loci amator, qui dicere poterat; *Zelus domus Dei comedit me*, continuò ſe ſe in verbis exaggerans, illúmque infidelem, illum raptorem clamitans, niſi emendare ſponderet continuò excommunicabat. Hæc eius animi fortitudo plurimùm contulit, & vt ſuo tempore nihil loco raperetur obtinuit. Quod nos ideò ſic dicimus, quia cùm noſtro æuo deſint largitores, bene nobis res agi videretur, ſi non pateremur infeſtiſſimos prædatores. Venerabilis tamen Angelrannus non hoc ſolùm obtinuit, vt ſibi nihil tolleretur, ſed & vt multa per Dei gratiam ſibi darentur & redderentur: Angelrannus igitur Comes monitis eius animatus, Villam quandam S. Richario delegauit, de cuius deditione teſtamentum conficiens, regia auctoritate confirmari voluit ita ſe habens.

„ In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, ego ANGEL-
„ RANNVS compertum fore cupio cunctorum ſanctæ Dei
„ Eccleſiæ Fidelium induſtriæ, quòd remorante præcellen-
„ tiſſimo Rege Roberto Compendij Palatio, corroboran-
„ dam in præſentia eius obtuli quam feceram ſancto Richa-
„ rio quandam donationis chartulam. Tradideram ſiquidem
„ ipſi Sancto in pago Pontiuo Villam, quæ Comitis-Villa vo-
„ catur, eo conditionis pacto, vt ego ipſe dum vixero, & poſt
„ me vnus heres, quem viuens deſignauero, teneam, atque
„ in feſtiuitate ſancti Richarij, quæ VII. Idus Octobris ce-
„ lebratur, XII. denarios in cenſu perſoluam; quòd ſi heres

à me deſignatus reddere neglexerit, aut legaliter emendet, aut perdat. Quam conceſſionem in præſentia Regis regníque Nobilium obtuli, & Regia auctoritate confirmandam cenſui. Signum ROBERTI Regis, Sign. CONSTANTIÆ Reginæ. Sign. HENRICI Ducis. Sign. ROBERTI. Sign. ODONIS. Sign. ANGELRANNI Comitis. Actum Compendij Palatio Nonas Aprilis.

CAPVT VII.

De amore eius erga ſubjectos : & redditio de Noguerijs.

HVCBERTVS quidam Miles, qui beneficiariè cum jurejurando noſtrati Abbati famulari habebat, huic venerabili Angelranno aliquoties cauſa probationis extitit. Siquidem aliqui ex ſuis parentibus ſub præſtatione certi temporis tenuerant villam ſancti Richarij vocabulo Noguerias, & tali occaſione tanquam hereditatem ſibi vendicabat. Contradicente Abbate, & illo inſaniente, multa dura contigit venerabilem Angelrannum eius immiſſione pati : nempe quàm forti amoris vinculo erga ſuos ſtringeretur hinc patuit, dum contra hunc Hucbertum, contráque omnes qui Fratrum poſſeſſiones rapere conabantur, tam diuinarum quàm humanarũ legum auctoritate certare non deſtitit. Nam Dei & Domini noſtri informatus exemplo, & accenſus amore, qui pro ſuis ouibus animam poſuit, ipſe quoque pro Eccleſiæ Centulenſis villis vel prædijs multa pericula, multáſque iniquorum inſidias perpeti non formidauit : pro illis certè qui ſibi erant commiſſi animam poſuiſſet, ſi id neceſſe fuiſſet, qui pro eorundem re temporali, cùm neceſſe fuit, multis injurijs affligi non recuſauit. Vt enim ſubjectorum animas ſaluaret, ipſi temporali ſuæ ſaluti nunquam agnitus eſt peperciſſe : nam non in tantùm creuerat tyrannorum atrocitas, vt corpora perimendo animas effugarent. Sed ad hoc proceſſerat eorum cupiditas, vt eos rebus ſpoliantes miſeros efficerent ; & quia iſdem magnificus vir eorum ſæuitiæ perpes contra-

dictor extitit, ab eis multa perpeſſus, etiam gladij percuſſionem Dei amator tolerauit. Sed quia verè fateri poſſumus, juſtum confidere quaſi Leonem, iſte pro commiſſis bona conſcientia fretus nullam timuit paſſionem. Caritas enim in eo locum ſibi vindicabat priorem, quæ foras vtique propellebat timorem. Tamdiu itaque contra Hucbertum inſtitit, vſquequò Procerum judicio in Regis præſentia eam quam diximus villam derationaret. Sed quæ non mortalium corda rapacitas vrget, ſi adſit locus! Rex enim Henricus illectus cupiditate, poſtquàm fuerat definitũ vt Hucbertus non haberet in proprium jus, villam tulit, & quinquennio illius reditibus vſus eſt. Sed cùm ab Abbate frequenter argueretur, tandem metu judiciorum Dei coactus, & venerabilis Angelranni aſſidua interminatione fractus, nobis eam ceſſit, & ſuper eius redditione teſtamentum confecit, quod nos quoque vtiliter hîc conſignamus.

» In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, HENRICVS » Dei gratiâ Francorum Rex omnibus Catholicæ Eccleſiæ » filiis, quibus eſt cura animæ & corporis; notum eſſe volu» mus cunctis futuris & præſentibus qualem reditum S. Ri» chario pro animabus noſtris & ſucceſſorum permiſerimus. » Miles quidam HVCBERTVS nomine Noguenariam cum ſuis » appendiciis quandam S. Richarij villam tenebat ſuæ inua» ſionis tortitudine. Quotquot verò anteceſſores eius tenue» rant S. Richario per præſtationis occaſionem tollebant. Iſte » verò quaſi propriam volens inuadere repulſus eſt aliquan» tum Abbatis & Fratrum reclamatione: & illo funditùs re» pulſo, cenſura judicij noſtri decidit in noſtram juſſionem, » quinquiennio tenui, ſolidam & quietam habui; poſt hæc » memor animæ meæ, & licet modicum cogitans de eius re» demptione, inclinatus etiam ab Abbate & Monachorum » collegio, tradidi eam S. Richario. Addidit etiam Comes » ANGELRANNVS eiuſdem loci Aduocatus ſuam petitionem, » cui ego eo tenore annui, vt nunquam inde aliquam acci» peret conſuetudinem. Quod ne quis etiam ſucceſſorum » meorum audeat infringere, HEZELINI Pariſiacenſis Epi» ſcopi perculſi anathemate, & omnium qui mecum erant » Francigenæ, nec ipſum excepi Abbatem, vt alicui per ali-

quam

quam tradat occaſionem, ne aliqua iterum erratio noſtræ « animæ fiat periculo. Prohibemus ergo iterum atque iterum « noſtro imperio, & omnium Epiſcoporum noſtrorum inter- « minatione, ne aliquis malefactorum aliquo modo audeat « vſurpare, vt non fiat mihi in illa reprobatio neceſſitate, vbi « merita mea non poterunt me juuare. Prorſus ne aliquis du- « bitet imperium, videat ſcripto imperantis edictum. Actum « eſt anno Dominicæ Incarnationis MXXXV. Regnante « Henrico Rege anno regni illius III. Abbas ANGEL- « RANNVS ſubſcripſit; ROLLANDVS Monachus ſubſcripſit; « GVALTERVS ſubſcripſit; ALGISVS ſubſcripſit; INGEL- « RANNVS Comes, & HVGO filius eius ſubſcripſerunt; « GODEFRIDVS Vicecomes ſubſcripſit; OYLARDVS ſubſcri- « pſit; ROBERTVS ſubſcripſit. Hi etiam ſunt teſtes om- « nium Epiſcoporum excommunicationis, præcipuè HE- « ZELINI Pariſiacenſis. Qui deinceps infregerit iſta, cum « Dathan & Abiron fiat ei anathema maranatha, Amen. «

Superiùs comprehenſum eſt, quòd Domnus Ingelardus ſuo tempore propria permiſſione, tum cauſa amicitiæ, tum obtentu conſanguinitatis, conceſſerit farinarium ſub Montiniaco, quod dicitur Mirumdolium, Raginerio Militi aliquandiu habere, ſed ipſo Abbate defuncto, cùm Domnus Angelrannus in noſtræ Eccleſiæ vſum voluiſſet ipſum farinarium reuocare, Raginerus conatus eſt illud retentare, ſed ab eodem fruſtratus eſt. Ille verò videns quòd contendendo non proficeret, precatus eſt vt ſibi permitteretur, & poſt ſe filio ſuo, póſtque filium ſuum, filio filij ſui, ſícque tandem reciperet Eccleſia quod ſuum erat. Placuit Abbati id facere, & ſuper iſta conſtitutione tale conſcriptum firmauit.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis ANGELRAN- « NVS Centulenſium Abbas. Compertum fore volumus ſan- « ctæ Dei Eccleſię Fidelibus, præſentibus atque futuris, quòd « quidam Miles nomine RAGINERVS reclamauerit contra « nos, quòd debebat de nobis tenere quoddam molendi- « num poſitum ſub Montiniaco. Nos ergo eius reclamatio- « ne juſta ratione vacuata, ipſo aliud * poſtulante conſen- « ſimus, & ſibi & duobus heredibus, videlicet GVALTERO « filio eius, & alteri quem de legitima vxore idem Gualte- «

* *f.* Illud.

» rus habuerit, molendinum de quo agebatur conceſſimus » ſub redditione cenſus: ita duntaxat, vt ſi idem Gualterus » obierit non relicto ſemine, Eccleſia quod ſuum eſt reci- » piat. Si verò, vt ſupradictum eſt, conjugalis vnus heres » ſucceſſerit, & ipſe illud in vita ſua teneat, & in feſtiuitate » ſancti Richarij quæ celebratur VI I. Idus Octobris, IV. ſo- » lidos denariorum perſoluant. Quo tertio hærede defuncto, » ſic iterum noſtrum reuertatur ad nos. Et vt hæc conuentio » inconuulſa permaneat, ſignis Fratrum noſtrorum atque » fidelium ſubnotare fecimus. Signum ANGELRANNI Ab- » batis; Sign. ANGELRANNI Aduocati; Sign. HVGONIS » filij eius; Sign. ODELGERI; Sign. VRSONIS; Sign. RO- » BERTI; Sign. HERBERTI; Sign. GVERNONIS; Sign. RO- » DVLFI; Sign. GODEFRIDI; Sign. ARNVLFI; Sign. OY- » LARDI. Actum Monaſterio Centulenſi VII. Kal. Februa- » rij, regnante Rege Henrico, Anno XII.

CAPVT VIII.

Quàm miſericors erga pauperes fuerit.

CVM in omnibus erga hunc ſanctum locum Angelranni Abbatis cura prouida ſemper haberetur, non tamen eius beneuolentia ſubleuandæ pauperum neceſſitati deerat. Fuit igitur ei pietas comes inſeparabilis, per quam Dei gratia ſe auxiliante miſerorum conſolator ſplenduit ſingularis. Multoties enim è Clauſtro proceſſit, vt miſerendi locum quoquomodo poſſet nanciſci. Et cùm pro alicujus vtilitatis ordinatione putaretur egredi, ille juſtitiæ famelicus, miſericordiæ actibus cupiebat ſaginari. Enimverò geſtabat nonnunquam pius latro ſacculum miſericordiæ gazis refertum; & dum hinc ac inde cerneret pauperem quemlibet proximare, antequam contra illum perueniſſet ſumptos denarios in terram ſolebat jactare, illúmque volentem tranſire ad ſe Pater miſericors euocabat, & quaſi neſcius quid illud eſſe poſſet quod ſolo tenus jacebat ſciſcitabatur. Ille, qui ignorabat actum, Domine, aiebat, video nummos ſuper terram jacere: tum ille benefraudulentus, & piè deceptor, ire jubebat, & ſibi tollere, dicens à Do-

mino illi esse præparatos. O virum verè Deo dignum, ô animum omni laude jugiter attollendum: ne enim vita expers maneret, pijs actibus continuè instabat; & ne eum laus transitoria percelleret, ipsos pios actus occultabat. Libet parumper nostram prauitatem, nostræque intueri mentis tortitudinem. Nos & cùm bona non facimus, cupimus laudari, & si parum quid contigerit nos boni facere, ab omnibus cupimus prædicari. Nos nec actu, nec virtute qualibet resplendemus, & velut sanctiores pro solo habitu honorem extorquemus. Damnanda prorsus miseria, non esse sanctum, & sanctitatis requirere debitum. Verus itaque Dei cultor Angelrannus bonorum operum exercitijs illustratus, hospitalitatis amator deuotus, humilitatis seruator assiduus, caritatis etiam obses mansit æternus. Verùm ingenij ipsius sagacis non facere mentionem, impiissimum duco errorem. Nam præcipiente sibi venerabili suo quondam magistro, Domno scilicet Fulberto Carnotensi Episcopo, almiflui Confessoris Christi Richarij vitam ab antiquis compendiosè descriptam, versu heroico jocundiorem fecit: nihil penè extrinsecus addens, sed eundem sensum per omnia representans. Sanè miracula quæ Dominus ac Saluator noster per eiusdem Sancti merita suo tempore exhibuit, in vno libello compingens, antiquis eius miraculis compaginauit; in quorum capite post ea quæ suprà texuerat, sic exorsus est fari:

Nunc ea complectar proprius quæ vidit ocellus.

Subsequentérque intexit illam S. Richarij relationem, quæ in præcedenti libello à nobis pleniùs expolita est.

CAPVT IX.

De miraculis S. Richarij quæ eius tempore acciderunt. Desit in nostro Cod.

CAPVT X.

De Domno ODELGERO *Monacho.*

HVIVS autem Deo tam cari viri vita excellens multorum studia ad supernorum amorem accenderat:

vnde nunc æquiſſimum judicamus in eius diſcipulorum actibus quanta Dei gratia viguerit oſtendere; vt quem jam monſtrauimus verè ſanctum, ac per hoc Deo proximum, inde magis eius bonitas reſplendeat, quò non ſuis ſolis, ſed & commiſſorum prouectibus magnificus comprobatur. Erat ergo in hoc ſancto Cœnobio venerabilis vitæ vir nomine ODELGERVS, qui abſtinentiæ miræ, obedientiæ ſummæ, ſuíque cuſtos oris, magnum religionis per Dei gratiam præbebat lumen. Qui à puero quidem ſacris fuerat ſub Domno Ingelardo Abbate diſciplinis informatus, ſed ſub Reuerendiſſimo Angeranno Decani vel Prioris potiebatur miniſterio. Hic ergo aſſiduæ lectioni & orationi inſiſtens, animi quoque ſimplicitati & puritati ſtudens, magnæ vitæ ſtudijs pollebat. In exterioribus etiam miniſtrandis ſatis probus ac valdè aptus extitit. Conſuetudo autem ei fuerat perpetua, vt quando Fratres ex indulgentia remiſſioris vitæ aliquid fæculare aut etiam irreligioſum in communi ſermocinarentur, ſecederet in Eccleſiam, ibíque pſalmodiæ & compunctioni intentus ſedulè Domino jungebatur. Qui etiam ne aliquo impulſu aut alicujus occurſu præpediretur, ſuperiora templi conſcendere procurabat, ibíque liber & remotus quaſi de proximo ac de vicino diuinis obtutibus laudum & precum holocauſta offerebat. Hic itaque poſt longam in ſancto propoſito exactam vitam, ad extrema peruenit, qui cùm morti proximus exiſteret, & à Fratribus vel à famulis Eccleſiæ circumdaretur, repentè exclamauit, & dixit. *Ecce chorus adeſt Angelorum.* Vt enim omnipotens & pius Deus oſtenderet quàm deuotè ei ſeruierat, voluit ſuæ diuinitatis ei morituro miniſtros tranſmittere, vt in eorum conſpectu atque præſentia ſine graui metu & dolore de corpore exiret. Hac autem voce, omnibus qui aderant ſtupefactis, repentè iterum ſubjunxit, & ait: *Ecce chorus Prophetarum:* ſilentióque parumper habito, ſic intulit: *Ecce chorus Apoſtolorum:* ac deinde: *Ecce*, ait, *chorus Martyrum.* Cúmque paululùm conticuiſſet: *Ecce*, inquit, *chorus Confeſſorum*: nouiſſimè verò cùm denuntiaſſet, dicens: *Ecce chorus Virginum*; eodem momento ſpiritum emiſit. Et quia veraciter cœleſtis patriæ ciues

Digitized by Google

ad ſe ſuſcipiendum veniſſe vidiſſet, ſequendo teſtatus eſt. Reuerendiſſimus verò Abbas Angelrannus eum, vt decebat verè ſanctum, in Eccleſiola ſancti Vincentij Martyris, quæ erat Clauſtro contigua, venerabiliter ſepeliuit, & ſuper eius buſtum tale epitaphium compoſuit:

Iuſtitiæ cultor fuit, & bonitatis amator
ODELGERVS, *in hoc qui recubat tumulo.*
Subtraxit vitæ, quem vix Februaria nona,
Vt ſpes eſt, regno miſit & æthereo.

CAPVT XI.

Qualiter à Domino ſit correptus.

ANGELRANNVS Venerabilis inter ſuæ magnæ ſapientiæ monimenta in ſancti Richarij honore, quamuis antiqui abundarent, quoſdam cantus dulciori compoſuit melodia, necnon Sanctorum Gualarici Abbatis, & Wlfranni Archiepiſcopi honori proprios cantus coaptauit: Beati quoque Vincentij Martyris paſſionem metricè compoſuit, ſanctæque Virginis Auſtrebertæ vitam metro ſubegit. Et quia tantus ſcientiæ fulgor non facilè poterat abſcondi, multi Nobiles eius ſe ſubdidere magiſtratui: è quibus fuerunt duo honorifici viri, GVIDO Præſul Ambianenſis, & DROGO Epiſcopus Taruennenſis. Hi eius ſe diſcipulos, hi quoad vixerunt ſemper gratulati ſunt ſe eius prudentia illuſtratos. In tantum enim diſciplinæ eius bonitas ſparſerat, vt vbique ab omnibus ANGELRANNVS SAPIENS ſpecialiter non immeritò vocaretur. Cùm igitur tantis & talibus bonæ famæ opinionibus miro modo polleret, impleretúrque in eo ille Apoſtolicus ſermo: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco*; Inſpector ille cordium videns eundem ſuum famulum infatigabili deſiderio ſibi velle ſociari, vt puriorem quandoque ſuſciperet, immò vt meritorum copiam ei accumularet; ſtatuit eum adhuc tentationis limâ polire, ac ſuper incudem corporeæ infirmitatis malleo propriæ percuſſionis interrogare. Denique tanta eum paralyſis acerbitate perculit, vt non ma- 2. Cor. 2. 15.

Digitized by Google

num ad os ducere, non in lectulo ſe deinceps quiuerit mouere. Religantur manus innocentes ſupernæ diſtrictionis vinculo, & quæ in bonis ſe ſemper exercuerant, ac mala ſtudioſiùs cauerant, hæc vel illa, bona dico vel mala, ne contingant artantur. Semper igitur gratias retulit Conditori, & cui anteà in omni bona operatione ſe deuotum exhibuerat, nunc valetudine preſſus, corde & linguæ laudis ſacrificium victimabat. Et cùm hoc morbo ſic vinculatus eſſet, vt omninò ſui impotens maneret, tamen eius vbique auctoritas metuebatur, eius vbique nomen reuerebatur. Sæpè autem accidit, vt quolibet reſidens vberrimè fleret: & cùm ab aſſiſtentibus interrogaretur quænam eſſet cauſa ploratus; ſe peccatorum pœnas formidando cogitare reſpondebat, quas intra tartari clauſtra diabolo miniſtrante patiebatur: & ob hoc non poſſe omitti quin fleret. Ita etiam cùm alternantibus vicibus ſe lætiſſimum præmonſtraret, interrogaréntque famulantes quidnam rei eſſet quòd tam alacer videretur, aiebat de cœleſtium gaudijs Angelorum, déque Sanctorum felicitate perpetua hanc ſibi emanaſſe exultationem.

CAPVT XII.

De ſubreptione FVLCONIS; *& prophetia Domni Angelranni.*

SENESCENTE autem illo, cùm multis vtile videretur, vt eidem Rector ſubſtitueretur, quidam ſecundum carnem nobilis, filius nempe ANGELRANNI Pontiuorum Comitis, nomine FVLCO, eiuſdem loci alumnus, parentum auxilio ſæpedicti loci Centulenſis regimen ſibimet vſurpare tentabat. Sed enim, cùm Rex Francorum HENRICVS quo neſcio caſu accidente Pontiuum deueniſſet, idem Fulco intercedente jamdicto Comite patre ſuo cupiebat obtinere ab eodem Rege totius loci dominationem. Quod & factum eſt: ignorante penitùs Domno Angelranno Abbate. Iamdictus verò Fulco cùm ob donum Regium ſe Abbatem fore auſpicaretur, ſumpta audacia im-

pudenti quibuſdam militaribus in Fratrum refectorio, more ſcilicet incompetenti, conuiuium opulens exhibuit, quo ſibi faceret fideliores, & ad acquirendum ſibi honorem promptiores. At vbi nunciatum eſt iſtud Patri Angelranno, miniſtros vocat, protinúſque ſe illuc deportari mandat. Manibus ergo famulorum ad oſtium vſque refectorij deuehitur; ibíque figens gradum, ex auctoritate omnipotentis Dei eos qui conuenerant anathematizat. Hinc verò omnis illa eorum factio inchoat diſſipari. Cerneres enim meliores quoſque, in quibus parum quid timoris reſederat, quaſi reos ante judicem ſic ante juſti faciem pauitare, & incendio excommunicationis ab eo illatæ miro modo terreri. Vir Dei itaque ſecedens inde Fulconem euocat, & an Abbas effici velit, minaci verbo ſciſcitatur: cui præ pudore nihil reſpondenti ſententiam intulit, dicens non poſſe eum fieri Abbatem, quandiu ſcilicet ipſe in corpore moraretur. Et quamuis iſdem Fulco etiam alterius Abbatiæ donum à patre ſuo habuerit, nunquam tamen quandiu vir beatus ſuperuixit, effici Abbas vllatenus potuit, quia videlicet viri Dei ſermo obtinuit. Qua in re animaduertitur Sanctus vir prophetico ſpiritu actus fuiſſe, qui non abſque nutu diuino prædixerat eundem non poſſe fieri Abbatem, quandiu ſcilicet ipſe in corpore moraretur. Siquidem poſtquàm Venerabilis pater Angelrannus cælicas receſſit ad ædes, idem Fulco Abbatis officio donatus eſt primo poſt eius ſepulturam die, prælatúſque Monaſterio Foreſtenſi, quod ex antiquo, vt in hoc opere lucidè patet, Fratrum ſancti Richarij cella fuerat: ſed paulò antè à Comitibus Pontiuorum ſubtractum Abbatiolæ nomen ſibi vindicat. Et quia ad id loci peruenimus, libet memorare ob rerum notitiam poſteris intimandam, qualiter idem locus nobis ablatus eſt.

Ab ea die qua Beatus & S. Pater Richarius ibi finem vitæ mortalis accepit, & deinceps vſque ad tempora Ingelardi Abbatis in noſtratum deguit ditione: HVGO verò primò Dux, poſtea Rex, eo tempore quo propter barbarorum cauendos incurſus, Abbatis-villam nobis auferens caſtrum effecit, eíque HVGONEM præpoſuit Militem,

Foreſtis-cellam noſtræ ditioni ſubripuit, & eidem Hugoni perpetuò habendam contradidit; quia videlicet ipſius Ducis filiam nomine GELAM vxorem duxerat. Anteà igitur in eadem Cella Clerici Domino militauerant, ſed Hugone puſtulante aliqui ex noſtris illic Monachis ſtatuti ſunt, qui & Abbatem meruerunt ſimili modo Monachum noſtratem nomine GVIDONEM, Domni Angelranni fratrem: quíque cùm aliquantis ibidem annis in animarum regimine miniſtraſſet, officij ſucceſſorem habuit HVCBERTVM nomine, noſtratem Monachum. Quandoquidem nobis ille locus tollebatur, tamen ob amorem & honorem almi Richarij ſtatutum eſt, vt de noſtris ſemper ibidem fierent Abbates Monachis. Hucberto quoque mortuo, eius loci regimen ſuſcepit hic Fulco, quem noſtri Monaſterij dominium ſibi vſurpare voluiſſe notauimus. Libet verò dicere de Domno Guidone Abbate, quòd cùm egregijs moribus & Deo placitis fulgeret, oculorum lumine ſicut & S. Tobias priuatus eſt, omninò tamen perſeuerante in mente eius diuinæ contemplationis claritate. Mox verò vt hoc flagellum cum gratiarum actione à pio patre Deo excepit, ſuccedi ſibi popoſcit; & rediens Centulam, quod ſuperfuit totius vitæ in ſancto ibidem expleuit ſeruitio: qui etiam VIII. Kal. Maij dormitionem accepit, & à Venerabili Fratre ſuo Angelranno juxta Sancti illius Monachi Odelgeri corpus humatus eſt, talíque dictitio prænotatus.

Mauſoleum hìc patrem recolendum ritè GVIDONEM
Sculptus litterulis monſtrat habere lapis.
Extulit egregiæ quem mundo gratia vitæ:
Sublimem mundus hunc faciat precibus.

Verùm & illud placet referre, quod is de quo ſuprà diximus Hugo, non Comes, ſed Aduocatus dictus fuerit, quod nomen illi erat inſigne, ob hoc quod Eccleſiæ ſancti Richarij defenſor fuerit à Rege Hugone inſtitutus. Quo etiam nomine filius eius Angelrannus, huius Fulconis pater, fuit contentus, donec permiſſu Dei Bolonienſem Comitem bello peremit, eiúſque relictam nobiliſſimam nomine

ADELVIAM

ADELVIAM in matrimonium accepit. Et quia Comitiſſam duxit vxorem, idcircò deinceps Comitis nomen accepit, quod à ſucceſſoribus eius jam ex conſuetudine tritum perſeueranter tenetur. Sed ad noſtrum Angelrannum redeamus, & qualiter bonus bonum habuerit ſucceſſorem jam dicere inchoemus.

CAPVT XIII.

De Domno GERVINO *Abbate.*

CVM, vt ſupradictum eſt, comperiſſet Fulconem parentum interceſſu, & pretij datione, præripere voluiſſe regiminis miniſtrationem, voluit adire regiam Majeſtatem ne animarum cura venderetur oraturus. Quod quia aliter ob infirmitatem non potuit, curru vectus impleuit, & Regis auribus ſatis dura inferens, tormenta inferni illum ſubire, ob diſtractionem gratiæ minatus eſt. Et Rex, qui bonæ mentis habebatur, pœnituit, reatúſque indulgentiâ rogatâ ſe ſpopondit emendaturum. Non multi poſt hæc fluxerant dies, cùm ecce ex diuina, vt tenemus, voluntate, regali audientiæ interfuit Virdunenſis Abbas RICHARDVS, Reuerendiſſimum Monachum & merito bonitatis vnicè dilectum GERVINVM ſecum habens Capellanum Et quia iſte eſt Geruinus, de cuius poſt Angelrannum ſucceſſione Centula gauiſa eſt, decentiſſimum intuemur à principio ſurſum quis fuerit referre, vt homo diligendus quò melius noſcitur, melius & ametur. Ex territorio igitur Laudunenſi, patre Guillenco, matréque Romilde, Geruinus natus eſt, & à primæuo æuo litterarum ſtudiis imbuendus in Eccleſia S. MARIÆ noſtratis Galliæ hierarcha, vbi eo tempore famulabatur Domino clerus verè clarus, traditus eſt. Sed, vt fieri ſolet, cùm adoleſcens Grammaticæ operam daret, & patulo ſenſu ipſorum jam carminum vim perpenderet, animaduertit inter ea quædam, quorum omnis intentio hæc eſt, vt aut expletas luxurias referant, aut quomodò quis explere voluerit, vel explere potuerit recenſeant: & dum talium aſſidua meditatione polluitur juuenis mens caſta, tum juuenili feruore,

tum turpium verborum auditione, maximè verò diaboli inſtinctu ad hoc cœpit impelli, vt ea faceret quæ tantorum Poëtarum æſtimabat narratione celebrari. Ad hoc igitur hortatu ſodalium perductus eſt, vt infauſtos expeteret complexus, quandoquidem carnis ardorem non aliter reſtringendum Poëtarum oraculis, & juuenum jam corruptorum ſuggeſtione compererat. Ventum itaque illò vſque eſt, quo caſtitatis jura frangerentur, ſed Deus omnipotens, qui ſibi eum aptum vas gratiæ ordinarat, tanto eum ſubitò pudore reſperſit, vt non ſolùm malè cogitata non perageret, ſed etiam talia voluiſſe viſceraliter eum pœniteret. De pellicis itaque ſe oſculantis, & ad crimen incitantis amplexu, & verè de medijs diaboli faucibus exiliuit, & tanta auctoritate vim iniquæ voluptatis in ſemet compreſſit, vt ipſa priſcorum poemata audire extunc deſiuerit, ne vt penè acciderat, dum litteram diſceret, animam jugularet. Hoc verò non ideò referimus, quòd inſolitum ſit hominem carnis laſciuia fuiſſe tentatum, ſed quia tali occaſione mens probanda erat, quæ jam diſpoſuerat fieri pudicitiæ habitaculum. Hæc ergo cauſa ei fuit, quâ ſecularia ſtudia deſeruit, vnde nec magnam illarum artium peritiam habuit: tamen quia hæc ex parte guſtauerat, faciliùs diuina ingreſſus eſt, in quibus poſtmodùm & verbo & opere peritus habitus eſt.

CAPVT XIV.

Vt ſæculum reliquerit, & Monachus effectus eſt.

DEFVNCTIS patre & matre, cùm totius, quæ magna erat, familiæ GERVINVS prouiſor & dominus haberetur, eſſétque Remenſis Matris Eccleſiæ Canonicus, cogitabat repulſis ſæculi tumultibus Deo ſtrictiùs militare. Sed eius deſiderio contraibat duarum fortè ſororum cuſtodia. Inter multos igitur, quos lege beneficij ſub ſe habebat vaſſallos, erat quidam vir bonus & efficax, ſummæque ſtrenuitatis Miles, nomine BAYMO: huic verò Geruinus terrenorum pondere ſe ſe exonerans delegat patrimonij ſui ſummam, tradens ei germanam in conjugium

nomine ROTSELLINAM. Altera autem quæ viri thorum recuſauit, Chriſti ſponſalibus meruit ſubarrari, & in Monaſterio ſanctimonalium vitam religioſam monialis & ipſa deuotè peregit. Hac tempeſtate florebat virtute modeſtiæ Venerabilis Abbas RICHARDVS, quem multa bonitatis fama omnibus amabilem venerandúmque efficiebat: hunc ergo Geruinus expetiuit, & vt ſibi Monachi veſtem, normámque conferret, exorauit. Ille autem vir Dei repletus fonte doctrinæ, atque ſeruator Regulæ ſanctæ, protraxit virum juxta quod monet Pater Benedictus: proponit dura, aſpera prædicit, ardua docet, monſtrat anguſtum callem qui ducit ad vitæ regnum. Verùm cùm magna diceret Doctor, majora refert auditor: nam dicit ſemet ad omnia promptum velle habere, licet ſint dura, vel inaudita, & quæ natura non aſſueuit: omnia ſpondet toleraturum, dummodò ſibi non differatur Clauſtri ingreſſus. Richardus tantis tractus promiſſis: *En præſens*, inquit, *adeſt Regula ſancta: vide ſi potes his obedire, quæ tibi liber hic intimabit: ſi deprehendis iſta te poſſe perpetim pati, excipieris. Si autem non vis, ſiue non potes iſta ſeruare, libet veniſti, liber diſcede.* *Regula c. 58.*

Talibus inductis prope totus volvitur annus.

Itaque viro ritè probato traditur ſacra Regulæ veſtis, jungíturque ſacræ congregationi militanti ſancto Confeſſori & Epiſcopo Vitono. Factus itaque ſanctæ obſes religionis, omnibus obediens, omnibus deuotus, omnibus benignus, atque ob hoc omnibus erat carus; ſed vt humilitatis eius conſtantia certiùs noſceretur, factus eſt puerorum cuſtos, vt qui Dei judicio Paſtor animarum erat eligendus, tali officio paſtoralitatis præſagium portenderet. Vbi verò & in hoc aptiſſimus apparuit, cœpit eum Pater Richardus feruentiori dilectione ambire, in tantum vt & ſibi Capellanum, & cæteris multorum prouiſorem commodorum ordinaret. Hinc Geruinus ſancto animatus deſiderio cupiebat loca ſancta inuiſere, quibus Domini noſtri IESV CHRISTI natiuitas & conuerſatio, mors & reſurrectio celebratæ noſcuntur: ſed dum Patri votum indicare formidat, ne non conceſſionem acquireret, ſed reprehenſionem, eodem Dei

nutu qui voluntatem timentium ſe facit, cordi paterno acceſſit voluntas. Itaque dum Geruinus orat Deum, vt ſibi tradat voti effectum complendi, Abbas jamdictus caro ſodali ſibi ineſſe hoc prodit velle, vt loca ſancta Ieruſalem eat videre. Rogat vt ſuus comes eſſe velit, quò illo agente citò pararentur commoda vitæ. Et ille ouans quòd quæ optabat diceret Abbas, mox feſtinauit ea parare quæ in illa via erant portanda. Cùm ergo jam Sacerdotio polleret, cum Abbate Richardo & alijs optimis viris jamdictæ vrbis mœnia petijt; quò cùm peruenit, oſcula ſanctis locis affixit, lacrymas fudit, preces allegauit, orans pro ſancta & vniuerſali matre Eccleſia.

CAPVT XV.

Quomodò electus, & Abbas quomodò ſit effectus.

EXPLETIS igitur votorum & precum ſolemniis reuerſi ſunt ad propria; at non multò pòſt quadam agente neceſſitudine, Regali aulæ, vt ſuprà notatum eſt, ſe ſe contulerunt; cùm ecce HENRICVS Rex memor comminationis à Domno Angelranno ſibi intentatæ, ipſum Richardum Abbatem his ſupplex verbis exorat; intra noſtri regni ditionem extat Cœnobium à priſcis Regibus munificè ſatis conſtructum, & quanquam ante hæc tempora à paganis demolitum ſit, eius tamen nomen inter ſancta loca non habetur infimum: huic extat Paſtor actu & nomine prudens Angelrannus, qui perfecto vitæ ſuæ fideliſſimo curſu jamjam carnis exuuias linquere cupit, & ideò ſibi ſuccedi in animarum regimine rogat, precor veſtræ Sanctitatis bonitatem, quatenus Fratri GERVINO permittatis eius loci accipere Paſtoralitatem. Venerandus autem vir tametſi tanti ſodalis diſpendium ægrè ferret, conceſſit, & fratri Geruino donum Regium ſuſcipere imperauit. Tunc Reuerendus Princeps jubet concito greſſu cum aliquantis aulicis viris . . . . . venitur. Excipiuntur nimis grataner, dein diſponunt maturatò Centulam expetere. Tunc Geruinus obſtitit, dicens locum ſe non viſurum, donec vnanimis Fratrum electio ſuis auribus referre-

Digitized by Google

tur. Diriguntur ergo è Clero viri prudentes, qui hæc Centulenſi nuntiarent Congregationi. Aditur venerabilis ANGELRANNVS, indicatur ei electum eſſe à Rege virum, qui Chriſti ouilis opilio dignè debeat dici; ſed nolle eum præcipitanter iſtuc venire, donec ipſius velle cognoſcat, omniúmque Fratrum electionem. Et venerabilis Angelrannus pro his exultat, & confitetur id ſe optare, vt talis homo ſibi ſuccedat, qui Chriſti gregem paſcere norit. Dein congregata Fratrum vnione, intimat lætus regium opus, qui eorum curam prouidendo benignè virum delegiſſet boni amicum, rectíque tenacem, vt eis præſit jure Abbatis: agite, inquit, & quid ſuper iſto veſter animus velit nobis intimate, vt veſtra turma tanto Paſtore citò ornetur. Hæc audientes omnes collaudant, approbántque factum: deinde ſcribitur conſenſus electionis; redditur à Sancto viro cura Paſtoralis, in qua non ſe dignè miniſtraſſe humiliter valdè confitebatur. Recipiunt iſta legati Pontificis, & præpeti gradu redeunt Ambianis, deſignantes Epiſcopo & Abbati benignam Fratrum electionem, & Sancti ſenis conceſſionem. Ea igitur die, qua intemeratæ Virgini Domini IESV Natiuitas futura per Angelum Gabriëlem nuntiata eſt, Abbas ſacratur; ſícque ſequenti luce noſtris ſedibus infertur Paſtor optatus. Sublimatus ergo honore regiminis, arripit arma continuæ humilitatis, non veſte ſubtili, non cibo delicatiori, non ſupercilio dominij vtens, ſed victu communi humilitatéque pari Fratribus & filijs amorem ſui immittens. Sanè è ſui Monaſteri Monachis aliqui eum gratiâ caritatis attrahente extemplò proſequuntur viri honeſti, & tam litterarum peritiâ, quàm & ſæculari prouidentiâ admodùm clari. Horum vnum Præpoſitum fecit, dictum GVARINVM, alium ordinauit Decanum nomine REGNEGVARDVM. Verùm quia glorioſi Geruini ortum & aduentum diuino reſpectu nobis conceſſum paucis perſtrinximus, ad narrandum honorabilem Domni Angelranni tranſitum jam modò animemur.

CAPVT XVI.

Venerandus Domni ANGELRANNI *obitus.*

RERVM itaque conditor Deus, qui ſui ſerui deſiderium jamjamque diſpoſuerat cæleſtis regni amœnitate mulcere, quíque eum ſibi habilem fecerat longiſſimi purgatione languoris, interno Sapientiæ ſuæ conſilio, quo omnem filium receptibilem flagellat, ejuſdem famuli ſui valetudinem ſolito acerbiorem effecit, & cui mox incomparabiliter dulcia erat daturus, doloris diu tolerati feruorem multiplicat. Sed vt oſtenderet quòd non ex ira, ſed ex ſumma miſericordia hæc eius proceſſiſſet correptio, euidentiſſimæ benignitatis ſuper eum ſigna prætendit. Nam cùm iſdem vir beatiſſimus ſacræ Scripturæ ſtudijs attentiſſimè ſemper fuerit implicitus, nec modò quidem cum grauiſſimo morbo vrgeretur à diuinis operibus affectus eius & voluntas vnquam potuit inhiberi, modò pſalmodiæ indefeſſus inſiſtebat, modò ſacris diuinorum præceptorum meditationibus hærebat, modò Miſſarum ſolemnia in lectulo recubans ac ſi ad altare ſtaret ore proprio decantabat: vnde & contingebat quoſdam mirari, vt vir, qui tantæ ſapientiæ ſciebatur, quaſi dementicium opus faceret; cùm ille omnes quos inde mirari audiebat, ineptos & totius boni neſcios dijudicaret. Accidit ergo vt quadam vice cùm Miſſam in lecto recumbens protenſis manibus decantaſſet, & omnipotens Deus quid erga illum ageretur reuelare inſcijs voluiſſet, poſt Miſſam finitam ſitim ſe pati inſinuaret. Præcepit itaque Miniſtro, vt ſibi vini poculum miniſtraret: ille concitus vinum detulit; ſed ex hoc ſe nolle bibere Sanctus indicauit: Miniſter regrediens aliud detulit, ſed ad primum guſtum & hoc beatus homo repudiauit. Cúmque famulus eum vidiſſet & ſemel, & bis vinum repuliſſe, aliúdque ſe velle ſenior indicaret, miniſter alia vina ſe non habere cauſatur. Tunc ſanctus vir, ipſa verba dicenda ſunt; de illo, inquit, affer mihi, de quo nunc ad Miſſam habui: quo audito, circumſtantes tremore obrigeſcunt, & dulciſſimo Patri cum lacrymis reſponderunt: de illo, Pater, vlte-

Digitized by Google

riùs non habebis, niſi tibi dederit, qui & priùs dedit. Siquidem cùm Miſſam faciens extra ſe crederetur, dúmque ad ipſum locum veniretur, quando Dominici Corporis ſacroſancta libatio agi ſolet, cæleſtibus eſcis ſuperno dono tranſmiſſis refouebatur. Igitur animaduertens quòd ipſi ſui familiares rem ſecretam agnouiſſent, volénſque omnimodò celare bonitatem Dei in ſe peractam, quaſi permotus jubet eos citiùs recedere. Habent enim Sancti viri hoc proprium, vt cùm bona faciunt occultari velint, ne ſcilicet laudis tranſitoriæ plauſum recipientes ante Dei oculos operationis ſuæ mercedem imminuant.

Dum verò iſta agerentur, & beatus homo jamjam præ multa infirmitatis acerbitate corpore putaretur abſolui, & ob hoc ab his quos nutriuerat ſollicitè obſeruaretur, accidit neceſſitudo pro qua ad regalem Curiam mittere neceſſarium fuit. Præcepit itaque Domnus GERVINVS, qui jam loci dominatum retinebat, vni è Fratribus vt id negotij expleret. Ille verò qui deſiderabat optimi Patris præſentialiter illuſtrari tranſitu, & implicari exequijs, omnimoda excuſatione ſe non id facturum reſpondit. Tunc venerabilis Geruinus tali reſponſo coactus, ſanctum Dei virum Angel. tannum quò jacebat adijt, eíque Monachi inobedientiam intimauit. Ipſe autem eundem Monachum ad ſe vocari faciens, inquiſiuit, cur non præceptum impleſſet, dein jubet etiam vt impleat. Cúmque adhuc ille nollet, ſanctus Abbas prophetici ſpiritus gratia luminatus promiſit, dicens: vade, & fac quod tibi præcipitur, & ſcias hoc corpus terram non intrare donec reuertaris. Tali ſponſione exhilaratus Frater viam arripuit, & ea, propter quæ mittebatur, apud regias aures optimè allegauit. Superueniente autem vocatione ſuperna, quâ cæleſtia petens Angelrannus terrena deſereret, ſancta illa anima Angelorum miniſterio, Dei obtutibus præſentanda v. Idus Decembris carnis exiit clauſtra. Iam verò ille qui multiformi argumento politus fuerat lapis cæleſti ædificio locatur. Iam qui in valle humilitatis ſuperno rore humecta creuerat, lilij flos cæleſte ſertum exornat. Iam quæ inter diuerſas gemma claruerat tonſiones diadema ſupplet diuinum. Monachus autem his, pro

quibus miſſus fuerat, expletis reuertebatur, cùm ſubitò in ciuitate Ambianenſi, quò cauſa hoſpitandi diuerterat, de obitu Patris dira eum nuncia percellunt, tunc relicto hoſpitio, & ciborum apparatu (nam veſpertina hora erat, & cœnulæ ſtudebatur) certatímque conſcenſis equis Centulam repedauit; inuenítque ſanctum corpus jam exanime in Monaſterio poſitum Fratrum excubiis venerabiliter circumdari, proximâ horâ ſepulturæ tradendum. Affuit ergo, obſequutus eſt, & impleto eius deſiderio etiam Patris prophetia impleta eſt, qui promiſerat ſuum corpus terram non intrare, donec idem Monachus de Regis curia reuerteretur.

CAPVT XVII.

Sepelitio Domni ANGELRANNI.

SEPVLTVM verò eſt Sancti viri corpus infra militis Chriſti Sanctiſſimi Richarij venerabile templum, eo loci quo Beati Laurentij veneratur Martyrium. Cujus tumulationi venerabilis eius ſucceſſor Abbas GERVINVS tantùm contulit decoris, vt cujuſlibet antiquorum Patrum Sanctitati honor tantæ ſepulturæ ſufficere poſſe crederetur: æquiſſimum contemplatus, vt honore decenti ſeruaretur eius corporis gleba, qui perenni lauro redimitus, cum cœlicolis laudes Chriſto hymnizat in æternum, Amen.
1045. Acta ſunt hæc anno Incarnati Filij Dei MXLV. Ind. xij. At Chriſtus Dominus, cui hic beatus homo fideliter ſeruierat, quanti apud ſe eius ſeruitium penderetur, quantáque hunc remuneratio cælitus exaltaret, claris indicijs mortalium notitiæ pandere dignatus eſt. Nempe in pago Vimmaco fuit mulier habens filiam paralyſi percuſſam, quæ ad omne opus inhabilis grabato moribunda tenebatur. Hæc comperta beati Abbatis Angelranni ſanctitate, & fidei feruore ſuccenſa, ſalutíſque filiæ cupida ad tumbam eius cum candela illam deduxit. Cúmque ipſa ægrota ſepulcro hominis Dei candelam deuotè obtuliſſet, ſedit juxta ſepulcrum, & ſomno paululùm indulſit. Deinde euigilans ſaniſſima redditur, & videntibus Fratribus Monaſterij, Deúmque

Digitized by Google

que laudantibus, ad villam vnde venerat vocabulo Filcharias*, proprijs ſedibus alacriter cum gaudio redijt, omnibus annuncians quanta ſibi Deus per B. Angelrannum Abbatem feciſſet. GVIDO igitur tunc Ambianenſis Eccleſiæ Archidiaconus, poſteà eiuſdem ſedis Epiſcopus, qui illius fuerat in ſtudio litterarum diſcipulus, tali eius tumbam epitaphio decorauit.

* Fouquieres.

Quem tegit hic tumulus lectiſſimus ANGELIRANNVS
Huius Cœnobij Paſtor & Abba fuit:
Dux gregis Eccleſiæ, Monachûm ſpes inclyta vitæ,
Vixit & in mundo mundus, & in Domino.

Qui igitur pleniùs noſſe vult quantæ penes hunc ſanctum locum fuerit vtilitatis, verſiculos intueatur, qui de eodem, vt poſteri ſcirent & imitarentur, deſcripti ſunt tali tenore:

Abba ANGELRANNVS *loculo quæ pancula noſtro*
Contulit, hic retinet ſcriptus qui cernitur albus.
Sancti Vincenti, necnon ſancti Benedicti
Eccleſiam ſtruxit; cellam infirmiſque parauit.
A fundamentis inſtaurauit paradiſum:
Altaris Petri tabulam componere fecit:
Thuribula ex argento etiam conflare gemella.
Librum Euangelij, ſancti vitámque Richarij
Ipſius ſtudium mero argento decorauit.
Eſt & Epiſto-liber-larum atque Euangeliorum
Ipſius argento quem induſtria nempe parauit.
Ipſius atque calix ſtudio præclarus haberi
Cernitur adjuncta ſibimet cum lance decenti.
Præter & hunc alius quem in Miſſis ſemper habebat:
Vnum dorſale, & tria pallia quàmpretioſa.
Terras ſeruauit peruaſas, atque redemit:
Sicut Noguerias, Gaſpannas, & Druſiacum;
Guibrenti Eccleſiam, Froocort, Montiſque-Rochonis;
Eccleſiam Sacri-Campi, diſcrimine diro
Dum plures trahitant, vt pars contraria vincat,
Detractus multis multa & perpeſſus iniquis,

Quæ ſuprà retuli, necnon quàmplura peregit,
Actum ſic vt ſit Domini ſcientia nouit;
Excedunt libri numerum quos ipſe nouauit.
Inſuper excedunt numerum quos ipſe refecit.
Talibus atque alijs cœleſtis præmia regni,
Vt ſpes eſt, meruit. Lector quod poſſe monemus.
Vltimus ipſius fuit hic finis ſtudiorum.
Eccleſiam ſanctæ reficit moriendo MARIÆ,
Cuius apud Dominum nobis ſuffragia proſint.
Ergo horum reuocatori ſint præmia vitæ.
Damnetur, cuius ſtudio hæc neglecta peribunt.

Is ipſe honorabilis vir poſteritati conſulens deſcripſit catalogum rythmicum de Patribus ſancti huius loci, non quidem omnes deſignans, ſed tantummodò illos memorans quorum nomina vel chartæ, vel quælibet pittatiola inſinuare videbantur; vel etiam vita ſancti Richarij ſpecialiter notificabat.

Hæc quidem honorabilis ANGELRANNVS. Veruntamen nos admodùm miramur quomodò fieri potuit, vt tam ſtudioſus homo Domni HELIGAVDI Comitis & Abbatis geſta neſcierit, aut ſi ſciuit, cur nomen eius referre omiſerit, cùm ipſa eiuſdem Heligaudi geſta nonnuper alicubi reperta, ſed antiquitùs, niſi fallimur, in huius loci ſcrinio habita fuerint & conſeruata. Fieri tamen potuiſſe credendum eſt, vt poſt Domni Angelranni obitum ab aliquo loco hæc quæ de illò Comite Abbate leguntur iſtuc allata fuerint; Cùm, ſicut huius operis teſtatur præfatio, tempore deſolationis Monachis fugientibus, non ſolùm Reliquiæ & ornamenta ſublata, ſed & ſcripturæ, quæ de ſancto loco confectæ erant, per diuerſa loca deportatæ ſint & diſperſæ. nam & Venerabilis GERVINVS aliquando perrexit Monaſterium Gorziam, indéque retulit codicem de geſtis huius ſancti loci; ibíque inuentum eſt quod anteà multo tempore latuerat: quia ſcilicet Domno Angilberto Abbate ad cœleſtia tranſeunte, filius eius Nithardus illi poſt quoſdam alios ſucceſſerit in gubernatione ſancti loci; & cætera quæ ſuperiùs in locis ſuis notare curauimus. Sed & de Abbate

Digitized by Google

Ribbodone ibidem fuerat digeſtum, quòd ſancti Angilberti corpus tranſtulerit, & alia multa in eodem volumine reperta ſunt huius loci monimenta, quæ honorabilem Angelrannum conſtat ignoraſſe. Hæc igitur Abbatum nomina, quæ in Domni Angelranni ſcripto minùs, in noſtro verò plenius habentur, id eſt, Domnus NITHARDVS, Domnúſque RIBBODO, HELGAVDVS quoque & COSCHINVS: duo prima in codice à Gorzia delato, tertium autem in membranis noſtri Gymnaſij reperta ſunt. Nam de Domno Coſchino plura apud Gemmeticum Cœnobium ſcripta tenentur; ex quibus comprobatur iſdem vir tam noſtri, quàm illius Abbas fuiſſe loci. Hæc cùm ita ſe habeant, ad Domni Geruini vitam digerendam jamjam cum calamo animus ſe retorqueat.

CAPVT XVIII.

De laudabilibus Domni GERVINI *actis; & de conſtructione Cryptæ.*

GERVINVS igitur commiſſorum curæ inſiſtens, delinquentéſque corripiens, in eorum cordibus verbis prædicationum & exemplis operum plantaria virtutum ſerebat. Quorumque etiam hominum ſceleſtorum confeſſiones recipiens, eorúmque animas ſaucias ſanctarum fomentis ſcripturarum reſolidans, ad Dei miſericordiam reuocabat: ex quibus ſi aliquos ditiores ſenſiſſet, domos orationum erigere causâ promerendæ venię hortabatur: cujus pia intentio noſtrati patriæ multùm contulit decoris, profectúſque, dum quæ non erant erigebantur, vel quæ lignis fuerant compactæ cœmento & lapide reficiebantur. Ipſe verò circa locum commiſſum ſatis ſollicitus veterata nouare, diſſipata ſarcire, nunquam facta extruere contendebat. Vnde & Cryptam ſatis inſignem condidit hodiéque perſeuerantem, quam conſecrare obtinuit ad honorem noſtræ Dominæ Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ. In qua Crypta per IV quæ ibi ſunt altaria, tanta támque glorioſa Domini Chriſti, & Sanctorum eius repoſuit pignora; vt ſi alia non eſſent, his reuerà ſatis ſupérque decenter inſigni-

retur noſtra patriola: harum ergo ſacrarum Reliquiarum indiculum apponimus, vt quanta gloria ſacer ille locus vigeat, poſteritas queat noſſe. Titulantur in præſenti Reliquiæ, quarum multitudine decoratur majus altare Cryptæ Centulenſis, quod eſt dedicatum in honore Dominicæ Annuntiationis, Natiuitatis, ac ſanctæ & victorioſiſſimæ Crucis, & Beatæ ac Glorioſæ ſemper Virginis MARIÆ, & S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtę, & præclariſſimi Confeſſoris Chriſti Richarij, & Beatę Cæcilię Virginis, & omnium Sanctarum Virginum, quorum, quarúmque hæ ſunt Reliquię. De ligno ſanctę Crucis, de ſepulcro Domini, cera de ſancta reſurrectione, de columna vbi Dominus fuit ligatus, de lapide vbi ſtetit quando aſcendit crucem, de linteo quo fuit præcinctus quando Diſcipulorum pedes lauit, de præſepe Domini, de virga Moyſi, de manna, de veſtimentis Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, de capillis eius, de filo quem ipſa neuit, de ſepulcro eius, de S. Ioanne Baptiſta, de corpore Iſaïæ Prophetæ, de S. Ioanne Euangeliſta, de SS. Innocentibus, de S. Stephano Protomartyre; de SS. Martyribus Stephano Papa, Felice Papa, Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, Florentio, Blaſio, Criſpino, Criſpiniano, Paterno; dens S. Liuinij Martyris, de ſancto Hermete, Præjecto, Romano, Martyribus; Reliquiæ Confeſſorum Sanctorum Martini, Remigij, Nicolai, Vedaſti, Medardi, Caſſiani, Amandi, Eligij, Caydoci, Saluij, Pauli, Machuti, Gaugerici, Autberti, Ranulfi, Acharij, Otberti, Guandregiſili, Bertini, Filiberti, Bauonis, Gualarici, Mauronti, Guingualoei, Iudoci, Cutberti: Reliquiæ verò Virginum Petronillæ, Anaſtaſiæ, Iuſtinæ, Priſcæ, Praxedis, Gertrudis, Auguſtæ.

Item ad meridianam partem Cryptæ dedicatum eſt altare in honore aduentus Spiritus ſancti, & Beatiſſimorum Apoſtolorum, Bartholomæi, Matthæi, & Lucæ Euangeliſtæ; Sanctorúmque Mauricij, Nicaſij, Leodegarij Martyris; & Sanctarum Agathæ, Luciæ Virginum. Hæ inibi ſunt Reliquiæ, de capillis S. Bartholomæi, de capite S. Matthæi, de capite S. Nicaſij, de ſanctis Mauricio, Leodegario, Firmino, Cyriaco, Agapito, Criſpino, Criſpiniano, Anthi-

Digitized by Google

mo Martyribus. Item de Sanctis Cornelio & Cypriano, de Sancta Agatha, de S. Sabina, de ſepulcro Domini.

Item dedicatum eſt altare ad Septentrionalem partem Cryptæ in honore glorioſæ Reſurrectionis, Aſcenſioníſque Domini noſtri IESV CHRISTI; & SS. Apoſtolorum Iacobi, Simonis & Iudæ, Sanctorúmque Quintini, Luciani, Fuſciani, Victorici, Gentiani, Lamberti, Sanctarúmque Agnetis, Scholaſticæ Virginum. Hæ ſunt Reliquiæ. De veſtimentis Apoſtolorum Petri & Pauli cum puluere de S. Iacobo; dens S. Simonis Apoſtoli, de ſanctis Chriſtophoro, Georgio, Criſpino, Criſpiniano. De capillis S. Quintini, & de eius corpore, & de clauo quo perforatus eſt; de caſula S. Lamberti, de S. Hilario, de ſanctis Agnete & Scholaſtica Virginibus.

Item dedicatum eſt altare ſubtus altare S. Richarij in honore Sanctæ ac Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; & SS. Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, Geruaſij, Protaſij Martyrum; & SS. Confeſſorum Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, atque Athanaſij, & omnium Sanctorum. Hæ ſunt Reliquiæ. De SS. Dionyſio Ruſtico & Eleutherio, Geruaſio, Protaſio Martyribus, & de Sancto Satyro, Ambroſio, Auguſtino Confeſſoribus.

Hæc tãta támque pretioſa Domini noſtri IESV CHRISTI, ac Sanctorum pignera ſagaciſſimus Paſtor Geruinus per diuerſa Galliæ loca ſtudio ingenti quæſita, partim etiam apud Sanctiſſimum Richarium reperta, in altarijs quæ in Crypta erexit honorificè collocauit XI v. Kal. Nouembris, eandem domum Deo omnipotenti, & S. MARIÆ veneranter dedicans. Sunt igitur alia multa, quæ erga loci diligentiam vir bonus exercuit, tam in pallijs adquirendis, quàm in tapetibus faciendis, vel terris redimendis, quarum rerum cùm præ oculis multa ſint experimenta, aliqua tamen hîc ponenda ſunt indicia.

CAPVT XIX.

Qualiter Scabelli-villæ Eccleſiam, quæ calumniabatur reddi obtinuit.

IN hoc noſtro opuſculo à nobis relatum eſt, venerabilem Angelrannum Neuſtriam iſſe, & donatione Ducis Richardi Scabelli-villæ Eccleſiam in vſus noſtratis loci accepiſſe. Verùm Richardo Marchione, qui hoc nobis bonum contulerat obeunte, filio eius Richardo Ducatum, quem pauco tempore tenuit, Roberto fratri relinquente, atque poſt hunc Robertum Guillelmo exurgente; jamdicta Eccleſia impediebatur nobis à quadam Abbatiſſa, quæ in ſuum jus illam conuertere qua neſcio arte moliebatur. Qua occaſione memorabilis Geruinus Neuſtriam vadit, ferens ſecum chirographum, quod ſuper deditione eiuſdem Eccleſiæ Marchio Richardus confecerat, volens eam veraci aſſertione, & cartæ teſtimonio nobis derationare, ſimul & exoraturus præfatum Ducem Guillelmum, ne quod ſui anteceſſores donauerant, ipſe S. Richario patereturauferri. At Comes memoratus valde eum pro ſua ſanctitate diligens & honorans ei per omnia fauit, Eccleſiam ipſam terris ampliauit, & ei ſuper eius perpetua ſtabilitate tale confirmationis teſtamentum fierit juſſit.

„ In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, GVILLELMVS
„ gratia Dei Normannorũ Dux, omnibus Catholicæ Eccle-
„ ſiæ filijs, quibus eſt cura animæ & corporis. Cupimus no-
„ tum fieri omni futuræ poſteritati, quomodò Eccleſiam Sca-
„ melli-villæ pro ſalute animæ meæ S. Richario perpetuò
„ habendam firmauerim cenſurâ auctoritatis noſtræ. Cùm
„ calumniaretur ab Abbatiſſa Villaris-Monaſterij, & ab Ab-
„ bate fuiſſem Conuentus Monaſterij S. Richarij, GERVINO
„ nomine, cauſam hujus negotij ipſo eodem coram Primati-
„ bus curiæ meæ explicante, ſibi jure competere anteceſſo-
„ rum meorum donatione, judicio eorum decernente, tali
„ tenore reddidi: data inſuper credulitatis gratiâ mea fide,
„ vt deinceps ſub mea aduocatione liberam teneret ſicut ac-
„ ceperat à meo auo & patre. Aduerteram enim illorum qui

Digitized by

cauſam nouerant, narratione ſuggerente præbendarium « pro hoc beneficio in memoriam noſtri debitè illis intereſſe. « Vnde ne noſtra confirmatio alicujus futurorum temeritate « caſſaretur, & nos meritum amitteremus, hujuis teſtamenti « litteras conſcribere fecimus. Actum hoc Anno Dominicæ « Incarnationis MXLVIII. apud Argentulum III. Kal. No- « 1048. uembris. Hujus rei teſtes ſunt idonei, STORINSTINGVS, « RICHARDVS filius eius, Yvo de Beliſmo; ARNVLFVS ne- « pos eius, RODVLFVS Taxo. «

Guillelmus Comes cùm à Domno Geruino hujus rei causâ expetitus fuiſſet, magnoperè ipſum deprecatus eſt Abbatem, vt de S. Vigoris Epiſcopi corpore, quod Dei gratia præeunte noſtris olim fuerat ſedibus illatum, aliquid ſibi impertiretur: & niſi Abbas id ſe facturum ſpopondiſſet, jamdictam Eccleſiam, vt dicitur, verè amiſiſſet: dum Comes ipſe magis propinquæ ſuæ & affini maluiſſet illam cedere, quàm cuilibet alio condonare: ſiquidem eadem Abbatiſſa parentilitate ejuſdem Ducis illuſtrabatur.

CAPVT XX.

Item de S. VIGORE *aſſertio.*

VERVM quia nunc de ſanctiſſimi Pontificis corpore mentio incidit, operæpretium remur iſtic narrare veridicam aſſertionem, quam ipſe Beatus Præſul Domino nobis conſulente patrauit. Enimuerò in geſtis Domni & Sancti Angelranni inuenitur, qualiter ipſe magnificus Abba de ejuſdem Sancti corpore certus ſit effectus; & quòd libellum vitæ illius à Neuſtria deferens, & ex eo glorioſi eius tranſitus diem agnoſcens, natalem eius coli ſtatuerit. Hoc itaque ſtatutum ad hæc vſque quæ diſſerimus glorioſi Geruini tempora permanſit, qui Domini timore Sanctorúmque vigens amore, multa in diuino cultu circa nos meliorauit. Euenit itaque vt reuolutio annua S. Vigoris feſtum referret, quod Fratres juxta morem à Domno Angelranno quondam ſtatutum procurauerunt. Fortè tum abſens erat Abbas Geruinus, Fratrúmque cuſtodiæ inuigilabat Prior, nomine Reguegnardus. Is igitur Reguegnardus ipſa nocte quâ Fra-

tres Sancto ſolemnia exhibebant, infirmitate corporis aliquantula detentus, ſolemnijs deerat, & ſtrato decubans pigriùs dormitabat (Aliàs autem vir bonus erat caſtus & timoratus) Ecce autem dormienti ei adeſt venerandæ proceritatis ſummíque decoris perſona, Pontificale ſchema prætendens, ſatíſque dulciter ait Reguegnardo : Quid hîc jaces, & meis ſolemnijs non interes ? Ille pauitans ob perſonæ excellentiam, ſciſcitatus tamen hoc dedit reſponſum: Domine, ait, quia infirmus ſum. Subſecutúſque : Quis, inquit, Domine, es tu ? Ego, ait, ſum Vigor Baiocenſis Eccleſiæ Epiſcopus. Surge, ſanus eſto, & meis ſolemnijs intereſſe feſtina. Dicito autem Abbati tuo & fratribus quia cùm Domini noſtri bonitas meum corpus hîc haberi conceſſerit, & ego hoc volo, mea feſtiuitas amplior quàm fit deberet fieri. His viſu auditúque perceptis, Monachus ſanus exurgit, chorum petit, atque cum cæteris altos vt poterat pro laude Sancti cantus emittit. Mirari Fratres, & quia illa hora loquendi auſum denegabat, facto mane rei ordinem quærunt. Ille viſionem refert, fatur ſalutem, recitat imperata. Gaudent omnes, atque ad amorem Sancti viſceraliter accenduntur. Reuertenti Abbati omnia recapitulantur, & ille qui ſine aliqua hujuſmodi occaſione multas aliorum Sanctorum feſtiuitates exaltauerat, S. Vigoris feſtum deinceps coli celeberrimè mandat.

FVLCARDVS,

Festa dies Patris rutilat celebranda Vigoris,
Patrem Baiocas, quem Fratrem gaudet Atrebas.
Hujus grata Deo genitrix, generoſa virago
Pignore de tanto capit aſſertore ſuperno
Natum, quem geſtat, benedixit diua poteſtas,
Sacrauitque ſibi, cuncto ſacrauit & orbi.
Naſcitur ergo puer formà ſpecioſus, & alter
Fit Samuël, Domino condignus ab vngue tenello.
Móxque jugo Domini ſubclinat lenia colli,
Infertúrque gregi Monachus puer Atrebatenſi:
Proficiens cunctis Patribus, profecit ab illis,
Inclytus ille puer, cunctis ſubjectus ouanter,

Iam

Digitized by

Iam quoddam majus meditatur tyro beatus,
Fiat vt à patria peregrinus cum Patriarcha.
Exulat ergo procul hic ſeminuerbius exul,
Tendens ad populum ſibi cœlitus inſinuatum,
Vrbs eſt Baiocas, quam priſca Neuſtria monſtras.
Hanc adit vt doceat quos impius error habebat,
Gratia virtutum Chriſti comitatur alumnum.
Quæque docendo monet, ſignis probat, actibus implet.
Viribus exſangues reparauit, depulit angues,
Ad ſuperos vita functum traxit prece fuſa.
His populus viſis, ſe ſacris deuouet vndis;
Háncque Deo prolem per ſacri fontis honorem,
Sancte VIGOR, *generas; ſacras cui ſoluimus odas.*
Flammarum domitor, qui mundi comprimis ignes,
Ne nos exurant, flammas compeſce gehennæ.

Marchio verò GVILLELMVS miſſo ad nos Monacho de Monaſterio Ceraſiaco nomine GVARINO, vnum ſancti Epiſcopi de dextero brachio os promeruit, quod apud idem Monaſterium Ceraſiacum infinita venerabilitate colitur. Eſt autem idem locus in territorio Baiocaſinenſium ſitus, ex quo vir Domini Vigor Epiſcopus, vt in vita eius legitur, dum adhuc in huius peregrinationis exilio moraretur immanem effugauit anguem, & ob hanc virtutem traditus eſt ſancto viro locus, in quo nunc etiam ſeruorum Chriſti Congregatio habetur. Cùm itaque Monachi ibidem degentes cum ineffabili gaudio ſanctiſſimi ſui Patroni Reliquias ouanter excepiſſent, voluerunt experiri vtrum nam verè illud os de S. Vigoris corpore fuiſſet; ſciebant autem quòd inter alia dona virtutum, quibus fulſerat ſemper, immò fulgebat, hoc quoque excellentius obtineret, quòd nullomodo ignis ardore lædi, aut comburi poſſet. Itaque ſtruem lini, quod ſcilicet facilè nimis incenditur, faciunt, & brachium illud ſanctiſſimi Pontificis ſuperponunt: Deinde linum deſuper congerunt, & ita aridam & tenuem materiem igne ſubpoſito inflammant; & licet Deus omnipotens in ſui ſerui meritò tentandus non fuiſſet, eoſdem tamen Fratres, qui non quolibet vitio, ſed certitu-

dinis capiendæ gratiâ id fecerunt, miraculi ac virtutis euentus non fefellit: nam non ſolùm Sancti dexteram ignis ille non læſit, ſed etiam linum quod fuerat appoſitum ab igne permanſit intactum. Sic Fratres illi de Patris pignore certi facti ſunt. Nec dum poſt hoc factum octo fluxerant dies, cùm ecce homo dæmonio plenus, eorundem Fratrum miſeratione aquam, ex qua fortè illud beatum os fuerat lotum, accepit, quâ bibitâ ſalutem corporis & libertatem recepit, & deinceps inimici infeſtationem non pertulit. Hæc quidem duo miracula per S. Vigoris Reliquias à nobis illuc relatas, apud Ceraſiacum Monaſterium Chriſtus Dominus peregit. Poſt aliquot autem annorum ſpatia, conuocatis honorificis viris, Epiſcopis ſcilicet & Abbatibus, Geruinus Pater eius ſacratiſſima membra de ea capſa, in qua à tempore Ingelardi Abbatis pauſauerant, abſtulit; & per manus Pontificum conuocatorum populo fideli demonſtrauit: deinde in aliam auro & argento paratam repoſuit honorificè, vt decebat tantum Dei Confeſſorem. Hæc verò tranſlatio beati corporis XII. Kal. Aprilis facta eſt; quæ dies omni anno Quadrageſimalis jejunij ambitur religione, quod diuino nutu factitatum credimus, vt tunc populi fideles ſanctiſſimi Pontificis oſſa videre meruiſſent, quando ſtrictioris ac per hoc purioris vitæ ſacrificium Deo obtuliſſent.

CAPVT XXI.

De Comitibus Pontiuorum & de Villis Portæ & Nogueriis.

IGITVR poſt relationem neceſſariè de S. Vigore habitam, ad noſtri GERVINI acta reuertamur, & quomodò villam, quæ dicitur Portas, noſter locus habuerit, paucis perſtringamus. Ac primùm, quoniam dono Pontiuorum Comitum illam meruimus, dignum putatur vt eorum ſeries breuiter intimetur. Quo primùm igitur tempore Pontiua patriola munitionibus caſtrorum aucta eſt, ablatis Monaſterio Centulo tribus oppidis, Abbatis villa, Sancto Me-

Digitized by Google

dardo, & Incra, & his caſtellis effectis; in eorúmque ſtipendia multis alijs S. Richarij villis & reditibus ab HVGONE Rege prærogatis, noſtra hæc prouincia non Comite vtebatur, ſed regijs militibus hinc inde præpoſitis conſeruabatur. Anteriori tamen tempore à pleríſque noſtris Abbatibus Comitis nomen gerentibus plerúmque fuerat defenſata; verùm quoniam hi moderno tempore diſpoſiti, non omnes caſtrorum municipes vel Domini exiſtebant: ob hoc reliquis Paribus ſuis Hugo Abbatenſis fortior factus eſt, quia & caſtelli fretus munitione abſque timore quælibet efficiebat, & reliqui ſi quid conabantur non habentes refugium facilè ſuccumbebant. Attamen huic nunquam Comitis nomen acceſſit, ſed erat illi inſigne quod S. Richarij vocabatur Aduocatus. Quæ res etiam plurimùm ei contulerat fortitudinis, dum Aduocationis obtentu S. Richarij villarum reditu, & Ruſticorum ſeruitio vtebatur. Hic poſtquam abſque nomine & dignitate Comitis mortuus eſt, ſucceſſorem habuit filium nomine ANGELRANNVM. Hic quoque nomine Aduocati contentus fuit, donec Bolonienſem Comitem prælio interimens, & eius relictam ſibi in matrimonio copulans, à Comitiſſa vxore nomen Comitis vindicauit. Angelrannus itáque aſſumtum ſibi Comitis nomen in poſteros tranſmittens, poſt longæuam ætatem moriens, reliquit honoris & nominis heredem nomine HVGONEM; qui poſt expletum vitæ tempus, dum morti proximum ſe videret, ſupradictam villam, quæ dicitur Portas, delegauit Sancto Richario, optans vt pro remedio ſuæ animæ Monaſterij noſtri vſibus ſeruiret. Genuerat verò quatuor filios, quorum primus nomine ANGELRANNVS, homo formæ mirabilis, qui patri ſuccedebat, in die depoſitionis eiuſdem Patris ſui jamdictam villam Sancto contradidit, talem deditionis confirmans teſtimonij chartam.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, ego ANGEL- "
RANNVS gratiâ Dei Comes, compertum fieri volo omni- "
bus Eccleſiæ Dei filijs tam præſentibus quàm futuris, quòd "
pater meus Comes, ſcilicet HVGO, adhuc viuens, ſed "
diem mortis extremum trahens, pro ſuæ remedio animæ "
villam quam poſſederat ſolidam, Portam nomine, S. Ri- "

» chario dedit perpetuò habendam ; ea ſcilicet ratione, vt
» nullus ſuorum ſucceſſorum ampliùs vllos reſpectus, vel
» paruas vel magnas conſuetudines ab ea expeteret, quate-
» nus tota cum ſuis reditibus Sancto & Fratribus inibi ma-
» nentibus deſeruiret. Vnde huius donationis chartulam
» Abbate GERVINO petente conſcribi fecimus, & ſigno no-
» ſtro, noſtrorúmque fidelium ſignauimus. S. ANGELRANNI
» Comitis ; S. GODEFREDI ; S. OYLARDI ; S. ROBERTI ;
» S. BERNARDI ; S. GVALTERI ; S. GERARDI ; S. INGEL-
» RANNI. Facta eſt hæc traditio ſuper altare S. Richarij die
» ſepulturæ Hugonis Comitis xij: Kal. Decembris ab In-
» gelranno filio eius cum Optimatibus ſuis, pręſente Domno
» Pontifice FVLCONE : qui illicò exoratus à Fratribus, & ipſo
» Comite ſuggerente, ſub excommunicatione interdixit, ne
» aliquis ampliùs in illa villa neque per vim, neque per de-
» precaturam, neque per Aduocaturam, de omiſſis conſue-
» tudinibus ampliùs aliquid expeteret. Huc vſque charta.

Prætereà quidam miles, nomine GVALTERVS, quem vulgus vocitabat TIREL, villam S. Richarij dictam Noguerias ſibi volens vindicare, poſt illa omnia, quæ ſuprà ſcripta ſunt tempore Domni Angelranni geſta fuiſſe, de hac eadem villa à Rege HENRICO, & à perfido Hucberto, cuiuſdam quaſi juſtitiæ rectitudine ſibi eam deberi ex aliquo ſucceſſionis jure adſtruebat : talíque ratione ſuam colorans auaritiam, villam inuaſit, tenuit, & per aliquod tempus Fratribus eum excommunicantibus ſibi vſurpauit. Verùm cùm ei ſuggererent amici illam excommunicationis ſufferentiam animæ mortem illi operari, tandem Deo ſe reſpiciente aliquatenus ceſſit, & quandiu, ipſe vel eius conjunx viueret, ſibi medietatem retinuit, medietatem Sancto reſtituit, poſt ſuum obitum integerrimam in Sancti jus eam redire ſtatuens. Pro qua ratione venerabilis Paſtor ſcriptum chirographum archiuis noſtris repoſuit, quod ita ſe habet.

» In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Ego Frater
» GERVINVS Abbas Monaſterij S. Richarij, notum volo om-
» nibus Sanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus, quos in adoptione fi-
» liorum per ſanguinem ſuum, pérque ſanctificationem ba-

ptiſmatis fratres ſibi adoptauit Chriſtus, quia Miles quidam « WALTERVS, quem vano cognomine TIRELLVM pleríque « appellamus, Noguerias villam S. Richarij jamdudum diu « à prædeceſſoribus noſtris poſſeſſam, & nobis jure heredi- « tario traditam, malitiosè inuaſit, inuadendo ſubripuit, ac « ſubripiendo ſub anathematis obligatione aliquandiu deti- « nuit: at tandem contradicentibus amicis, & injuriam hanc « in perniciem ànimæ ſuæ crebrò referentibus, victus eru- « buit, & inſanæ cupiditatis malitiam deſerens à S. Richario, « atque à Fratribus veniam expetiuit. Redditáque villa, & « condonata nobis olim fundata Capella, abſolutionem ex « communicationis cùm præſente vxore ſua ERMINA, terræ « proſtratus accepit; ita dicens, cauſam componens, vt præ- « fata Capella ſicuti ſibi vel ſuis hactenus ſine quolibet Syno- « dali reſpectu deſeruiens permanſerat, ita per futura ſæcula « ſub eadem libertate perſiſtat. Acta ſunt hæc vij. Idus Octo- « bris, Anno Domini MLIII. Indictione VI. Anathematis « confirmationem eodem Milite cum alijs ſubnotatis teſtibus « reſpondente, ne quis ex illo die pro quacumque occaſione, « aut ex progenie eorum, vel alicuius horum incitatione au- « deret temerarius hanc ſibi villam vlteriùs vſurpare. Ego « Geruinus, noſtræ etiam religionis Preſbyteri, cum Diaco- « nibus, ſimúlque huius inſtitutionis Monachis, ex auctori- « tate Dei Patris omnipotentis, & B. MARIÆ ſemper Vir- « ginis, & B. Petri Apoſtolorum Principis, damnamus, & « in perpetuo anathematizamus omnes, qui ex præſenti die « voluerint huius redditionem villæ, & donum atque liber- « tatem Capellæ, aliquo auſu reſcindere, aut demere, ſeu « contradicere, Amen. Huius rei teſtes fuerunt, ODO, ALVI- « FVS, HVGO BOQVELS, BOSO, OYLARDVS, HVGO Sanctę « MARIÆ, BOSELINVS, ALELMVS, Item ODO Regnante « HENRICO Rege Francorum, Anno XXI. «

In ſanctiſſimi Patris & Patroni noſtri Richarij geſtis aſſignatur, quòd Rex glorioſus Dagobertus eiuſdem ſancti orationibus ſe committens, donauerit illi terram vocabulo Campaniam. Hanc Domni Geruini anteceſſores cuidam conceſſerant Agenardo, & quandiu vixiſſet firma manu poſſideret. Hic acceſſit ad Domnum Geruinum Abba-

tem, poſtulans vt eam quam ipſe tenebat terram duo filij ſui permitterentur tenere poſt mortem ſuam; quibus mortuis, Eccleſia quæ ſua erant dignè rehaberet. Annuit ei venerabilis Abba, & hac de cauſa talem compoſuit cartulam jure ſtabilitatis.

» In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. GERVINVS
» propitiante diuina gratia Centulenſis Monaſterij Abbas,
» omni Religioni Chriſtianæ notum fieri cupimus, quòd
» quidam vir fidelis AGENARDVS vocabulo à nobis petierit,
» vt omnem terram poſſeſſiunculę, quæ Rebellis mons dici-
» tur, quam tenebat ſolummodò in vita ſua ſub manu firma
» cum redditione cenſus, & terram de Valerijs totam cum
» adjacenti non grandi ſilua, ſimul etiam addita & quarta
» parte curtilij de Floherimanſo, tam ſibi quàm ſuæ conjugi,
» HILDESENDI nomine, cum duobus eorum filijs, GVENE-
» RANNO ſcilicet & ANSCHERO, tenendam concederemus.
» Annuimus ergo illis quod petierat, acceptis ab eo teſtibus
» certiſſimis, ita duntaxat, vt ipſi ſolummodò in vita ſua ha-
» beant, & in ſolemnitate ſancti Richarij, quæ celebratur
» VII. Idus Octobris cenſum IV. ſolidorum perſoluant. Poſt
» deceſſum verò ipſorum terra ad nos meliorata redeat. Vnde
» illis hanc chartulam conſcripſimus, ſignóque noſtro, no-
» ſtrorúmque Fideliũ obfirmauimus. Signum GERVINI Ab-
» batis; Sign. ALGISI; Sign. HERIBERTI; Sign. INGELRAN-
» NI; Sign. DOMINICI; Sign. OYLARDI Laici; Sign. BO-
» SONIS; Sign. ODONIS; Sign. RODVLFI; Sign. GVIDONIS
» Archidiaconi. Actum hoc Monaſterio S. Richarij VIII. Idus
» Decembris, regnãte HENRICO Rege anno regni illius XVI.

CAPVT XXII.

De Villis redemptis; & de altariis à GVIDONE *Epiſcopo donatis.*

INTEREA mortuo Rege Francorum HENRICO, poſt annos ſui regni XXVIII. PHILIPPVS adhuc puer regię dignitatis culmine jam ſuſcepto à patre, regendi poſſe & ſcire nondum habens, BALDVINO Flandrenſium Comiti

Digitized by Google

cuſtodiendus cùm regno traditur, quo regnum moderante, GVALTERVS Miles filius HVGONIS Regij Buticularij, terram quandam in Vimmaco pago ſitam nobis ſubripere voluit. Et quia potens erat, nec ex aduerſo ei reſiſtere in promptu habebatur, ſolicitus Paſtor Geruinus verens ne Eccleſia prædium amitteret, maluit virum pecunia lenire, quàm itatenus tanto damno multari. At ille non tam pecuniâ illectus, quàm ſancti viri prece veneranda coactus, poſtulanti gratiam tribuit, & ne ipſe vel quilibet alius eandem terram ſancto loco deinceps demere poſſet, teſtamentum inde fieri popoſcit in hæc verba.

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Ego GERVINVS gratiâ Dei Centulenſis Cœnobij Abbas, notum cc
fore volo ſanctæ Dei Eccleſiæ Fidelibus præſentibus atque cc
futuris, quòd quidam Miles nomine GVALTERVS filius cc
HVGONIS Pincernæ Regis, clamauerit ſuper nos quandam cc
terram in pago Vimmacenſe ſitam, quæ Filcarias vocatur. cc
Nos verò eius clamationi juſta ratione reſpondentes, tor- cc
titudinéque eius euacuatâ, ſumptis à nobis centum dena- cc
riorum ſolidis, ſupradictam terram in vſibus Fratrum per- cc
petuò habendam ſancto Richario quietam reddidit. Et vt cc
hæc conuentio inconuulſa permaneat: Signa Fratrum no- cc
ſtrorum atque Fidelium annotare decreuimus. Signum cc
GERVINI Abbatis; Sign. INGELERI; Sign. ALGISI; Sign. cc
ANSCHERICI; Sign. FRAMERICI; Sign. ANSCHERI Mili- cc
tis; Sign. ODONIS; Sign. alterius ODONIS; Sign. ADE- cc
LELMI; Sign. ILGERII. Actum Monaſterio Centulo IV. cc
Kal. Septembris, regnante Rege PHILIPPO, Anno IV. cc

Non multum fuerat tempus elapſum cùm peruigil ac ſollicitus prouiſor Geruinus, qui & verus Eccleſiæ filiorum amator & cuſtos jugiter extitit, precibus aggreditur Comitem GVIDONEM, orans vt de villa quadam, quæ olim quidem noſtro ſeruierat Monaſterio, ſed ante aliquos annos ab ipſo Comite, ſeu ab alijs militaribus viris nobis tulta fuerat, aliquem miſericordiæ reſpectum penes locum ſanctum habere non abnueret: Quod ergo Dominici amoris inſtinctu agebat, non poterat eſſe caſſum, propitia diuinitate: nam Comes aſſenſum ex aliquanto præbuit, placatus non tan-

tùm beati viri prece, verum etiam Eccleſiæ munere. Igitur ex his quæ illo tempore S. Richario reddidit, tale confectum eſt ſcriptum.

» In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Ego GVIDO
» Comes Pontiuæ patriæ exoratus à Domno GERVINO Ab-
» bate, annuentibus Proceribus meæ prouinciæ, in præſentia
» regis PHILIPPI, Marchioníſque BALDVINI, nec non etiam
» Principum regalis palatij, reddo S. Richario quartam par-
» tem villæ, quæ vltrabaiz vocitatur nomine; omnes nihilo-
» minùs impenſiones Aduocationis meæ, quas in ſupradicta
» accipiebam villa perpetuò habendas; S. Richario, Abbati,
» Monachis contrado; jure accipiens ab eis aliquantulùm
» pecuniæ, xx. videlicet denariorum libras, & quinquaginta
» boues. De Roberto etiam, qui aduocationem eiuſdem villæ
» ex mea olim tenuerat parte, & ſi quis qualibet occaſione in
» prædicta villa quidquam ſtuduerit vindicare, ſpondeo me
» pacem ſanctæ facturum Eccleſiæ. Igitur conuentio præ-
» ſentis chartæ quatenus ſtabilis valeat perſiſtere, auctorali
» roboratur ſigno dextræ regiæ † deſignantur in ordine teſtes
» idonei, qui huic aſſertioni interfuere. S. BALDVINI juuenis
» Comitis; S. FREDERICI; S. BALDRICI; S. RODVLFI;
» S. RORICONIS; S. ANSCHERI; S. OYLARDI; S. GODE-
» FRIDI; S. RICHOGVARDI; S. Abbatis GERVINI; S. IN-
» GELERI tunc temporis Decani; S. SAXOGVALI; S. WAL-
» TERI; S. ODONIS Militis; S. DVDILONIS; S. BOSONIS.
» Actum eſt hoc, Anno Regis Philippi Imperij vj. Incarna-
1067. » tionis Dominicæ MLXVII. Ind. vj. Epacta iij. Concurr. vij.
» Quicumque hæc quæ ſuprà prætitulauimus diſſoluere vo-
» luerit, à Deo Patre omnipotente, & ſancta Dei Geni-
» trice MARIA, & omnibus Sanctis maledictus ſit, & excom-
» municatus, Amen. Fiat, fiat. Huc vſque charta.

Regi Anglorum HETGVARDO Geruinus ſemper carus & venerabilis fuit, & ab illo, ſi eius fines intraſſet mira honorificentia attollebatur. Quíque Rex, ſi eum in aliqua vel pro aliqua loci noſtri neceſſitate anguſtiari comperiſſet, munificus valde in ſuccurrendo omni remota excuſatione exiſtebat. Regina etiam conjunx eiuſdem nomine EDITH ſatis ſupérque Geruinum pro ſuæ merito ſanctitatis dili-

gebat

gebat & venerabatur, & juxta mariti exemplum admodùm liberalis, ſi aliqua petijſſet, libens conferebat. Quadam verò vice accidit, vt Abbati nuperrimè terram illam ingreſſo oſculum ſalutationis & pacis Regina porrigeret, quod ille gratiâ conſeruandæ ſinceritatis abhorrens excipere noluit. At illa ferox, videns ſe Reginam ſpretam à Monacho, nimis moleſtè tulit; & quædam quæ vt pro ſe oraſſet illi donare ſtatuerat, irata retraxit. Verùm marito idipſum increpante, quod Abbatem tam religioſum pro non infracto rigore odio inſequi voluiſſet, & alijs honeſtis viris ſuggerentibus non eſſe odiendum hominem, qui ſic Deo ſe mancipaſſet, vt ne Reginæ quidem oſculo ſe patereretur contra ordinem mulceri, placata eſt Regina, & hujuſmodi factum non ſolùm in illo non vituperauit, ſed magnæ laudis attollens præconio, in ſui regni Epiſcopis vel Abbatibus talem manere conſuetudinē deinceps conqueſta eſt. Multis ergo honoribus & donis eum fulciens * remittebat onuſtum. Hoc ſolùm ab eo repoſcens, vt tempore orationis inter benefactores computari mereretur. Vxor etiam ipſius Regis donauit ei amictum valde pretioſum, auro & lapide pretioſo mirificè decoratum; quem Abbas detulit in noſtræ Eccleſiæ theſaurum. * *Sup. Reg.*

Poſteà autem cùm contigiſſet Ambianorum Pontificem GVIDONEM hunc vidiſſe amictum, nimia eius pulchritudine & pretioſitate illectus, rogauit Abbatem, vt iſdem Eccleſiæ matri Ambianenſi tranſmitteretur amictus, pro illius concambio Eccleſiæ S. Richarij duo Altaria perpetim habenda ſe velle dare affirmans. Et amantiſſimus vir eius precatibus aſſentire ratum judicans, jamdictum amictum Epiſcopo & Eccleſiæ Sanctæ Dei Genitricis ſempérque Virginis MARIÆ tradidit; & in ſui juris poteſtatem duo altaria recepit, conſenſu & conceſſu totius Eccleſiæ Ambianenſis, quorum vnum eſt in villa noſtra Argubio, alterum in villa quæ Monsheliſi nuncupatur. At ne poſteritas ſuccedentium Abbatum eadem perderet altaria, prudentiſſimus Geruinus ab Epiſcopo obtinuit inde fieri teſtamentoria dictitia quæ ita ſe habent.

GVIDO Dei gratiâ Ambianenſium Epiſcopus præſentibus ac futuris fidelibus mundanæ conuerſationis tranquillam peregrinationem,& cæleſtis præmij jocunditatẽ. Quoniam poſterorum notitiæ facta præſentium litteris narrantibus meliùs innoteſcunt, placuit nobis Caritati veſtræ manifeſtare qualiter S. Richarij Eccleſiam quorundam altarium dono augmentauerimus. GERVINI enim Abbatis ſupplicatione, altaria villarum Argubij & Montis-Eliſij, ſuper quibus Ratbodo & Hugo perſonæ habentur, qui quandiu vixerint Eccleſiaſticam redituram in ſtatutis temporibus S. reddent Richario, conſenſu Archidiaconorum Ioannis & Balduini condonamus: tali quidem pacto, vt poſt eorum exceſſum Clerici, qui Eccleſiaſtica debita nobis & noſtris ſucceſſoribus ſoluant, perſonaliter ibidem ab Abbate conſtituantur, illíſque obeuntibus alij vice illorum ſubrogentur. Hoc præſentia Clericorum noſtrorum corroboramus, & apud ſucceſſores noſtros ratum eſſe depoſcimus.

Sed his ita definitis, ad Comitem pauliſper veniamus GVIDONEM, qui cùm fuerit Comitis Hugonis filius, & poſt Angelrannum fratrem, quem ſuprà de villa Portas vice patris donationem feciſſe retulimus, Normannorum dolo occiſum, patriæ Comitatum receperit, ac per hoc Aduocatus quoque noſter hereditariè ſit effectus, villas S. Richarij & earum colonos nimiè affligebat, extorquens & auferens pecunias & ſubſtantiolas eorum. Cujus injuſtitiæ & impietati pius pater occurrens Geruinus, hortabatur & exorabat, vti non tam durus circa S. Richarij famulos permaneret, & qui Aduocati ſumptus & nomen tenebat, ne tam peſſimus prædo exiſteret, ſubmonebat, verùm apud efferam mentem, & culmine poteſtatis elatam, ſeu rapacitatis ſtudio ſauciam, juſta ſupplicatio parum valebat; niſi fortè pecuniæ ſumma eius duritiæ contrairet, quâ facilè eſt terrenorum corda ociùs leniri. Intereà hæc aliquando precum, ejuſdem Patris fuit ſumma, vt quamdam valdè grauem redhibitionem colonis villæ Majoch pro S. Richarij amore ex aliquantulo indulgeret. At ille ad præſens conſenſit, & de indulta vel moderata ſuæ aduocationis conſuetudine tale teſtimonium confecit.

Ego GVIDO gratiâ Dei Pontiuorum Comes, notum « fieri volo tam præſentibus quàm futuris, quòd GERVINVS « S. Richarij Abbas noſtram præſentiam adierit, magnoperè « deprecans, vt conſuetudinem xx. porcorum quam habebam « in villa quæ dicitur Majoch, pro Dei & S. Richarij amore « alleuiarem, quia valdè grauis erat ipſius villæ colonis. Ac- « ceptis ergo ab eo centum ſolidis conceſſimus, vt nunquam « ampliùs ab ipſis ruſticis prædicti exigantur porci, ſed pro « ipſis in feſtiuitate S. Remigij annualiter perſoluantur XL. « ſolidi; ita tamen vt nemo miniſtrorum aut ſeruientium no- « ſtrorum pro prædictis ſolidis colligendis ſupraſcriptam vil- « lam introeat, ſed Monachus, cui obedientia fuerit injun- « cta, in præfata feſtiuitate Præpoſito noſtro in S. Richario « fito ſtudeat deliberare. Et vt ipſi Monachi pro ſtatu & in- « columitate noſtra, ſimúlque conjugis & prolis obnixiùs « Domini miſericordiam deprecentur. Hoc confirmare in « præſentia Procerum noſtrorum decreuimus. «

CAPVT XXIII.

De HETGVARDO & GVILLELMO *Regibus Anglorum, & qualiter mare* GERVINVS *tranſmeauerit.*

HETGVARDVS Anglorum Rex decurſo feliciter vitæ mortalis ſpatio, vt creditur, migrauit ad æternam gloriam. Sed dum adhuc viuens terreno regno floreret, quidam nobilis natione Britto, nomine RADVLFVS, apud ipſum Regem potens & honoratus, gratiâ eleëmoſynæ donauit ſancto Confeſſori Chriſti Richario per manum memorabilis Geruini aliqua prædia & quoſdam reditus, quorum ſumma poſt modicum notabitur. Poſtquam autem mortuus eſt Rex Ethguardus, HELIORDVS* quidam Comes regnum ſibi accepit contra fas, & contra fidem Sacramenti quod prædicto Regi jurauerat, ſpondens quòd pronepoti ipſius Regis nomine Elfgaro regnum cederet abſque vllo impedimento. At cùm regni poteſtate & faſcibus injuſtè vteretur, expulſo Ethguardi pronepote Elf-

* al. Haraldus.

garo, ſummus & ſuper omnia potens Deus, in cujus juſſu conſtant regna terrarum, & qui donat ei cui vult, ſigno mi-
f. * in cœlo. rabili cœlo * oſtenſo, deſtinauit Guillelmum Ducem Normannorum Anglorum Regem fieri: & quia veraciter Dei nutu idipſum Guillelmus appetebat, rei proſperitate probatum eſt. Sed quia illius geſtorum recens habetur memoria, nos ea ſeponentes, noſtra potiùs exſequamur.

Anno regni eius II. Venerabilis Geruinus illa quæ ſuperiùs meminimus prædia viſurus, ad maris ingreſſum properauit, quem nominant plebeïales GVIZANT; vbi fuerunt cum illo tam Abbates quàm Monachi pluſquam centum, prætereà militarium virorum & negotiatorũ plurima multitudo: qui omnes mare conſcenſo in Angliam tranſuehi cupiebant. Februarius tùm menſis ducebatur, quem notum eſt aëris colliſione, & ventorum nimietate, pluuiarum quoque inundatione, ac niuium profuſione ſemper conſtare queruloſum: quo etiam tempore ſæuiùs perſtrepit mare, dum tempeſtatum ſæuitiam ventorum nimietate continuat. Quindecim igitur dierum expenſo curriculo, dum æquor à ſuo feruore non quieſcit, & deſperatur ingreſſus, ſtatuitur reditus ad propria; quandoquidem tranſitu denegato, & deficiente ſumptuum copia, ibi ampliùs morari non poterant. Sanè abſque conceſſu Geruini & licentia, qui ſanctitatis odore cunctos afflauerat, abire non fuit conſilium, ſed tanquam cæleſtem conſulem, & diuini juris conſcium, facto conuentu interrogant quid ſibi eſſet agendum, qui tandiu præſtolatum non quirent mereri tranſitum. Adſtruunt bonum eſſe vt redeant, referentes loci illius ariditatem ad tantæ frequentiæ non poſſe ſufficere victũ. Tunc GERVINVS tanta deſperatione obſeſſos benignè refouet, hortans vt de Dei miſericordia non diffidentes ſequenti mane feſtinatò veniant ad Eccleſiam, quò diuini officij perfecto miniſterio coram Deo humiliati poſtulent miſericorditer commeatum: deinde pedibus nudis S. Petri Apoſtoli quæ vicina erat petant Eccleſiam, per eiuſdem Apoſtoli merita gratiam à Chriſto quæſituri. Omnibus placet conſilium, venitur ad Baſilicam Archangeli Michaëlis; exhibitis hymnis matutinalibus vota proferuntur, & ab vnoquo-

Digitized by Google

que tranſire volentium denarius pro gratiarum actione oblatus eſt: quam pecuniam Geruinus decreto cæterorum in ſuam redigens ſententiam, ſuper omnes qui aderant quaſi principari videbatur, & emptâ cerâ duos permagnos cereos conficiens, vnum offert Archangelo Michaëli, & Sancto Nicolao Confeſſori, alterum ſeruat vouens illum Chriſti Virgini, & Margaretæ Martyri, quæ citra mare Eccleſiam poſſidebat. Hinc jam diſpoſito agmine, cùm ſuis Monachis vnum ſtatuiſſet præcentorem, nomine Saxogualum, nudis greſſibus incedendo, & tales qui Dei miſericordiam exorarent cantus præcinẽdo, jamdictam B. Petri Apoſtoli Eccleſiam vadunt, vbi peracta oratione, & decantatis ab eodem viro honeſtiſſimo Geruino Miſſarum ſolemnijs redierunt, implorata nimiúmque flagitata Chriſti Domini pietate. Sequentis igitur noctis quiete potiti, exorto mane coëſſentes * redeunt ad Geruinum; cùm ecce Dei potentiâ ſopitum æquor, & omni remota tempeſtate tranquillum conſpiciunt: ſícque Chriſto actore conſcendentes maria, ventorum nullo percelluntur fragore. Tanta certè fuit pacati æquoris quietudo, vt hodie vento deficiente oppanſa vela vix transferret, quod heſterna qualecumque non capiebat remedium. Exeuntes tandem de nauibus Eccleſiam prænominatę repetunt Virginis, & reditá gratiarum actione, oblatóque cereo partes dirimunt, dum vnuſquiſque quò cupiebat velox diuertit. Verumtamen hanc tranſeundi celeritatem meritis Geruini fuiſſe donatam omnes crediderunt, & magnis laudibus prædicauerunt.

* *Id eſt*, coadunati: coëſſe ſimul eſſe.

• CAPVT XXIV.

De honore illi à Rege collato: & de tertis à Radulfo donatis.

GERVINVS igitur tali modo feliciter tranſuectus, adiit curiam regalem, annuntiat Chriſtum, eiúſque mandata: ſuggerit mala confiteri; hortatur pœnitentiam; ſuadet pacem tenere, & omnia imitari, quæ Deo cognoſcuntur placita. Regi Guillelmo nuntiatur adeſſe, qui tan-

ti pendebat eum, vt quod Epiſcopis & Abbatibus negauerat, huic conceſſerit, hoc eſt ſuum abſque dilatione conſpectum, & illius ad ſe ſine difficultate ingreſſum. Rogatur itaque Rex ab Abbate, vt illis quæ Ethguardi diebus Sancto donata fuerant Richario prædijs annuat, & ſuę auctoritatis præcepto perpetim habenda confirmet. Aderat & is qui eadem contulerat Radulfus cum filio eiuſdem nominis, qui idipſum regiam majeſtatem facere precabantur. Igitur Abbatis & amicorum precibus annuens, tale ſuper eis conſcribi juſſit edictum.

„ In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Ego GVILLELMVS conceſſu Dei Anglorum Rex, affectu mei profectus in Domino, & prece compulſus Domni Abbatis GERVINI Monaſterij ſancti Richarij, quod eſt ſitum in pago Comitatus Pontiui: nihilominus quoque hortatu amicorum meorum, RADVLFI ſcilicet Comitis, nec non & filij eius RADVLFI; annuentibus etiam vnanimiter meæ curiæ Primatibus, regio more concedo quidquid hi ambo, videlicet pater & filius, Fratrum prælibati Sancti deuotè conceſſerunt vſibus. Quarum igitur Eccleſiarum vel manſionum, vt cunctis manifeſtetur cognitio, dignum duximus in præſenti denominatim manifeſtare ſcripto. Hæc eſt ſancti Richarij terra in Anglicis finibus ſita, à Radulfo Comite eidem Sancto tradita. Villa vocabulo Eſperlais, vbi habentur hoſpites XXXVII. qui perſoluunt annualiter vnuſquiſque in Natiuitate Domini duos equos oneratos de brais: à feſtiuitate S. Ioannis Baptiſtæ vſque ad feſtum S. Michaëlis, tribus diebus omne opus Domini ſui: cæterùm quod reſiduum eſt de anno, ſemel in hebdomada erunt ad omne opus quod eis injunctum fuerit. Habentur inibi ſex carrucæ, ſilua optima, terra arabilis & inculta, prata omnibus nutrimentis aptiſſima. Eſt & alia villa quæ vocatur Acra, vbi habentur hoſpites II. molendina III. quæ ſoluunt XXXV. oras denariorum. Prætereà omnes homines Villæ metent ſegetes tribus in hebdomada diebus, & omnes carrucę arabunt tribus diebus ad frumenta & ad auenas. Eſt & tertia Villa, quæ vocatur Cubeſturpo, quæ ſoluit quinque oras denariorum, & car-

Hæc in marg. M S.

Sicut apud Francos 12. denarij habentur pro ſolido, ſic Angli 16. denarios faciunt ſolidum, & ipſum vocant oram.

rucis ſuis arant terras tribus ad frumenta & ad auenas diebus. Sequitur quarta villa, quæ vocatur Achotes: & alia quæ vocatur Apicheneam; vbi habentur omnes prædictæ conſuetudines carrucarum. His jungitur Merefort, ex qua VIII. carrucas duobus diebus ad frumenta & ad auenas; & in Auguſto XXV. homines duobus diebus ad meſſem metendam conſuetudinaliter Dominus villæ habebit. Vocatur villa ſequens lingua eorum Aſſuafam, de qua habetur omnis decima tam annonę quàm aliarum rerum. Eſt & alia quæ vocatur Guenite, vbi eſt molendinum vnum & ſilua, piſcatio quoque optima. Hoc autem iterum iterúmque cum interdicto affirmationis affirmo, ne alicujus tyranni inuaſione poſthac vſurpetur quouis modo. Hæc itaque charta vt poſteris noſtris immutabilis perduret, regia noſtra eam auctoritate firmamus.

CAPVT XXV.

De locis vbi ſoliuagus Domino inuigilabat.

HÆc itaque aliáque perplura modeſtus Pater, & ſollicitus nutritor Geruinus ſalubriter procurauit; quibus promeritis, adjuuante illo, pro cujus hæc amore gerebat, & cujus vicarius exiſtebat, magno Sacerdote & magnifico Abbate Richario, ſupernis eum ciuibus credimus ſociatum. Verumtamen cum multarum ſollicitudinum anxietate premeretur, ſemper recurrebat ad orationem & ſtudium compunctionis, velut nauta ad tutiſſimum portum; vt ſi quippiam, dum in ſæculi curis tanquam marinis fluctibus laborabat, aliqua ſubreptione fuiſſet turbatus, tanquam firma ancora interna contemplatione iteratò ſolidaretur Deo inhærens. Vnde etiam loca ſilueſtria & ab omnibus ſegregata appetijt: ad quæ dum rerum ſollicitudine æſtuaret, recurrens, quaſi paradiſi amœnitate recreabatur. In territorio igitur Ambianorum Cellam poſſedit, eò loci quo Martyris Gratiani * corpuſculum quieſcere perhibetur. In eodem etiam territorio aliam adquiſiuit vocabulo Buliacum, vbi in honore Beati Luciani Martyris, & Sanctiſſimi Richarij Eccleſia habetur. Sed & in ſolo Neuſtriæ, in

* Gentiani *potiùs.*

Digitized by Google

nemore ſcilicet Augenſi, tertiam habuit Cellam, Eccleſiam in honore Beati Martini continentem, quam ceteris ampliùs diligens frequentiùs viſebat, pſalmorum & laudum ſpirituales jubilos Domino indefeſsè continuans.

CAPVT XXVI.

De ſanctimonia vitæ eius.

QVIA ergo qualis actore Deo in rebus Eccleſiæ amplificandis fuerit ex parte monſtrauimus, operæpretium extat maximè ſanctitatem boni viri retexere. Quod dum facere ambimus, rem neceſſariam nobis exercere videmur; quia quem erga Eccleſiæ res terrenas bene ſollicitum monſtrauimus, quod nonnunquam & praui imitantur, potiùs magis habebitur, ſi eius quanta fuerit ſanctitas recenſeatur, in qua non niſi verè bonis aliquatenus noſcitur imitandus. Omni igitur vitæ ſuæ tempore, quo ſine incommodo viguit, vt parum ſomni percepit, grabatulo ſeſe excutiens, domum orationis intrauit, omnes quorumque Sanctorum aras orando & gemendo, genuáque flectendo circuiuit, pro ſe & pro ſibi commiſſis, pro amicis quoque, & oratione vel confeſſione conjunctis, próque defunctorum requie precum vota exaggerans, ac pro ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ ſtatu & augmento, & pace Principum, Domino Deo Patri, & Filio eius IESV CHRISTO, ſanctóque Spiritui, laudum & orationum victimas cordis pingues contritione, & lacrymarum commendabiles vbertate, iterum iterúmque conſignans: at vbi tali exercitio carnis infirma materies fatigata laſſeſcebat, pauliſper ſe in lectulum deijciens iterandis laboribus ſe aptabat: cùm modica quiete quaſi recreatum ſe ſentiret, iterum exiliens excubias repetebat. Præter orationum munia, & pſalmorum dulciſſimam modulationem hæc attentiſſimè obſeruabat, vt de Sancta Trinitate, tum de Spiritu ſancto, poſt hoc de Reſurrectione Domini, atque de ſancta Genitrice MARIA, poſt hæc de Angelis, póſtque de S. Petro, vel omnibus Apoſtolis, ſiue omnibus Sanctis nocturnalem & diurnalem Canonem, excepto Clauſtrali Canone, cui nunquam penè deerat,

deerat, quotidie Domino perſolueret. Deinde iterum altaria Sanctorum regyrando conueniens, vnicuíque proprium & conueniens pſalmi votum concinebat. His autem Deo dignè expletis, ſi ſenſiſſet horam eſſe qua Fratres aſſurgerent, illicò refugiens ne ab aliquo Ædituorum vel Ianitorum videretur, ad lectum redibat: vt ſcilicet hæc quæ de eo feruntur bona quò occultiora, eò firmiora poſſideret. Horam itaque nocturnalis officij Eccleſiæ ſigno indicante exurgebat, & ita ſe quaſi ſopore ſatiatus, & tanquam noctis totius quietem occupaſſet agebat, cum immenſæ vocis gallicinio illud Beatiſſimi Benedicti edictum cuſtodiens: *Sic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.* *Cap. 19.* Quem electiſſimum virum ne quis nos reprehendat gallum vocitaſſe, recurrat quis ad illam Beati Gregorij Romani Papæ ſuper verba Sancti Iob expoſitionem, vbi dicitur à Domino, *Quis dedit gallo intelligentiam*; quam dum *Iob. 38. 36.* capacitate ſenſus tenuerit, intelliget profectò galli parabolam non cuilibet infimo, ſed ſanctæ vitæ virtutibus decorato homini conuenire.

Intentus ergo diuinæ ſeruituti GERVINVS, nunquam feſſus itinere, vel detentus infirmitate, niſi fortè graui, omiſit, quin juxta Regulę mandatum poſt lectiones XII. *Cap. 11.* Dominicis diebus, vel Sanctorum feſtis, habitas, Euangelij lectionem ipſemet legeret: ſícque omnibus officijs præſens, Fratribus exemplum ſobrietatis & ſancti feruoris exhibebat. Cùm verò expletis nocturnis laudibus Fratres plerique, ſæpe autem omnes, in proprios lectulos ſe reciperent, Geruinus non corporis apperebat requiem, ſed quæ ante nocturnam ſynaxim egerat reinchoans, interſtitium naſcentis auroræ, & diſcedentium tenebrarum precum continuatione, ac genuflexionum perſeuerantiâ occupabat. Et quia veraciter illi dies aderat internus, juxta quod docet Doctor noſter Apoſtolus Paulus; *Nos qui diei* *1. Theſſ. 5. 8.* *ſumus, inuigilemus & ſobrij ſimus*: hoc indeſinenti executione profitebatur. His illo ſtudijs intento, vbi dies cum ſolis ſpiculo refulſiſſet, Clauſtro ſe recipiens, codicémque percurrens, diuini verbi fauos ſibi congerebat, quæ in conuentu Fratrum reuoluens, eos ad ſtudia piæ actionis &

correctioris vitæ informabat. Verùm vbi ſuam mentem orationis inſtantiâ quaſi exhauſtam lectionis refeciſſet ſancto edulio, ſtatim Eccleſiam rediens Miſſarum ſolemnia auro intellectus fulgens, purpurâ fortitudinis eminens, bis tincto cocco, flamma ſcilicet geminæ caritatis ardens, & byſſo, id eſt, carnis mortificatione nitens perſoluebat. Diebus verò Quadrageſimę, Domini noſtri jeiunio ſanctificatis, major ſibi à ſemet imponebatur auſteritas, deuota membra cilicio obuoluta domando, tritico confectum panem rariſſimè ſumendo, deputata pro potione modica aquæ quantitate; talíque vtens cibi ſolamine interim * poſt triduum reficiebatur. Lectuli pompa congeſta vili mattula procul aberat; ſícque durè jacentem non facilè ſomnus inuadebat, cujus linguam difficilé pſalmi ſinebant. Nunquam certè cura loci, aut neceſſaria ſollicitudo, aut itineris occaſio, aut corporis niſi maxima ægritudo, pſalmorum ac laudum, ſeu ſupradictorum Canonum, obtinere apud illum quiuerunt diminutionem. Si quolibet iter agebat, more ſancti ac Beatiſſimi Patris noſtri Richarij, aut pſalmi ex ore eius reſonabant, aut ſalutaris prædicatio, ſeu correctionis admonitio, audiebatur. Hoſpitio receptus non coquorum ſtudia vel inuentiones quæſiuit, illius vtique non particeps, ſed contemptor, qui deſtruit muros Hieruſalem. Cùm comites itineris emenda & paranda vidiſſent, ipſe ſcamno quieſcens Domino vigilabat. Cœna apparata ſi accubuiſſet pranſurus, lectionis auditione, vel diuinæ legis meditatione implicari ſtudebat. Hinc jam ſi Eccleſia vicina exiſteret, illò ibat conſuetudinaria votorum tributa à ſemet exacturus. Si Eccleſiæ domus defuiſſet, lecto citiùs quaſi pauſaturus tradebatur, & operto capite viuifica verba trutinabat. Cúmque ſocij itineris peractis neceſſarijs ſe cubitum locaſſent, Geruinus velociter abſque vllo ſtrepitu aſſurgebat, & poſito marſupiolo, quod ſemper penes ſe habebat Sanctorum Reliquijs plenum, illa quæ ſuprà meminimus ab eo in Monaſterio fieri, orationes ſcilicet & genuflexiones impendebat. Sícque complebatur in illo ille veridicus ſermo, quo dicitur, vbi fidelis anima, ibi & templum Dei. Inter cetera ſanè virtutum exercitia, hoc illi quandiu ſoſpi-

* *Id eſt*, interdum.

tate viguit, perſtitit immobile, vt vigiliâ Natalis Domini, vigiliâ ſancti Paſchæ, atque Paraſceue, vigiliâ Aſcenſionis, vigiliâ Pentecoſtes, necnon ſancti Ioannis Baptiſtæ, ac Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Sancti quoque Laurentij Martyris, atque Aſſumptionis S. MARIÆ, Omnium Sanctorum, ac B. Andreæ Apoſtoli, omninò à cibo, abſtinens, totum ex integro Pſalterium Domino modularet. Et cùm tantoperè carnem propriam edomaret, tanta alacritate vtebatur, vt non eſurire, ſed opulentis edulijs æſtuare inclytum Abbatem ipſa vultus hilaritate putares: quam tamen ſic retinebat hilaritatem, vt nihil leuitatis ineſſe appareret, ſeruata in omnibus honeſtatis grauitate.

CAPVT XXVII.

Quàm fuerit ſollicitus infirmas curare animas, & vt pro hoc apud Apoſtolicum Pontificem ſit accuſatus.

PRÆTEREA tanta illi erat in conuertendis atque ſaluandis peccatorum animabus curæ inſtantia, vt peccaminum faſce oppreſſis mirabiliter compatiens, & concurrens, videretur illius ſpiritu gubernari, qui dixit: *Filioli mei quos iterum parturio*: non ſolùm verò huius noſtratis patriæ ſi quos cognouiſſet homines ſceleſtos corrigebat, ſed etiam Neuſtriam & Flandriam, Galliam quoque & Aquitaniam, necnon Hungariam, pia gyrans ſeduli- tate, criminoſorúmque confeſſiones acceptans, & ſaluberrimis monitis eorum vitam in melius commutans, Euangeliſtæ & Apoſtoli opus abſque nomine perexplebat. Illud Dominicum in ſe cunctis portendens edictum: *Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem.* Vidimus perſæpe cùm eſſet in Centulo apud glorioſum Confeſſorem Richarium, totius diei ſpatium in conclaui abſque omni corporali edulio illum peregiſſe, dum alijs recedentibus, aliiſque ſuccedentibus qui animę cura indigebant, & quorum ſalutem quærebat, delectabatur, vt cœleſtis archiater infirmis eorum animabus mederi. Erat enim ſuper hoc officio ei depu-

Gal. 4. 19.

Iſaiæ 49. 6.

tata Cellula, quam Fratres Confeſſionem vocabant, in qua per Dei gratiam in ſe habitantem iſdem vir beatus multorum hominum ſcelerum enormitate deuias per confeſſionis humilitatem, & ſuæ precis interuentionem diuinæ miſericordiæ reſtituit animas; ſícque reuera effici meruit, cui *Ierem. 15. 19.* diuinus ſermo competenter diceret: *Si feceris dignum ex indigno, quaſi os meum eris.*

Sed quod vnquam bonum non ſecuta eſt ac æmulata inuidia? nam Clerici multi, quorum, proh dolor! ſtudium exiſtebat melioribus inuidere, non conſiderantes quia lege non ſtringitur ſancti Spiritus donum, noſtrum Equitium verbis venenatis carpebant, cur abſque Apoſtolici licentia homo non Epiſcopus prædicare auderet, & peccatorum confeſſiones, ſeu conuerſiones, cur præſumptor non ſui officij inquireret, oblatrantes. Hoc nequam rumore aliquorũ animos corrumpentes, id tandem peregerunt, vt Papæ Romani auribus hæc hominis Dei geſta inſonarent: quíque cùm bonitatis eius ignarus voces detrahentium dijudicare nequiret, dedit ſuæ auctoritatis præcepto mandatum, vt homo, quem temerarium fama ferebat, ad Sedem Apoſtolicam vocaretur, ſuæ præſumptionis, vt dicebant, rationem Papæ daturus.

GERVINVS itaque edicto Papæ accitus, ouans expetit Romam, ſupernum ſibi non defuturum juuamen confiſus. Et vbi à Papa potuit conſpici, illicò reuerendiſſimæ vitæ virum ipſa vultus habudine contuens ipſe Papa, ipſam quæ in illo habitabat magnificè veneratus eſt diuinitatis præſentiam. Denique venienti aſſurgit, ſatíſque humiliter pacis oſculum ei præbuit: Dein jubet ſecum reſidere, & vt ei ſolitũ erat cœleſtia coram eo verba tractare. Sanè cùm illi relationem prælibatæ detractionis intimauiſſet, & ab eo an illa quæ dicebantur arripuiſſet, aperiri ſibi popoſciſſet, Geruinus proponit ſcripturarum exempla quæ præcipiebant, eos qui ducuntur ad mortem liberare ne ceſſes. Itémque Iacobus Apoſtolus dicit: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum eſt illi.* Quoniam quidem ergo, ait, Domine mi Papa, meæ humilitati boni ſcientiam præſtitit miſericors Deus, jubetíſne vt commiſſam verbi ſcien-

Digitized by Google

tiam ſubtrahens cum pigritanti ſeruo damnationem incurram pro non diſpenſata pecunia? Simul & conſiderari decet quod Iacobus item Apoſtolus ait; *Si quis conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Si igitur peccatores conuertens, non tantùm illorum animas ſaluo, ſed & pro impenſa caritate mea quoque peccata diluo, videatur, inquam, an talis operatio ſit cohibenda à Summo Paſtore, vt ſcilicet non ſit copia cuilibet deuoto caritatis exequendæ. Ille igitur verè Apoſtolicus Pontifex Leo, qui bona non arcere, ſed ſemper augmentare cuperet, tam vtilem & tam proficuam intentionis rationem audiens, lætior efficitur. Et quia Ambianorum Præſulem tunc temporis FVLCONEM non animarum ſaluti, ſed volucrum captioni & ferarum venatui ſtudere compererat, tali auctoritate roborat venerandum Abbatem, his eum verbis confirmans: Nequaquam, Amantiſſime Frater, ob inuidorum ſuſurria vel detractationes, tantam pereuntium animarum conſolationem deinceps refugies operari, quo & Dominicę vineæ fructus te cultore accreſcat, & te pro impenſis laboribus Chriſti Domini gratia comitetur, abſque dubio æterna mercede quandóque munerandum. Ecce auctoritate Domini noſtri, & Beati Petri Apoſtoli, ac noſtra non ſolùm auctoritate, ſed etiam deprecatione concedimus & imperamus, te in recipiendis ſceleſtorum confeſſionibus, & tradenda pœnitentia noſtri officij participium tenere; vt quæ ligaueris Chriſti Domini auctoritate ligata, & quæ ſolueris ejuſdem Domini miſeratione ſint ſoluta. Hæc dicens ſanctus Papa, ſimul & ſandalia offert, jubens vt his Geruinus vtatur; vt qui prædicationis exercebat ſtudium, prædicatoris inſignibus ornaretur. Venerabilis tamen Abbas cuſtos veræ humilitatis, eadem ornamenta recuſauit, dicens, ſibi ſufficere ſolam Apoſtolicæ licentiæ auctoritatem ad exercendam circa infirmas animas diuini verbi ſtipem. Multimodo igitur fauore Pontificis auctus regreditur, & cœptum Domini opus quò liberiùs, eò meliùs latiúſque reincipit exercere.

Verùm quia ſe præbuit occaſio, æquum valde putamus,

breuiter iſtic ſcribere, ille de que fuit mentio, qualis quantúſque fuerit. Leo Papa, natione Teutonicus, parentum excellentiſſima nobilitate præfulgens, & cæleſti viſione denuntiatus antequam natus, in Lotharingia mundo proceſſit. Qui ſacris litteris atque liberalibus ſtudijs acuratiſſimè eruditus, & per omnem pueritiam juuentutémque & adoleſcentiam, timoratæ mentis honeſtatem conſeruans, electione Cleri & populi, Eccleſiæ Tullenſi ordinatus eſt Epiſcopus, cùm jam ei propinqui, viri Imperiales, de Romano Apoſtolatu ei conferendo tractarent. Sanè quoniam cum nobilitate parentum non deerat ei ſanctiſſima claritas morum, non recuſauit homo inclytus pauperculæ ciuitatis curam ſuſcipere, immò obtentu majoris euitandi honoris, ad hanc facilè deductus eſt. Et cùm Epiſcopus eſſet Tullenſis oppidi, electione Pontificum cum Imperatoris aſſenſu in Romanum leuatus eſt Pontificem: Et quia antea vocatus fuerat Bruno, propter Papatum vocari meruit Leo: qui tanta mentis puritate virtutéque viguit, vt per illius merita Domino omnipotenti placuerit miracula magna patrare. Qui etiam cùm beatiſſimi Remigij Remorum Pontificis Eccleſiam dedicare veniſſet, venerabilem Geruinum, vt ejuſdem Confeſſoris corpus efferret, cum alijs tribus æquè ſanctis viris delegit.

CAPVT XXVIII.

Miraculum quod propter illum Dominus facere dignatus eſt.

GERVINVS itaque, Deo auxiliante, laudabili vitæ operoſæ inſiſtens, & populis Chriſtianis verbi diuini ſemina pandens, quæ ſunt cauenda intimabat, & quæ amplectenda edocebat. In tantùm verò bona illius conuerſatio Deo complacuit, vt etiam miraculis dignaretur declarare illius deuotionem. Nam quodam tempore vt quendam iter faciens locum deuenit, vbi auditâ famâ ſancti Abbatis, ſic enim vocabatur à populis, quædam ægrota aduenit, quæ publicè cœpit omnibus referre, quid ſibi diuinitùs eſſet inſinuatum, quia ſi hujus venerandi viri be-

Digitized by

nedictione potiretur, continuò ſoſpitatem mœreretur: ſed cùm vir Domini non adeſſet (nam à fidelibus abductus, eâdem horâ animarum morbis conſulebat in remoto) illa, quam dira angebat calamitas, in Dei nomine popoſcit vt eius virga paſtoralis, quam vulgus crociam vocat, & quæ pro more ſummo tenus curuabatur, dilueretur aqua, indéque potus ſibi conferretur. Tunc Monachus ejuſdem virgæ cuſtos & bajulus, qui & hodie dum hæc ſcribimus ſupereſt, hæc ipſa teſtificans, nomine Radulfus, admirans fidem illius, precibus eius annuit. Ablutâ ergo crociâ, cùm illa aquam ablutionis epotaſſet, Deo volente, qui ſuos ſeruos mirificat, omni malo ſaluata eſt.

CAPVT XXIX.

Item aliud de OLDERICO *febricitante.*

IN caſtro quoque Augenſi, quod eſt ſitum in ipſo Neuſtriæ ingreſſu, aliud pro eius meritis Chriſtus Dominus peregit ingens prodigium. Nam cùm illò aduenisſet aliquando Geruinus, erat ibidem quidam puer nomine ODELRICVS, qui litteris diſcendis inſudabat. Hic vi febrium irretitus, quid de ſe agere poſſet neſciebat: verùm vbi comperit ſanctum Abbatem aduentaſſe, ſpe certi remedij ſuffultus adijt eius familiares, precatur & obſecrat, vt aqua, quâ ſancti hominis manus ablutæ forent, ſibi ſorbenda daretur: at illi pietate obtenti, precatis obediunt. Lauat Abbas manus, illi aquam reponunt; quâ infirmus perceptâ & bibitâ, nulla interueniente mora, omnimoda caruit febre. Sanè is ODELRICVS hodiéque viuit, & apud Corbejam Monachi & Abbatis habitu vel honore potitur.

CAPVT XXX.

Viſio Hugonis Monachi.

Deſunt hæc duo capita in apographo M. S. quo vſus ſum.

CAPVT XXXI.

Quædam S. Richarij miracula.

CAPVT XXXII.

De libris quos contulit : & quam ſtudiosè requiſierit corpus S. Angilberti Abbatis.

IGITVR Abbas bonus in boni loci reparatione vel cuſtodia ſtudioſa curioſitate peruigilans, diruta reſtruere, exſtructa conſeruare, & aptis tegimentis munire inſiſtens, animarum quoque ſaluti deuotiſſimè conſulens, regni cælorum ſibi ingreſſum aptabat. Inter cætera verò, quæ loco noſtro contulit, multorum librorum copiam ad ædificationem ibi Deo ſeruientium præparauit. Et quia hæc ipſa quæ condimus ad hoc ſcribuntur, vt futuri horum incitentur exemplis, vtile credimus apponere de eiſdem, quæ venerabilis GERVINVS nobis contulit voluminibus notamina.

Epiſtolas Ignatij. Eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebij Cæſarienſis. Ambroſij Apologiam de Dauid, de Ioſeph, de Noë, de Abraham. Ambroſium de Trinitate ad Gratianum Imperatorem. Item ad eundem de Spiritu ſancto. Ambroſij paſtoralem. Ambroſium de Sacramentis; De obitu Theodoſij. Contra Auxentium. De baſilicis tradendis. De ſanctis Martyribus Geruaſio & Protaſio depoſitis & inuentis. Ambroſium de morte Satyri; de Incarnatione Domini, & alia quædam eiuſdem.

Gregorij Nazianzeni Apologeticum : eiuſdem de Epiphanijs, de Pentecoſte, in ſemetipſo de agro regreſſo. De Ieremię dictis. De grandinis vaſtatione.

Hieronymum virorum illuſtrium. Epiſtolas Hieronymi. Hieronymum ſuper Zachariam. Hieronymũ ſuper Iſaïam. Auguſtinum ſuper Ioannem vol. I. Auguſt. contra V. hoſtium genera. De ſancta Virginitate I. De bono conjugali. Ad ſimplicianum Epiſcopum de diuerſis quæſtionibus. Ad quendam Comitem. Ad Paulinum Nolenſem, de cura pro mortuis. Auguſtin. ſuper Pſalterium vol. III. Auguſt. de natura & origine animæ. Auguſt. de conjugijs adulterinis. Auguſt. de jejunio Sabbati. Aug. de Symbolo.

Auguſt.

Digitized by Google

Auguſt. de IV. virtutibus caritatis. De Cantico nouo, de vltima IV. Feria. De Cataclismo. Contra Felicianum. De tempore barbarico. De Trinitate. De decem chordis. De quantitate animæ : ad Inquiſitiones Ianuarij. De Solemnitate Paſchali. De Paſtoribus. De Ouibus. De Perfectione juſtitiæ hominis. Contra mendacium. Item Auguſt. de mendacio. Item Auguſt. de Auaritia & Luxuria. De Prædeſtinatione Sanctorum. De Doctrina Chriſtiana. De Agone Chriſtiano. De Vita Chriſtiana. De Diſciplina Chriſtiana. De gratia Noui Teſtamenti. Confeſſionum eiuſdem libros XIII. Retractationum. De Hæreſibus ad Quod-vuult-Deum Epiſcopum. De caritate ſuper Epiſtola Ioannis Apoſtoli. Enchiridion contra Iudæos. Sermones eius.

Ioannem Chryſoſtomum de Compunctione cordis. Eiuſdem, Quòd nemo poſſit ab alio lædi, niſi à ſe priùs fuerit læſus. De Reparatione lapſi. De Pœnitentia. Librum Laurentij de tribus temporibus pœnitentiæ. Item Ioannem Chryſoſt. De conuerſatione vitæ. De Oratione Dominica. De Pſalmo 50.

Regiſtrum Beati Gregorij Papæ. Quintam partem, & ſextam Moralium eius in Iob. Homelias eiuſdem ſuper extremam partem Ezechiëlis Prophetę. Codicem de Canonibus. Paſchaſium de Corpore & Sanguine Domini. Tripartitam hiſtoriam.

Codicem magnum de paſſionibus, & geſtis ſanctorum Apoſtolorum, & plurimorum Martyrum cum vita ſancti Mauri. Vitas SS. Patrum Eremitarum. Vitas SS. Baſilij, Remigij, Vedaſti, Furſei, Ambroſij, Lupi, S. Mariæ, Germani Autiſſiodorenſis, Romarici, Auguſtini, Hieronymi, Amandi, Guandregiſili, Audoëni, Anſberti, Mariæ Ægyptiacæ, cum Tranſlatione Beatiſſimi Benedicti in I. volumine. Item vitas SS. Richarij, Auguſtini, Hilarij, Columbani, Fulgentij, Medardi, Firmini, Saluij, Bertini, Bauonis, Vitoni, Martialis, Seuerini, Felicis; ſimul & paſſiones SS. Hermagorę Epiſcopi, Georgij, Blaſij, Mennæ, Theodori, Lamberti, Timothei, & Apollinaris; Perpetuę & Felicitatis, Anaſtaſię, Sabinę, cum vita S. Genouefæ, in vno volumine.

Hæc omnia venerabilis Geruinus in XXXVI. voluminibus compingens, graui & inabſolubili anathemate condemnauit quicunque ea ſancto loco demere, & qualibet occaſione ſubtrahere auderet. Non ſolùm librorum, ſed & palliorum, ceterorúmque quæ vel ipſe aggregarat, vel à ſuis anteceſſoribus aggregata inuenerat, ornamentorum perpetualiter excommunicauit fraudatorem.

S. Angilberti Inuentio & Tranſlatio.

Enimuerò quoniam illo tempore Domni & S. ANGILBERTI Abbatis tumulus certiſſimè non ſciebatur, & ob hoc nullo terreno honore potiebatur, quamuis eius celeberrima memoria in ore vniuerſorum Franciſcorum vel Pontiuorum, atque aſpectu egregij templi quondam ab eo fundati reſplenderet, ſtuduit venerabilis Geruinus quibus poterat conatibus eiuſdem ſancti viri corpus perquirere, quò, ſi Dominus eius votis annueret, poſſet illud condigno exaltare honore. Denique quodam tempore iuit Cœnobium Gorziam, quod eſt ſitum in confinio Metenſis ciuitatis, vbi inuentum codicem, qui de eiuſdem ſancti viri, aliorúmque noſtratum Abbatum geſtis aliqua retinebat, ab illis Fratribus mutuauit, Centulam detulit; in quo ſcilicet repertum eſt, quomodò ſanctus Abbas Angilbertus terreni corporis molem relinquens XII. Kalend. Martij tranſiuit ad gloriam. Et quia ab eo tempore quo ſub Guaramundo Pagano combuſtum fuit Monaſterium, vſque ad hanc cognitionem Centulenſes Monachos dies tranſitus eius latuerat: magno ijdem Fratres exhilarati ſunt gaudio ob quod diem cognouiſſent, quo tantus vir pro vitæ virtutúmque merito honorari deberet. Igitur Geruinus, qui meritò vir deſideriorum dignus eſt dici, cupiens, vt dictum eſt, eundem Sanctum dignius honorare, cœpit perquirere ad fores Eccleſiæ, quo compererat illum primò tumulatum fuiſſe, ſanctam corporis eius glebam; & illius quidem non ibi corpus inuenit, ſed in eodem quo pauſauerat ſarcophago inuenit lecticam ligneam coriatam Domni NITHARDI, filij eius, Abbatis & Comitis corpus continentem ſale perfuſum: in cuius capite videbatur illa percuſſura, quâ euentu prælij fuit occiſus. Recludens itaque eundem tumulum, aliorſus eum quærere cupiebat; ſed quò quæreret, neſcie-

Digitized by Google

bat, niſi potentia diuinę Majeſtatis per quendam Monachum in hac re eum direxiſſet : Nam perſuaſit ille Frater, nomine Teudoaldus, ſæpè fatum Sanctum inueſtigari debere in ingreſſu chori à parte Occidentali, vbi videlicet in ſuperficie pauimenti ſcriptum habebatur, REX. LEX. LVX. PAX. hæ autem quatuor partes in illius antiquo epitaphio primæ fuerunt & vltimę : & harum monoſyllabarum partium ratione affirmabat idem Teudoaldus oportere conſiderari, quoniam ille qui ipſum repoſuerat, ob hoc ſuper illum has epitaphij eius ſyllabas cenſuit deſcribi, vt earum ſimilitudine quærenti innueretur, quo Sancti corpus Angilberti quieſceret. Venerabilis Geruinus hæc audiens acquieuit, & quod anhelanter ſitiebat, ſanctum Angilberti Abbatis corpus inuenit. Eadem verò hora qua repertum & diſcopertum eſt, mirificę ſuauitatis odor emanauit ; & non ſolùm hi qui ibi aderant ſuauiſſimo afflati ſunt odore, verùm & omnes qui in ipſa erant quouis loco Eccleſię admirabilem fragrantiam perſenſerunt, in tantùm vt hodiéque teſtetur Domnus Radulfus cognomento Benignus, quod eadem inuentionis hora ſuper valuas cryptę ſedens & ſcribens, dulciſluo ſit refectus odore. Erant verò ipſa ſancta oſſa confuſo ordine conglomerata, pallióque viridi obuoluta. Vnde certum eſt poſt Ribbodonem Abbatem qui eum integrum tranſtulerat, ab alijs fidelibus timore paganorum itatenus eum fuiſſe repoſitum. Inuenti autem ſancti theſauri gaudium illa fuſcabat ratio, quòd nullum ſcripturę vel chartę indicium reperiebatur, quæ illud Angilberti fuiſſe corpus teſtaretur : ſed piæ Abbatis vel Fratrum curioſitati diuina citò prouidentia conſuluit, quæ ſupra nominati Fratris Teudoaldi cordi immiſit, vt eiuſdem Sancti caput accipiens curioſo oculo rimaretur : quod dum faceret, inuenit in repagulo narium breuem membranulam, qua omnis dubietatis anxietas ablata eſt. Si quidem eadem paginula apertè manifeſtauit veritatem, dicens, HOC ESSE CORPVS SANCTI ANGILBERTI ABBATIS. Sic quæ cupierat venerandus Paſtor adeptus, eundem Sanctum cum honore relocauit ; ſemper deinceps celebrari eius memoriam inſtituens. Sancti quoque Confeſſoris Caydoci,

ſociíque illius corpora à terra leuauit. Et eorum Reliquias decentiùs collocans, fidelibus populis honorandas cenſuit.

CAPVT XXXIII.

Qualiter à Domino correptus ſit.

POSTQVAM Venerabilis Geruinus mundum in maligno poſitum ſuæ ſanctæ vitæ illuſtrarat exemplis; poſtquam multas peccatorum animas ſanctis monitis inſtruendo de peruerſitate traxerat ad correctionem, & de fauce diaboli erutas Chriſti omnipotentis reſignauerat gratiæ; poſtquam almiflui Confeſſoris Chriſti Richarij Eccleſiam Fratrum numero & religioſitate, ædificijs, libris, pallijs, auro & argento, variíſque decorarat & augmentarat ornamentis; cùm & omnium populorum laude ac præconijs attolleretur, & eius ſacer ac immaculatus cœlibatus omnibus ſanctę Eccleſię membris appareret mirabilis, volens pius Pater Deus eum ſibi omnimodis aptare, vt juxta vocem Prophetæ omnis illius ad purum excoqueretur ſcoria, morbo lepræ eum perculit, vt ſi quippiam minus in Dei peregiſſet ſeruitio, in iſta vita reciperet, vel ſi aliqua pro bene geſtis laudis humanæ eum cupido vulneraſſet, ſimiliter purgaretur: cuius mali vt primam potuit ſentiſcere originem, non putans fore inextricabilem illam infirmitatem, medicorum ſibi ſtuduit adhibere peritiam, quò, Deo annuente, infirmitatibus animarum adhuc ſuccurrere non præpediretur. At vbi recognouit ſe à Patre benigno irreuocabiliter quantum ad carnem percuſſum, totis præcordijs in Deum refuſis magnas gratias ſuo rependebat flagellatori; indeſinenter exorans Dei pietatem, vt hæc corporis moleſtia ad animæ proficeret ſempiternam ſaluationem. Igitur cùm, vt omnibus notum eſt, ille talis morbus ei abſtuliſſet vocis facultatem, non tamen omittebat quin ea omnia compleret, quæ ſuprà ſignauimus ab illo geri, id eſt, prolixitatem orationum, genuflexionum continuationem, ſacrarum ædium circuitionem, ſacrorúmque Canonum de ſancta Trinitate, de Spiritu ſancto, déque ſancta MARIA de Omnibus Sanctis expenſionem. Et cum ad Cibum ſu-

mendum, ad requiem capiendam præ infirmitate deficeret, ad hæc omnia diuini officij obſequia deficere neſciebat. Idem ſemper in orationis aſſiduitate, in Pſalmorum recitatione, in exhibenda Fratribus admonitione exiſtebat, præter quod infirmitatis qualitas à cœtu Fratrum eum aliquando ſegregari cogebat. Verùm cùm ipſe ſemet hac ratione volens arceret, illorum tamen quos educarat dulci affectu, vt pater bonus, piáque ſedulitate vallabatur.

CAPVT XXXIV.

Vbi ſucceſſorem ſibi à Rege popoſcit: & quàm ſolerter obitum ſuum Fratribus commendauerit.

LATIVS ergo latiúſque aggraueſcente ipſo languore, cùm agnoſceret ſe non præualere ad conſeruandam curam animarum valetudine præpediente, aduenienti fortuitò Regi Francorum tum juueni Philippo ſui allegauit cauſam languoris, orans vt Monaſterio quod ipſe pro poſſe bonis ampliarat, talis daretur Paſtor & Cuſtos, qui congregata non diſgregare, ſed diſgregata noſſet vnire: flagitauítque vt pius Princeps cederet ſuo regimen nepoti, quem & dicebat ad tale opus ſat eruditum, qui erat ſancti Remigij Monachus, nomine GERVINVS. Et quia omnes qui eum noſſe poterant, non illi obedire vti ſancto viro putabant ſacrilegum; Rex præfatus annuit, & vt ſuus poſt ſe regimen obtineret nepos conceſſit.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis MLXXI. Finiente 1071.
menſe Octobri, die x. Kal. Nouembris Ind. viij ordinatus eſt ſecundus GERVINVS Centulenſis Monaſterij Abbas. Reuerendiſſimus autem auunculus videns ſe magis ac magis corporis viribus deſtitui, & magni languoris vrgeri grauamine, ac per hoc diem mortis non multùm differendum ſentiens, indefeſsè Domini precabatur ſibi quantociùs miſericordiã aduenire. Anno quoque ſuæ ægritudinis IV. ferueſcente nimis ſæpe fato malo, ita anguſtiatus eſt, vt fiſſis & partitis naribus & labris, cæteráque cute in hiſpidam verſa faciem, vix poſſet verbum formare. Sed cùm infatigata

diuini verbi meditatio in eo permaneret, duobus Fratribus, aut ſæpe vni, jubebat ea omnia coram ſe adimplere, quæ dudum meminimus illum valentem omnia perſoluiſſe. Euenit autem intrante Dominicæ Natiuitatis Anno MLXXIV. Ind. xj. vt II. die menſis Februarij, qua Domini noſtri IESV CHRISTI ab intemerata Virgine Matre celebrata in templum oblatio, & juſti Simeonis perfecta eſt expectatio, ex deuotione quæ apud illum nunquam frigueraat Miſſam faceret in crypta noſtræ Dominæ S. MARIÆ; in qua ſolitò acerbiùs dolore anxiatus, vix valuit inchoata myſteria perficere. Quibus tamen per Dei gratiam, quæ in illo commanebat, ritè peractis, nimio angore fatigatum dextra læuáque ſuſtentando ad cubile Fratres reducebant: cùm ſubitò inter mæſtorum filiorum colloquia hæc ipſe admiſcuit verba: *Noueritis*, ô dulces Filij, *me hodie à Domina noſtra* S. MARIA *accepiſſe licentiam abeundi.* Illis interrogantibus quorſum ire deberet: *Vbi*, ait, *ſemper cupiui, & pro quo Dei pietatem ſemper precatus ſum.* Fratribus verò dicentibus adhuc illum viuere poſſe, & Domino omnipotenti ſacrificia eius manibus fore offerenda, ſubjunxit, inquiens: *Nunquam amplius Frater Geruinus Miſſam cantabit.* Exin quotidie in majus excreſcente dolore, affatim decubuit. Superueniente autem Quadrageſimali obſeruatione, in ipſa feria IV. quam caput jeiunij vocat conſuetudo Eccleſiæ, conuocauit Fratres natu majores, & ſacerdotij gradu ornatos, & quantocumque anniſu valuit exurgens aſſedit; illiſque coram, tum demum ſic ora reſoluit: Vt Beatus Germanus Fratribus Coepiſcopis dixit, ſic & ego filij vobis dico. Commendo vobis, cariſſimi, tranſitum meum; ſentio enim proximare horam, quâ diu à Domino exquiſita mihi ſalus proueniet. Et hæc meæ ſemper fuit orationis intentio, vt in his ſanctis diebus, qui modò ſuperueniunt, meum miſericors Deus obitum fieri imperaret: verùm quia, vt confido, meis fauturus eſt votis, volo vobis in conſpectu Domini confiteri mala quæ feci, & de quibus animæ meæ timeo: credens quòd hæc confeſſio pietate Domini præeunte, & veſtro interceſſu adjuuante, me mundabit. His ab eo dictis, & Fratribus vbertim lacrymas fundentibus,

1074.

recitauit coram illis grauia quædam, & quæ nunquam eum feciſſe nouerant omnes. Denique octo principalibus vitijs ſeſe onuſtum denuntians, in mirum redegit Fratres ſtuporem, qui eius ab infantia cælibatum vitæque innocentiam optimè compererant: qui & dicebant: vt quid, bone Pater, taliter te incuſas, cùm manifeſtum ſit te non feciſſe quæ aſtruis: certè homicidium adulterium non perpetraſti. Quibus ipſe reſpondit: Parcite, Fratres, parcite, quæſo, « & meam animam nolite grauare: nam ſi ſub mea cura aliqui perierunt, quod fortaſſe omitti non potuit, profectò « in Dei judicio pro eorum animabus reus tenebor. De adulterio autem audite quid Chriſtus veritas dicat: *Qui viderit* « *Matt. 5. 28* *mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in* « *corde ſuo.* Fieri autem non potuit, vt non hac aliquando « illectus fuerim laſciuiæ voluntate; ob hócque ita reus exiſto « quod voluerim, ac ſi opere perfeciſſem. Hæc & alia ſe incuſando exprobrans, commendauit Deo & eorum precibus ſui exitus tutelam.

CAPVT XXXV.

Qualiter ſe ſepeliri mandauerit: & obitus ipſius.

INTRANTE igitur ſacri jeiunij conſuetudinaria obſeruatione, grabato tenebatur, ablata omnimoda canendorum pſalmorum, vel quippiam loquendi poſſibilitate. Et tamen curſus ſpiritales coram eo inceſſanter recitabantur. Nec enim omiſit, quin, vti valens aſſueuerat, omni die Quadrageſimæ totum Pſalterium per vnum è Fratribus, quia per ſe non poterat, decantaret. Fratres ergo videntes eum jamjam in mortem reſolui, juxta S. Iacobi Apoſtoli mandatum, oleo benedicto perungentes eum, valde alacrem tali obſequio effecerunt. Interrogatus autem vbi vellet ſuum corpus ſepeliri, nullum locum voluit deſignare, hoc in eorum collocans arbitrio. Sed cùm amplius à Fratribus flagitaretur, vt ſepulturæ locum ipſe ſibi deſignaret; Dicerem, inquit, vobis meum ſuper hac re velle, « ſed vos non illud impleretis. Tunc Fratres qui reuera eſſent « parati, in quocumque quamuis ſancto eum ſepelire loco,

Digitized by Google

„ omninò ſe impleturos quæ juſſiſſet ſpoponderunt. Et ille,
„ ait: Scio, inquit, quia non facietis: verùm ſi faceretis, ma-
„ gnum mihi proueniret inde ſceleſto remedium. Nectentes
„ pedi meo reſtem, trahite me, & proijcite in ſterquilinium
„ in medio platearum, quia non meliori dignum me credo
„ ſepulchro. Hæc Fratres audientes, iteratos planctus conti-
nuant. Orauit autem, vt quacumque hora exitus ei adue-
niſſet, ſtatim intra ſancti Richarij Baſilicam eum ferrent,
ſpiritum Deo inibi redditurum. Iámque ſacri jeiunij euo-
luta fuerat prima ſeptimana: & ſecunda ducebatur, cùm
ecce venerabili Geruino, & vtique jam beatificando im-
minebat ſalutaris tranſitus. Nam feria III. ſecundæ heb-
domadæ quæ habebatur v. Nonas Martij, poſt finitos ma-
tutinos, Fratres ſolliciti eum viſerunt, inuenerúntque eum
extremum flatum trahentem. Innuebant ergo alterutrum
quòd moreretur. Quod ipſe adhuc ſentiens, manu propria
innuit eis vt ferreretur in Eccleſiam. At Fratres eum acci-
pientes ſuſtulerunt, & ſtrato cilicio ante ſancti Ioannis Ba-
ptiſtæ, quod vicinum erat, altare poſuerunt. Dein oppo-
ſito obtutibus eius crucifixi Domini ſigno, & ſuper pectus
eius poſito reliquiarum vti ipſe diſpoſuerat ſaccello, con-
gregatio tota inchoauit litaniæ ſupplicationes, Sanctos Dei
vt ei ſuccurrerent inuocantes: à quibus cùm dicebatur,
Sancta MARIA *ora pro eo*, ipſe, qui jam fuerat in morte
compoſitus, tetendit manus, orans & ipſe: *Sancta* MARIA
ora pro me. At vbi ventum eſt vt diceretur, *S. Richari ora
pro eo*: abſque omnium ſpe mirabiliter ſe ſurrigens, manúſ-
que altiùs protendens, lacrymando clamauit: *S. Richari
ora pro me.* Poſt hoc quietior factus, cùm Fratres Litania
finita, & initiata commendatione fideli, illò vſque veniſ-
ſent, vt dicerent, *Suſcipiat te Chriſtus*, ille ad hæc verba
ſpiritum efflauit. Quod vbi innotuit, inedicibilis & infini-
tus ſubitò Centulam omnem mœror excepit; flebant viri
obitum tanti Paſtoris, matronæ vociferantes cum crinium
euulſione ſancti Abbatis hominis Dei mortem dolebant.
Nec mora ruit omnis prouincia Pontiuorum ad exequias
viri Dei, & conſideratione tanti obſequij omnis neceſſitas
mox abdicatur. Conueniunt in Baſilicam, & verè deſo-
latam

Digitized by Google

latam domum elatis vocibus plangunt. O, inquiunt, Sancte Richari, cur talem tui honoris tam citò ſiniſti mori amatorem? Bone Confeſſor, cur non tam bonum tibi reſeruaſti famulíſque tuis conſeruatorem? Sic viri, ſic fœminæ, ſic nobiles, ignobiléſque optimi viri mortem lugebant.

CAPVT XXXVI.

Sepelitio eius, & epitaphium.

NVDATO itaque ad lauandum corpore eius, tanta enituit gratia membrorum, vt ipſam cutem non putaretur quilibet morbus vnquam fœdaſſe. In ipſis autem genitalibus tantus virginei honoris decor apparuit, vt non tam virilia quam venerabilia ſeptennem puerum imitarentur. Ex aſſiduitate autem genuflexionum in poplitibus ſeu cubitis inuenta eſt obdurata cutis excreuiſſe; & qui eius ſtudia, vitámque neſciſſet, huius conſideratione rei contemplationi diuinæ eius ſemper hæſiſſe animum liquidò cognouiſſet. Componentes ergo ipſa ſancta oſſa, (nam carnes tam abſtinentiâ, quàm morbo defecerant) tulerunt in potiorem locum Eccleſiæ, deuotis excubijs, vti mos eſt, animam Deo commendantes. Miſſarum itaque ſolemnijs ab Abbatibus, & à cunctis qui adfuerunt Sacerdotibus copiosè expletis, ſepultus eſt ſeruus Dei GERVINVS Abba Venerabilis ante altare Beatæ MARIÆ in crypta Orientali, cum vniuerſorum, id eſt, Comitis Guidonis, Abbatum, Procerum, Militum, vel generalis vulgi gemitu & dolore. Guido ſanè Comes Pontiuorum indulgendo remiſit pro illius amore omnes conſuetudinarias exactiones, quæ ſibi debebantur in Nouauilla. *Super ſanctam*, inquiens, *Sancti* GERVINI *tumbam hoc donum dono.* Geſta ſunt hæc Centulo anno Verbi Incarnati MLXXIV. Ind. XI. regnante 1074
Philippo Francorum Rege anno XIV.

EPITAPHIVM.

Inclytus iſte Pater, dæmon per quem ruit ater,
Hos pius in populos dormit in hoc tumulo.
Ardua rectarum ſcandens qui ritè viarum,
Corporis aſſiduus martyrizator erat.

Regula virtutum, rectorum lux Monachorum,
Extitit à puero corpore virgineo.
Tunc ſic florentem, ſtudioſè juſta docentem,
Mars tua tertia lux abſtulit, ltque redux.

Mores Geruini junioris exprimuntur, qui longè abſunt à ſanctitate ſenioris eius auunculi.

Eodem Anno obijt WIDO Ambianenſis Epiſcopus, noſtri loci amator præcipuus. Abbate venerabili Geruino de luce pæſenti ſubtracto, ſucceſſit ad regimen Centulenſis Cœnobij alter GERVINVS longè impar priori, licet eſſet ipſius ex ſorore nepos, nutritus & eruditus in S. Remigij honorifico Cœnobio. Hujus fuit lingua docta, & actio impedita: vt pote qui regiminis curam conuertit ad mundi gloriam, & animarum lucrum redegit in ſæculi oblectamentum. Abundabat tamen eodem tempore iſtud ſacrum Cœnobium religioſarum perſonarum, grauiúmque Monachorum ſtabili honeſtate, quorum vita vel conuerſatio fama laudabili enitebat in omni Francorum loco. Erant enim quidam illorum de tempore venerandi Angelranni, boni magiſtri boni diſcipuli, & pluriores de recenti memoria laudabilis Geruini, quorum vita & mores videbantur ſecundo Geruino arenâ ponderoſiores, ferro duriores, & calybe acutiores. Horum continentia, & probitate admodum refrænabatur intemperantia leuitatis eius, quorum monita, & coërcitiones verborum ex toto recuſare non poterat, non tantùm propter Dei timorem, quantùm propter ſæculi fauorem eorum prudentiæ ſæpiùs acquieſcens. Seniorum igitur Monaſterij fixa caritate honorabatur, tolerabatur, exſpectabatur, ſi quando dediſſet Deus in cor eius ſpiritum corrigendi. Qua de re vicibus aſſiduis fiebant orationes Miſſarũ vel pſalmorum ad Deum pro eo, dum exſpectaretur vt aliquando conuerſus imitator efficeretur ſancti auunculi. Aſtutia verò & ſimulatio ita in eo redundabat, vt ſi quis eum neſciret, ex affluentia ſermonis illius totius honeſtatis hominem æſtimaret. Fulgebat eloquio, verbis ad omnem gratiam compoſitis: nihil tamen rectum in opere demonſtrabat. Pictor verborum demulcendo furabatur ſenſus auditorum, vt neſcirent euadere de verborum eius artificioſa calliditate.

Ipſe denique me inter alios quamplures monachizauit,

Digitized by Google

& in corde tenero quaſi in molli cera geſtorum ſuorum imaginem non imitandam ſed abijciendam compreſſit. Triennium autem poſt meam intromiſſionem elegantiſſimum puerum ANSCHERVM, ſuum poſteà ſucceſſorem, Monachorum victus vnanimitate, gemebundus in Cœnobium aſſumpſit: timebat enim jam tunc, ne puer egregius aliquando ſuæ contrairet veſaniæ, & idcircò non pater, ſed pirata eundem puerum remiſsè ac negligenter erudire fecit, quò illectus juuenili facilitate nullam honeſtatis portionem hauriret, pro qua, vel per quam ad honoris cumulum prouehi potuiſſet. Puer verò jamdictus tam per ſe quàm per amicos parentúmque clientes animaduertens dolos eius, dedit operam moribus dulciſſimis, vt amabilis omnibus haberetur. Domnus verò Geruinus quendam habebat nepotem nomine Cæſarium, in S. Remigio Monachum factum, cui cogitabat conquirere regiminis ſucceſſionem. Sed væ tibi veſana calliditas! tu ipſe nunquam Abba fuiſſes, niſi benedicti auunculi tui ſancta vita meruiſſet. Si volebas de tuis heredem ſupponere, quare non te talem egiſti, cujus gratiâ tuus nepos ad honorem debuiſſet aſcendere? vidi multoties, & audiui ſæpiùs quòd ſeniorum Monachorum non parua multitudo amarè gemiſcebant illius veſaniam, & vt ſcriptum eſt, *Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.* Sed jam ſufficiat hominis infelicitatem tantiſper fore cognitam, vt habeat poſteritas exemplum quid fugiat, & de bonis incitamentum ad virtutes capiat. Dicamus de bono ſi quid fecit. Turrem S. Saluatoris, quæ propter antiquam combuſtionem crepituris patentibus diſciſſa videbatur, deijcere inchoauit, vt hâc deletâ meliorem & firmiorem reſtauraret. Statímque ſecuta eſt Baſilicæ magna ruina, quæ omni genti Pontiuorum grauem incuſſit mœrorem; nunquam enim credebatur reſtaurari poſſe tantæ honeſtatis Baſilica, vel in quartam generationem. Quid plura? ſtatutum fuit, vt propter opus quod putabant irrecuperabile, ad quærenda ſolatia ſumptuum amabile corpus Patris noſtri Richarij per vicina caſtella deferretur, vt deuoti populi donarijs nouum opus Baſilicæ fundari valuiſſet. Venit dies hæc agendi. Adeſt Comes Pontiuorum Wuido cum multis Nobilibus, conflu-

Pſal. 61. 4.

xerat maxima multitudo vicinæ coloniæ ad nouum ſpectaculum. Paratis crucibus & vexillis, antelatis cereis, cum honore competenti leuatur Sanctus à proprio altari.

Magnis autem precibus, multíſque perſuaſionibus cor populi ad hoc vix pertractum eſt, vt amabile corpus Beati Patroni vel vſque Abbatis-villam ferretur, quatenus deuotio plebis ibidem manentis de benedictione beati corporis optabiliter reficeretur, & ipſe Sanctus multis donis honoratus, ſequenti die referretur. Totus ſimul concurrit Pontiuorum populus, æternum opprobrium reputantes, ſi Sanctus longiùs efferretur. Mane etenim ſequenti reuehitur Sanctus, tantis gaudijs, tantíſque cantibus comitatus, vt lætitiæ magnitudinem vox mortalis non poſſet exponere. Quo ſuis ſedibus reſtituto, populus Centulenſium in vnum Congregatus pari voto, promptóque animo dederunt vnuſquiſque munera Sancto, ad reſtaurationem Eccleſiæ, vel turris, olim dicatæ nomini Saluatoris.

Vaccas atque boues & equos, & oues tribuerunt.
Cappas, mantellos, anulos, vittáſque, tiaras;
Cingula, cultellos, manicas, caligáſque dederunt;
Auribus appenſum tribuúntque monile puellæ.
Sed noſtri Cines argenti pondera penſant.
Librarum ſolidos quammultos vndique donant.
Ruſticus hordeæ dat, multorum cœtus auenam.
Plures dant braſium, vinum plerique dederunt.*
Ex his theſaurus fit mercibus amplior vnus,
Quem numerare nequit, vel ſi quis compota nouit.

* *Id eſt*, ceruiſiam.

Auxiliante Domino à fundamentis noua incœpta eſt Baſilica, & bonorum hominum collationibus dietim fabrica conſurgebat. Centulæ quoque habitatores feruentiùs exſequentes, quotidianis donarijs vrgebant inuicem ſemetipſos, ſummo niſu ſupra vires exercentes vt nemo in dandis ſolatijs inferior videretur. Gratias Deo, qui dejectam luximus, renouatam & erectam congaudemus: fortiori fundamento, & celſiori faſtigio eleuatam cernimus.

Prætereà cùm videret iſdem Geruinus in multa ſe gloria conſtitutum, & multo curialium vel popularium fauore

conſtipatum, putans eſſe ſui meriti honorem, & gloriam patroni Richarij, cœpit vanis adulantium extolli rumoribus, & nihilum computare quòd Abbas extiterat, ardenti corde anhelans vt Epiſcopus fieret.

Fratres etenim diuturna expectatione fatigati, cùm viderent illum ad deteriora ſemper ferri, diuerſis modis eum reuocare ſatagebant à deſtructione & dilapidatione loci, per WIDONEM Comitem Pontiuorum, per Nobiles Palatinos, per RAINALDVM Remorum Archiepiſcopum, & per alias nobiles perſonas illum conueniendo, & dejectionem beati quondam Cœnobij non ſine gemitu conclamando. Quibus ille in faciem blandiebatur, ſe citò per omnia emendaturum ſpondens; ſed in corde contra eos, qui contra eum querelam deponebant, acriter ſæuiens. Cúmque nulla jam ſpes de correctione illius remaneret, dedit conſilium Remenſis Eccleſia, vt Domino Papæ VRBANO, qui eo tempore Concilium in Claromonte erat de proximo habiturus, deſolationem & confuſionem ſui loci Fratres noſtri, vel per ſe, vel per fideles legatos aperirent, & majeſtatis eius clementiam implorarent, vt Monaſterium jam pœnè exinanitum ad aliquam reſurrectionis ſpeciem pro ſui officij dignitate benignus reuocaret.

Factum eſt ita, & mox ſucceſſit remedium. Nam Dominus Papa VRBANVS in Concilio reſidens, prolatâ in eum canonicâ ſententiâ, baculo Abbatis, & Monachorum curâ ſpoliando abſoluit, adijciens verbum durum: Tu Abbatiam S. Richarij, quæ nobilis & diues olim fuerat, tam peſſimè tractaſti, vt ſuis Eccleſiam ornamentis ſpoliaueris, & Monachos multos tuis vitijs reſiſtentes exules feceris: vnde dignus eras, vt omnem gratiam Eccleſiaſticæ dignitatis ex toto perderes, veluti ouium Chriſti mactator, & ſanctæ Eccleſiæ diſſipator; ſed ne bina te vltione ferire videamur, eſto contentus Ambianenſi Epiſcopatu, quem tam durè acquiſiſti. Monachis autem S. Richarij ſit copia eligendi Abbatis, cui tu contraire nulla ratione præſumas: quod in virtute Spiritus ſancti te obſeruare jubemus.

Igitur tali ingenio, & Romano taliter accepto imperio, deleta eſt poteſtas peruerſoris; quieuit à nobis virga percuſſoris; remotum eſt jugum graue à ceruicibus noſtris,

1096. Anno Dominicæ Incarnationis MXCVI. Ind. IV. Hæc Dei miſeratio Centulæ indulta eſt. Vir autem callidiſſimus non ita ſopitus eſt à ſua verſutia, ſed rediens à Concilio, omnes qui de iſtis partibus conuiatores aderant, precibus & promiſſis concitauit, vt ſuum caſum nemo nobis intimaret: ſic per annum integrum nos deludens nomine fallaci vſus fuit rebus noſtris; donec iterum à Remenſi Eccleſia nobis diuulgatum eſt, quomodò fuiſſet in Concilio Clarimontis Abbatiâ denudatus. Quod vbi fratribus palam factum eſt, conuocauerunt eum in Capitulum valde renitentem, & aperto ſermone renuntiauerunt illi, & eius obedientiæ; affirmantes quantociùs ad Papam ſe clamaturos, niſi penitùs locum exiret. Qui videns ſuas fallacias jam excluſas, & majoris dedecoris cauens periculum, ſurrexit, baculum depoſuit, veniam proſtratus petiuit, indulgeri ſibi quod deliquerat gemens rogauit. Monachi autem valde amaricati non audierunt vocem eius, ſed præteritorum & præſentium malorum nimietate inſtigati, conuicijs certis eum inſectati ſunt, donec locum exiens Abbatis-villam adiret. Exeunti autem à Centulo non fuit qui condoleret vel vnus, ſed omnes ei maledicebant, gaudentes de eius dejectione.

Obſecro igitur omnes qui horum geſtorum fuerint cognitores, vt meminerint quàm clara vel honeſta ſuperiùs relata ſint, & ſciant quòd optatius nobis foret bona & veneranda de Domno Geruino referre, quàm ea quæ ſuperiùs dicta ſunt: ſed vt poſteri certiſſimè ſciant quòd S. Patris Richarij amatores, & eius loci fideliter ſeruatores, apud Deum mercedem habeant, & inter homines bonæ famæ laudem retineant. Idcircò ſtuduimus Domni Geruini lapſum ad memoriam reuocare, vt ſucceſſores eius nouerint adhærentes Richario glorificari, contemptores autem & deſertores æterno improperio ſubjacere. Prætereà eidem Domno Geruino à Fratribus potuiſſet vtique quamuis ægrè aliqua venia impertiri, ſi in pœnitudine perſiſtens ſe malè feciſſe cognouiſſet. Sed vt quaſi inuictum ſe monſtraret, non ceſſauit nobis & loco noſtro inquietudines excitare. Vnde illa mox ſurrexit lis contentioſa, quâ voluit Abbatiam noſtram ſibi & ſucceſſoribus facere quaſi jure ſub-

jectam, quam ipſe xxiv. annis liberam tenuerat, & omnium anteceſſorum ſuorum temporibus nobili libertate perfunctam optimè cognouerat. Nouerat FVLCONEM Ambianenſem Epiſcopum Abbati Angelranno, & poſt eum Geruino multis ſeruitijs fuiſſe obnoxium, & Abbates Centulæ non ſubjectos attendiſſe, ſed patronos. Et certè præfatus Fulco in Remenſi Concilio à Beato Papa LEONE IX. excommunicatus fuiſſet, niſi Reuerendiſſimus vir Geruinus Abbas accuratè & prudenter pro illo interuenire ſtuduiſſet. Nouerat Guidonem Fulconis ſucceſſorem patre Comite natum, Comitis germanum Hugonis, Comitis Widonis patruum, Abbati Centulenſi, ſcilicet ſibi ipſi, multo famulatu extitiſſe deuotum: & tamen vrgente malitia horum omnium ſe oſtendit oblitum, nobilem juuenem Anſcherum in Abbatem electum nouis inſidijs appetens, & qualiter ei reſiſteret, vel promotionem eius impediret ſtudiosè diſquirens. Longum nimis & valdè tædioſum eſt diuerſitates machinationum eius exprimere. Idcircò his omiſſis quomodò finierit paucis dicamus.

Deficiente ſumptu, & omnibus Clericis in eius contumeliam aſpirantibus compulſus eſt relinquere ſedem, & ignorante Clero vel populo ſeceſſit Turonis ad Majus Monaſterium, vbi Abbas HELGAVDVS honorificè illum excipiens, ad confeſſionem errati pertraxit; audiens ab illo in cœtu Fratrum quanta peruerſitate, quantáque crudelitate Cœnobium S. Richarij deſtruxerit, moribus & rebus infirmauerit. Quæ poſtquam nimium ejulando retulit, paucis ſuperuixit menſibus, & IV. Idus Ianuarij de hac vita receſſit.

Vltio non ſit ei, maneat ſed lux requiei. Amen.

Sunt & quædam vtilia quæ chartarum indicio peregiſſe dignoſcitur, ſed tam pauca, vt in eorum explanatione tempus terere non placeat. Verùm quia de hoc Abbate tam triſtia digeſſimus, largiente Chriſti miſericordia de ipſius ſucceſſore jam proſpera narrabuntur vt ex eo Chriſti Eccleſia gaudeat in æuum, Amen.

Ego frater ARIVLFVS Monaſterij Beati Richarij humilis Monachus, hoc de ſancti loci

noſtri nobilitate vel vtilitatibus à Domno SAXOVVALO ante plures annos inchoatum opus Deo auxiliante perficiens, obſecro omnes qui in hoc ſancto loco militaturi ſunt, immò per virtutem Dei & ſapientiam Chriſtum obteſtor, vt hæc, in quibus congregandis deſudauimus, diligenter ipſi cuſtodiant, & ea qualicumque modo deperire non permittant. Completum eſt autem iſtud opus humanitatis Filij Dei anno 1088. MLXXXVIII. Indict. X. Anno Regis Philippi XXVIII. WIDONE Pontiuorum Comite annis XXXVI.

Explicit IV. Liber Geſtorum Centulenſis Eccleſiæ.

Hæc ſunt Ariulfi de ſeipſo verba, epilogi inſtar ad Centulam Monaſterium ſuum.

Toto corde meo te Centula mater amaui.
Traditus à puero, mea ſub te colla ligaui.
Fœdera juraui, quibus in te vota dicaui.
Pignus habens fidei, tua ſæpe contraria caui.
Fratribus & Dominis tunc lætitiam generaui;
Geſta patrum ſcribens, pro viribus iſta paraui;
Atque Dei laudes ſuper iſtis multiplicaui.
Nobilis es palma, quia de te fructificaui.
Ecce tuos natos quot laudibus amplificaui:
Theſaurbſque tuos nullis priùs æquiparaui.
RICHARIVM *Sanctum laudando clarificaui.*
Cerne pijs oculis quam rem tibi magnificaui.
Quò ſis nobilior nulli te conſociaui.
Conſcriptis Patribus fore magnam nobilitaui.
Mater agens famulam, qui te ſic mirificaui;
Exime jam culpis, per quas me commaculaui.
Mèque tuis ſocia, quos jure beatificaui.
Fratribus interſim, Dominos quos deſideraui.
Proijciar nec ab his, quibus antea me copulaui.
RICHARIVS *foueat me, ſub quo ſanctificaui.*
Vt Chriſto placeam, me cui ſacrificaui.

MARTYROLOGIVM

Digitized by Google

MARTYROLOGIVM VETVSTISSIMVM

S. HIERONYMI PRESBYTERI NOMINE INSIGNITVM.

INCIPIVNT FESTA APOSTOLORVM.

PRIMA PARS.

TERTIO KAL. IVLII. Romæ natalis Apoſtolorum Petri & Pauli.

II. KAL. DECEMBRIS. Natalis Andreæ Apoſtoli in ciuitate Patras prouinciæ Achaïæ.

KAL. MAII. In ciuitate Hierapoli prouinciæ Asïæ depoſitio Philippi Apoſtoli.

XII. KAL. IANV. Natalis Thomæ Apoſtoli, qui paſſus eſt in India.

VI. KAL. IANV. Ordinatio Epiſcopatus S. Iacobi Apoſtoli fratris Domini, qui ab Apoſtolis primus ex Iudæis Hieroſolymæ eſt Epiſcopus ordinatus. Et Aſſumptio S. Iohannis Euangeliſtæ apud Epheſum ciuitatem, cujus ſepulchro manna ſcaturit.

VII. KAL. AVGVSTI. Natalis S. Iacobi Apoſtoli, fratris Iohannis Euangeliſtæ.

IX. KAL. SEPT. Natalis S. Bartholomæi Apoſtoli, qui decollatus eſt in India citeriore pro Chriſto, juſſu Regis Aſtriagis.

XI. KAL. OCTOB. Natalis S. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ, qui pro Chriſti nomine paſſus eſt in Æthiopia, ciuitate Tharrium.

V. KAL. NOVEMB. Natalis Apoſtolorum Simonis Cananæi, & Iudæ Zelotis, qui à templorum Pontificibus occiſi ſunt in Suſia ciuitate magnâ apud Perſidem. EXPLICIT.

INCIPIT MARTYROLOGIVM.

VIII. KAL. IANVARII. Bethlehem Natiuitas Saluatoris Domini noſtri IESV CHRISTI ſecundùm carnem. Romæ Iuuini, Paſtoris, Baſilei, Victurianæ, Achillei, Euticeti, Sinfroniani, Saturnini, Timedi, Ignatij, Cyriaci, Gagi, Ianuariæ, Datiui. Et in cœmeterio Aproniani, viâ Latinâ, Romæ Paſſio ſanctæ Eugeniæ Virginis, Syrmiæ, & Anaſtaſiæ. Mediolani, Felicitatis. Et in Pergamo S. Saturnini. Conſtantinopoli, S. Anaſtaſij.

VII. KAL. IANVARII. In vrbe Hieroſolymitana, villâ Kafargamalâ, Paſſio S. Stephani Diaconi, Martyris & Apoſtoli, qui lapidatus eſt à Iudæis. Romæ, depoſitio S. Dionyſij, Heliæ, Doroſtoli. In Antiochia, Iuliani, Martiani, Neandri, Ianuariæ.

VI. KAL. IANV. Aſſumptio S. Iohannis Euangeliſtæ apud Epheſum. Et ordinatio Epiſcopatus S. Iacobi fratris Domini, qui ab Apoſtolis primus ex Iudæis Hieroſolymis eſt Epiſcopus ordinatus, & tempore paſchali martyrio coronatus.

V. KAL. IANV. Bethlehem, Natalis ſanctorum Infantium & Lactentium, qui ſub Herode pro Chriſto paſſi ſunt. Ancyræ Galatiæ, Eutici Preſbyteri, Domitiani Diaconi. Et in Africa, Caſtori, Octaui, Victoris, Gatæ, Rogati, Euſebij, Probati, Ianuarij, Saturi, Catonis, Reſtitutæ, Saturnini. Et in Thracia, Gaïani, Domitiæ. Et in Edeſſa, Tranſlatio corporis S. Thomæ Apoſtoli.

IV. KAL. IANV. In Africa, Domitij, Victuri, Creſcenti, Primiani, Liboſi Epiſcopi, Secundi, Saturnini, Honorati, Victuriæ, Saturi, Felicis. Romæ, Felicis, & Bonifacij Epiſcopi de ordinatione.

III. KAL. IANV. In Alexandria, Manſueti, Securi, Donati, Honorati, Policliti, Appiandi. Sereni, Pauli, Stephani, Papiani, Cleti, Clementis. *Turonis ciuitate*,

Perpetui Episcopi & Confessoris. Oia insula, S. Florentij.

II. KAL. IANV. Carthagine, Donati, Cœlestini, Saturnini. Bononiæ, Gaï, Serẽni. Romæ, Donati, Pauli, Rogatæ, Dominandæ, Hilarinæ. Et depositio S. Siluestri Episcopi & Confessoris. Reciæ, Hermetis Exorcistæ. In prouincia Sicilia, ciuitate Catana, Stephani, Potiani, Attali, Fabiani, Cornelij, Sexti, Floridi, Cottæ, Quintiani, Mineruini, Symphoriani, Ammoni, Fortunati, sancti Sequentis, Amonis, Calendionis, Euelpisti, Exuperanti, Saturnini, Agnetis, Paulinæ, Donatæ, Nominandæ, Rogati. Senonas ciuitate, Passio S. Columbæ Virginis.

MENSIS IANVARIVS
HABET DIES TRIGINTA.

Litera Indictionis.

KAL. IAN. Circumcisio Domini nostri IESV CHRISTI secundùm carnem. In Oriente, Stephani. Nicomediæ, Eofrosini Episcopi, Primiani, & aliorum nouem. In Retia, Euentij, Hermetis. Bononiæ, Gaï, Heraclij. In Africa, Victoris, Felicis, Narcissi, Argiri, & aliorum quatuor; Papatis, Primiani, Saturnini. Item Saturnini, Victoris, Honorati, Leusi, Hermetis. Romæ viâ Appiâ, Coronæ militum triginta. Rauennæ, depositio sancti Seueri Confessoris. *Augustiduno, depositio B. Agripini Episcopi. In ciuitate Ruspensi depositio Beati Fulgentij Episcopi & Confessoris.*

IV. NON. IANV. Antiochiæ, Siridoni Episcopi eiusdem loci. Stratonici, Macarij Abbatis, Saturi, Possessoris, Firmi, Maximiani, Acutionis, Timothei, Hereſij, Arthaxa, Vitalis, Acutæ, Tobiæ. Et in Æthiopia, Rutulæ, Claudiæ, Aurigæ, Vitalis. Hierosolymæ, Stephani.

III. NON. IANV. In Hellesponto, ciuitate Parethiâ, Cyrici, Primi, Theugenis. Et ciuitate Tomis, Claudionis, Eugenij, Rodi, & trium fratrum Argei, Narcissi, & Mar-

cellini pueri, Chriſtianifili Epiſcopi, Eugenti, Rodonis. In Africa, Lucidei, Martialis, Statuliani, Conſtanti, Poſſeſſoris, Hilarini, Pennicæ, Firmi, Candidi, Rogatiani, Eugeniæ, Acutæ. Item Candidi. *Pariſius, S. Genouefæ Virginis. Viennæ, Beati Florentij Epiſcopi & Confeſſoris.*

II. NON. IANV. In Africa, Aquilini, Gemini, Eugenti, Martiani, Quinti, Theodoti, Triphonis. In Oriente, Bononia ciuitate, Hermetis, Agei, Gaï, Petri, Marci, Sereni, Senni, Anaſtaſiæ.

NON. IANV. In Africa, Felicis, Secundi, Honori, Luciani, Candidi, Ianuarij, Cœlesfori, Iocundi, Acuti, Petri, Marci, Sereni, Senni, Anaſtaſiæ. Hieroſolymæ, Simeonis. Prophetæ, cùm obtulit ei Dominum IESVM Chriſtum MARIA, & Ioſeph: & depoſitio ipſius Prophetæ. *Antiochiæ, depoſitio S. Simeonis Monachi, & Confeſſoris, qui in columna ſtetit.*

VIII. IDVS IANV. Epiphania Domini noſtri IESV CHRISTI. In Africa, Fori, Iocundi, Petri, Marci, Acuti, Ianuariæ, Iuli, Honori, Antonini. Item Fori. Apud Sirmium, Anaſtaſiæ. Antiochiæ, paſſio Sanctorum Iuliani & Baſiliſſæ. In India, Celſi pueri, Iuliani, Antonini. Et Paſſio ſanctæ Fauſtæ. *In ciuitate Redonas, natiuitas & ordinatio, Epiſcopatus, & tranſitus ſancti Melani Epiſcopi & Confeſſoris qui ibidem celebratur.*

VII. IDVS IANV. In Nicomedia Luciani Preſbyteri, qui in quatuor partes diuiſus eſt. In Militana ciuitate Natalis S. Polioćti, Candidæ. In Heraclea ciuitate, Felicis & Ianuariæ. In Græcia, ciuitate Policoſtini, Palladij, Candidæ. Alio loco, Poliarti, Filoronis, Candidiani, Euthici.

VI. IDVS IANV. In Græcia, Ruſtici, Phiſei, Timothei, Iocundi, Ratitis, Luci, Petri, Flori, Anaſtaſiæ. Et alio loco, Sathei, Marci. In Gallia, ciuitate Belloacus, paſſio Sanctorum Luciani, Mariani, & Iuliani Martyrum. *Auguſtiduno depoſitio B. Ægemonij Epiſcopi.*

V. IDVS IANV. In Africa, Epictati, Iocundi, Quinti, Secundi, Saturnini, Vitalis. Item Quinti, Felicis, Artaxis, Fortunati, Ruſtici, Silli, Quieti, & aliorum ſeptem; Mar-

Digitized by Google

tialis, Saturi. In Smyrna, Reuocati, Firmi, Silli, Poſſeſſoris, Ianuarij, Saturnini, Saturi.

IV. IDVS IANV. In Africa, Reuocati, Firmi, Nirthi, Poſſeſſoris, & aliorum duorum. Romæ in cœmeterio Caleſti, Viâ Appiâ, depoſitio Melciadis Epiſcopi. In Africa, Saturi, Vitaliani, Felicitatis, Quinti, quorum geſta habet Artatius.

III. IDVS IANV. In Alexandria, Petri, Seueri, ſancti Lucij Confeſſoris, & Aſſolami, Quinti. In Africa, Philoromi, Ingenui, Quinti, Ianuarij, Saturnini, Vincentij. In Hiſpanijs, Augenti, Donati, Auguſtini, Saluij, Felicis. Item Felicis, Donati Preſbyteri, Flori, Zemini, Pauſalmi, Eugenti, Victoris, Stephani, & aliorum duodecim. Et depoſitio Hortenſis Epiſcopi.

PRIDIE IDVS IANV. In Achaia, Cyriaci, Moſcenti. Saturi. In Africa, Zotici, Caſtuli, Quinti, Rogati, Modeſti, Ebiciani, Carotici, Caſtolini. In Ægypto, Philoromi, Zotici, Caſtuli, Petri, Auentini.

IDVS IANV. In Africa, Ingenui, Vincentij, Sattij, Felicitatis, Modeſti. In Campania Neapoli, Cyriaci, Cimini, Zotici, Eriſi, Clereri, Felicis, Ianuarij. Romæ, Secundæ, Rogati. Viâ Lauicanâ, Coronæ militum quadraginta. Et alibi, Eos, Quomo, Eononis. Pictauis, depoſitio S. Hilarij Epiſcopi & Confeſſoris. *Ambianis, Inuentio S. Firmini Epiſcopi & Confeſſoris.*

XIX. KAL. FEBR. In Antiochia, Cleri Diaconi de antiquis multis tormentis paſſi, & in mare merſi. In Africa, Pauli, Succeſſi, Victurini, Saturi, Meſſoris, Gerontij, Lucriti, Ianuarij, Floridæ, Teocoſæ. Nolæ Campaniæ, ſancti Felicis. Et alibi, depoſitio Euphraſij Epiſcopi.

XVIII. KAL. FEBR. In Ægypto, Chriſconi, Tyrſi, Leuci, Gaiani, Genonis, Menelampi. Et in Oriente, Cornelij, Caleſti, & cæterorum. Antiochiæ, Leceri Diaconi. Et alibi depoſitio Abacuc Prophetæ. *Remis depoſitio S. Remigij Epiſcopi & Confeſſoris. Pictauis dedicatio Baſilicæ ſancti Amantij.*

XVII. KAL. FEBR. Romæ viâ Salariâ in cœmeterio Priſcillæ, Depoſitio ſancti Marcelli Epiſcopi & Con-

feſſoris. Viâ Appiâ, in cœmeterio Caleſti, paſſio ſanctæ Marthæ, Audeinæ Martyrum. Viâ Corneliâ in cœmeterio, Militum nouem, & aliorum tredecim, quorum nomina in libro vitæ tenentur ſcripta. In Africa, Saturnini, Fauſtini, Flauiniani, & aliorum ſex. *Arelato, depoſitio ſancti Honorati Epiſcopi & Confeſſoris.*

XVI. KAL. FEBR. In Africa, Micæ, Victoris, Miſtriani, Saluij, Miſiliani, Victurici, Thecoſæ, Fortunatæ, Veneriæ, Satę, Saturnini, Hoſtenſiani, Leuci, Miſſuriani, Vincentij, Albę, Moſſei, Ingenulę, Victurię. In Oriente, Natalis, Rubentiæ, & Marteri. In Ægypto Thebaïde, depoſitio Antonij Monachi. Lingonis, paſſio Sanctorum Germanorum Martyrum Speuſippi, Helaſippi, Melaſippi, Leonellæ, Meonis, Iunellæ. Et depoſitio ſancti Marcelli Epiſcopi. *In Galliâ ciuitate Bituricas, depoſitio ſancti Sulpicij Epiſcopi & Confeſſoris.*

XV. KAL. FEBR. Dedicatio cathedræ ſancti Petri Apoſtoli, quâ primò Romæ ſedit. In Ponto ciuitate Aſiæ, Moyſei, Amonis, Micę, Aſteri, Fortunati, Zenonis, Zoſimi, Menelampi, Didali, Valentis. Et paſſio ſancti Tyrſi cum ſocijs ſuis: Leuci, & Gallinici. In Africa, Seoniſi, Succeſſi, Valentis, Feleriani, Pauli, Majuli, Luci, Victurini, Honorati, Saturnini, Floridæ, Lurici, & aliorum quatuordecim Et paſſio S. Priſcæ.

XIV. KAL. FEBR. In Africa, Quinti, Pauli, Geronti, Ianuarij, Saturnini, Succeſſi, Germanæ, Tertuli, & aliorum multorum. Tibiritani, Majuli, Victuriani, Honorati, Fortunati, Iulij, Lucij, Marcuſij, Publij, Felicis, Gaï, Vitalis, Caſſiani, Victoris, Secundi, Primi, Hiſpani, Cacinari. Item Lucij, Saturninæ, Floridæ, Cœleſticæ, Molendionis. Hieroſolymæ, Marthæ, & Mariæ ſororum Lazari. Carthagine, Pigariæ, Piæ, & aliorum triginta octo. Zoſimi, Menelampi, Tyberiani, Fortunati. *Lugduni, Ordinatio Epiſcopatus ſancti Nicetij.*

XIII. KAL. FEBR. Romæ in cœmeterio, Fabiani Epiſcopi, & paſſio ſancti Sebaſtiani Martyris. In cœmeterio, Marij & Marthæ vxoris eius, Audifax, & Abacuc. Nicomediæ, Leontij, Biti, Cyriaci, Vrſi, Cendei, Felicis,

Digitized by Google

Cælidoniæ, Martiæ, Nicetij. Niueduni, Tyrſi, Quiriaci, Gallinici. *Lugduno Galliæ ciuitate, Clementis Presbyteri.*

XII. KAL. FEBR. Romæ, paſſio ſanctæ Agnetis Virginis. Et natalis Felicis, Fructuoſi, Celſionis, Felogicæ, Cæcilianæ, Augurij, Martialis. Item Felicis, Viti, Candei, Floræ, Leontij, Cyriaci, Fauſtaci. Nicomediæ, Deuſtaſi Confeſſoris. In Africa, Solutoris, & Hermetis. In Hiſpania ciuitate Tarracone, paſſio Sanctorum Fructuoſi Epiſcopi, Augori, & Eologi Diaconi. Saturnini, Quinti, Marini, Dacij, Satyri, Gaddiani, Cæleniani, Zabulij, Mammas, Vincentij, Rogati, Victoris, Repoſitæ, Primi, Lucij, Majulini, Honorati, Marcuſij, Secundi, Caſtini, Gagi, Cœleſtinij, Ermis Epiſcopi, & Publij. Item Leontij. *Trecas paſſio S. Patrocli Martyris. Aruernis depoſitio Beati Auiti Epiſcopi.*

XI. KAL. FEBR. In Hiſpanijs ciuitate Valentia, paſſio ſancti Valerij Epiſcopi, Vincentij Diaconi & Martyris; Martyréſque octodecim cum ſocijs eorum: Quintiliani, Caſſiani, Matutini, Publij, Vrbani, Martialis, Fauſti, Pauli, Succeſſi, Petri, Felicis, Ianuarij, Primitiui, Eboti, Optati, Cæciliani, Frontonis, Iulij, Ianuarij, Luperci, Apodimi, Orionis, Mennonis, Hermetis, Ianuariæ. Et in Africa, Quiri cum ſocijs ſuis; Gemelli, Saturi, Ianuarij, Felicis, Ticij, Flori, Orionis. Ad Gemellas, Clementis, Saturnini, Municipi.

X. KAL. FEBR. In Mauritania ciuitate Neocæſaria, Paſſio ſancti Seueriani, & Aquilæ vxoris eius; Belli, Munici, Caſtuli, Flori, Saturnini, Baſillæ, Anaſtaſij Martyris. Et alio loco, Cornelij Exorciſtæ. In Ancyra Galatiæ, Donati, Caſtuli, Popicæ, Demati cum ſuis omnibus. Et alio loco, paſſio Sanctorum Eugenij, Emerentianæ, & Macarij, Puluij Martyrum.

IX KAL. FEBR. In Antiochia paſſio S Babylæ Epiſcopi cum tribus paruulis. Et in ciuitate Neocæſaria, Marduni, Muſuni, Eugenij. In Africa, Epicteti, Ruppi. Carthagine, Geliei. Romæ, Feliciſſimi cum ſocijs ſuis.

VIII. KAL. FEBR. Nicomediæ, Biti. Romæ, Translatio ſancti Pauli Apoſtoli. Carthagine, Donati, Secundi,

Papiæ. In Africa, Epicteti, Publiani, Saturi. *Et Præjecti Martyris.*

VII. KAL. FEBR. In Nicea Smyrnæ, Passio sancti Polycarpi Episcopi. In Campania, Picteolis, Arthematis, & Armatæ, Donatæ. In Laodicea, Arthemij, Fabiani, Sabiani, Sidonis, Macarij. Rauennę, Anthemasij, Sauini, Leodocij, Theogenis, & triginta sex Martyrum. Bethlehem, Dormitio S. Paulæ.

VI. KAL. FEBR. In Africa, Donatiui, Datiui, Missuriani, Publij, Victoris, Quintilli, Publiani, Festi, Felicis, Vosoni, Processi, Veneriæ, Marinæ, Fortunati, Theocosæ, Egoditis, Secundæ, Epictili, Vincentij, Rogati, Primi, Aurelij, Helarij, Perpetuæ, Iulianæ, & aliorum quadraginta quatuor. Nicomediæ, Leaci. In Apollonia, Gallinici, Lucij, Honorati, Marusi, Secundi, Casti, Gaï, Cœlestini. *Sulpicij Episcopi & Confessoris. Et Dedicatio Basilicæ sancti Victoris.*

V. KAL. FEBR. Romæ, sanctę Agnetis. Iuliani, Telliani, Reotri, Teliptæ, Vincentiæ, Victorini, Secundi, Papæcanti, Victoris, Æmiliani, & aliorum triginta quinque Martyrum.

IV. KAL. FEBR. In Gabala ciuitate, sancti Pauli. In Africa Perusiæ, Victoris, Honorati. In Tursia, Constanti, Hippolyti Episcopi de antiquis. Treueris, depositio Beati Valerij Episcopi & Confessoris.

III. KAL. FEBR. In Antiochia passio sancti Hippolyti Martyris. In Africa, Pelliani, Cleri, Flelippiani, & aliorum centum viginti quatuor. *Cala Monasterio, Depositio Badechildis Reginæ. Corbeia Monasterio, Dedicatio Basilicæ sancti Iohannis Euangelistæ.*

PRIDIE KAL. FEBR. In Alexandria, Tarsici, Zotici, Ammonij, Commini, Cyriaci, Gemini, Gelasi, Hippolyti, Vrsini, Tyrsi. Et passio Sanctorum Martyrum Gallinici, & aliorum quindecim Sacerdotum. In Africa, Victoris, Publij, Saturnini, & Polycarpi, Gaï.

MENSIS

Digitized by Google

MENSIS FEBRVARIVS HABET DIES XXVIII.

KAL. FEBR. In Græcia Sanctorum Polycarpi Epiſcopi, Pœnis, Dionyſij. Item Dionyſij: item Pœnis, & aliorum quindecim Martyrum. In Africa, Publij, Saturnini, Mauriniani, Liboſi, Vincentiæ, & aliorum viginti quatuor. In Rauenna, Seueri Epiſcopi, Victoris, Luciani, Apollinaris, Helarij, Amoni, Zotici, Cyriaci. Item Seueri Confeſſoris. Et depoſitio Pieti Preſbyteri: Et paſſio Sanctorũ Vindemialis, & Eugenij. *In Scotia S. Birgidæ Virginis.*

IV. NON. FEBR. *Purificatio Beatæ* MARIÆ, *quando repræſentatus eſt* IESVS *in Templo.* In Africa, natalis Victoris, Marini, Honorati, Vrbani, Hilari, Perpetuæ, Iulianæ, Briuatulæ, & aliorum ſeptuaginta quatuor Mart. Romæ, foro Sinfronij, Viâ Flaminiâ, milliario ab vrbe centum ſeptuaginta quatuor, Laurentij, Hippolyti. Et natalis S. Fortunati, Feliciani, Firmi, Candidi, Caſtulæ, Secundulæ, Cappę, Rogatianæ, Gaï, Gregorij, Felicitatis, Placidi. Item Victoris, Martialis, Corneliani, Saluſtij, Marici, Vrbici, Pubis, Secundiani, Ingenui, Muſtulæ, Victuriæ, Honoriæ, Foroſi, Pruni. Item Victoris, Natalis, Primi, Helarij, Rogotæ, Saturnini. *Aurelianis depoſitio S. Fuſculi Epiſcopi; & depoſitio Sichariæ Deo ſacratæ, quæ ibidem obijt.*

III. NON. FEBR. In Africa, Felicis, Celerinæ, Felicitatis. *Vappingo, depoſitio Eporteredi, Remedij. Lugduni depoſitio B. Lupicini Epiſcopi.*

PRIDIE NON. FEBR. Foro Simphronij, natalis Gemini, Gelari, Magni, Donatæ, Aquilini, Gemini. Item Donatæ, Themophili Epiſcopi cum filia ſua.

NON. FEBR. In Sicilia Catana ciuitate, paſſio ſanctæ Agathæ Virginis, Saturi, Reuocati, Gelaſij, Felicis, Saturnini. In Oriente Patras ciuitate, ordinatio Epiſcopatus S. Andreæ Epiſcopi & Martyris. *Viennæ, depoſitio Auiti Epiſcopi & Confeſſoris.*

VIII. IDVS FEBR. Romæ viâ Appiâ, in eiuſdem cœmeterio, paſſio Soteris Virginis & Martyris. In Achaïa Saturnini, Reuocatæ, Victuriæ. In Cæſarea Cappadociæ paſſio Sanctorum Dorotheæ, & Theophili Scholaſtici. Siracuſiæ paſſio ſanctæ Luciæ Virginis, Antoliani, Saturnini. *Elnone Monaſterio depoſitio S. Amandi Epiſcopi & Confeſſoris. Atrebatis depoſitio S. Vedaſti Epiſcopi & Confeſſoris.*

VII. IDVS FEBR. In Brittanijs, ciuitate Auguſta, natalis Auguli Epiſcopi, Anatolij, Andreæ, Ammonis, Statiani, Nepotiani, Saturnini, Lucij, Saturnæ.

VI. IDVS FEBR. In Armenia minore, Natalis Dionyſij, Æmiliani, Sebaſtiani. Romæ depoſitio ſancti Pauli Epiſcopi. Et alibi, Lucij.

V. IDVS FEBR. Sueuo apud Cyprum, natalis Alexandri, Ammonis, Alexandriæ Pauli, Dionyſij. Et ad membras *, Ammonis, Æmiliani, Laſſæ, Poëmi, Didymi. Item Ammonis, & aliorum triginta quatuor. Et depoſitio Thomæ. In Ægypto, Iuliani, Pleſei, Tyrſi, Roni, Germani, Orfaſi, Miliguti, Oridion, Agathon, Recumbi, Baſtami, Armatæ, Prothiorion, Coloti, Arati, Theoniæ, Yppulluſi, Saturnillæ, Epitimi, Serapion, Liaſtimoni, Papiæ, Pampiri, Dioſcori, Erudij, Potanion, Petecon, Decomini, Dioſcodi, Zotici, Cyriaci, Papiæ. *In Parrona Natalis Furſei Confeſſoris.*

* ad Mandras.

IV. IDVS. FEBR. In Alexandria, paſſio Apollonis, Prothei, Orionis, Plaui, & aliorum viginti. Romæ, Sotheris, Zotici, Iacincti, Hirenei, Dionyſij. In Campania, natalis Siluani Epiſcopi & Confeſſoris. Bethlehem, ſub Herode paſſio Sanctorum Andreæ, Apori. *Sanctonas ciuitate, depoſitio Vrbani Epiſcopi & Confeſſoris. Et Baldegundæ Abbatiſſæ.*

III. IDVS FEBR. In Apamia, Pœnis, Eofraxi, Armatæ. In Campania, Baſiliani, Amantij, Talici. In Africa, Victoris, Felicis, Ianuarij, Vitalis, Zotici, Cyriaci, Ammonis, Pelionici, Baſilij, Germani. Romæ, Sorotedis.

PRIDIE IDVS FEBR. In Africa, paſſio S. Domiani, Victuriæ. Carthagine, Poſinni, Modeſti, Reuocati. In Alexandria, Iuliani, Victoris, Felicis, Secundi, Seueriani,

Carpori, Germi, Quiriaci, Ammonis, Pamphili, Dorotheæ, Theophili. Item Iuliani. In Italia, Donati, Heraclij, Vincentij, Sufannæ, Orbanæ, Donatæ, Eulalię. Et depoſitio ſancti Simplicij Epiſcopi.

IDVS FEBR. In Nicomedia, paſſio S. Iuliani. In Alexandria, Tulliani, Ammonis. Et alibi, natalis Dicenti, Simplicij. *Lugduno, depoſitio B. Stephani Epiſcopi.*

XVI. KAL. MARTII. In Tuſcia Spoleto ciuitate, natalis Vitalis, Cyrion. Et Martiani, Vitalis. Interamne viâ Flaminiâ, ab vrbe Roma milliario ſexageſimo quarto, natalis S. Vincentij, Talici. In Lycia, natalis Sanctorum Mart. Germani, Iuliani. In Alexandria, natalis Sanctorum Baſiani, Tonioni, Moſeos, Baſion, Dionyſij, & Ermon, Arſaſij. Item Dionyſij Epiſcopi, Paulis, Leuiorij, Orſaſij, Plebij. Item Dionyſij Epiſcopi, Amandei. In Militana ciuitate natalis S. Polycti. In Heraclea, natalis SS. Felicis, Ianuarij. In Græcia, Palladij, Candidiani, Poliarcti, Fileronis. Paſſamonas, Ionas, Ammonius. Toppi, Proditi, Preconi, Moyſei, Lectoris, Ianuarij. In ciuitate Spoliſio, Vitalis, & militum nonaginta nouem. In Africa, natalis Valentini. Interamne, militum quinquaginta quatuor. Viâ Flaminiâ, Atheni, Martiani, Thioni, Celerini, Magni. In Sicilia Ægias, Iuliani, Paſſio S. Sereni Martyris. In Alexandria, Saturnini, Aduocati, Præconi, Maximi.

XV. KAL. MART. In Antiochia, natalis Ioſeppi Diaconi, Zenonis, Apollonis, Phœbi, Romani, Zoſimi, Baradi, Rufini, Zoſij Preſbyteri. Interamne, natalis ſanctę Agapæ Virginis, Saturnini, Caſtulæ, Magni, Lucij, Rogati, Ioannis, & aliorum duodecim Mart. Barcinone in Hiſpanijs, paſſio ſanctæ Loquumfas. In Syria Auenti, Sixti, Pompini, Gemelli, Victoris, Generoſi. Item Victoris, Gemelliani, Coturni, Caſtuli, Ianuarij, & depoſitio ſancti Siluinij.

XIV. KAL. MART. In Britannijs, natalis Sanctorum Fauſtini, Iouentiæ. Et alibi, Bleſi, Donaſi, Dionyſij, Hierapi, Martialis, Nundinarij, Proſiani, Pauli, Gallonis, Honorij, Iocundi, Memmij, Vincentij, Fructuoſi, Primi, Cicilij, Fabiani, Pauli, Maximi, Vrbani. In

Hiſpania, Barcinone, paſſio S. Cucufatis. In Africa, Maximi. Item Vincentij, Pauli, Honorati, Mari. Item Maximi. Item Pauli, Martialis, Terapi, Marci, Marpi. Nicomediæ, Paſſio S. Iulianæ Virginis, & Martyris. Item Marci, Martialis, Marcelli, Donati, Secundi, Marcopi, Lucellæ. Item Secundi, Maximæ, Sauli, Stupuris, Muſtaci, Præſentis, Secundæ, Iunellæ, & cum eis centum quinquaginta quatuor. Fiſſinari, Pamphili, Valentis Diaconi, Seleuci, Profidi, Theophili, Iuliani, cum Ægyptijs numero quinque millium. Et alibi, depoſitio Tetradij Epiſcopi.

XIII. KAL. MART. In Africa ciuitate Concordiæ, paſſio Sanctorum Donati, Secundiani, Pamphili. In Aquileia, Criſantiani, Eutici, Concordiæ, Iuſtæ, Romoli, Saloni, Siluani, & aliorum octoginta quatuor, quorum nomina Deus ſcit. Et alibi, Ianuarij, Feliciani. Item Ianuarij, Donati, Caſti. Item Donati, Victoris, Agapæ, Donatianæ, Guddinis, Datiui, Fortunionis, Marcellæ, Quintiani, Iuliæ. Item Ianuarij, Creſcenti, Cœleſtini, Saturni, Gyptonis, Felicitatis, Donatiani, Victuriæ, Emiliæ, Baſſulæ, Saturi, Ebaſi, Secundi, Felicis, Octauiani, Fauſtini, Albinæ, Rogatianæ, Victuris, Marci, Cetulæ, Rutulæ, Siluani, Guouili.

XII. KAL. MART. In Africa, natalis Sanctorum Rictuli, Syluani, Claſici, Secundini, Fructuli, Damaſi, Orion. Interrapis, Pauli, Maximi, Marcelli, Marcobi, Martialis, Gemini, Romuli, Siluinæ, Caſici, Fructuli, Ianuarij.

XI. KAL. MART. In Africa, natalis Sanctorum Publi, Iuliani, Marubi. Item Iuliani, Barechei, Marcelli, Tullij, Lampaſi, Majuli, Iulij, Saturnini.

X. KAL. MART. Apud Cyprum, natalis Potaminæ, Miſis, Didymi, Iocundi, Flori. Romæ viâ Appiâ, in cœmeterio Caleſti, depoſitio Gaï Epiſcopi. Et alibi, Victoris, Coronæ, & aliorum decem.

IX. KAL. MART. In Africa, natalis Sanctorum Viruli, Secundini, Seruuli, Scirici, Felicis, Iocundi, Saturnini, Fortunati, & aliorum ſeptemdecim. Et alibi, Victurini, Mappalici, Puſitini, Thedræ, Criſpini, Petri, Secundolæ, Dinaris, Ruſtici, Titi, Tumuli, Maſſedi, Iuſti, Secu-

Digitized by Google

ri. Item Maſſedi, Glorioſi, Alciatoris. Item Iuſti, Amatoris, Secundæ, Syrici, Iocundi.

VIII. KAL. MART. Natalis Cathedræ S. Petri Apoſtoli, qua ſedit apud Antiochiam. Nicomediæ, natalis Teclæ Virginis diſcipulæ S. Pauli Apoſtoli. In Africa, natalis Sanctorum Victurini, Nuceri, Palatini, Donati, Fortunæ, & aliorum viginti nouem Romæ viâ Tiburtina ad ſanctum Laurentium, natalis ſanctæ Concordiæ, Felicis. Syrmia, natalis ſancti Seneri, & aliorum ſeptuaginta duo. Item Nicomedi, Euteri, Palatini, Victorinæ, Paulæ, Emeritæ, Antoninæ, Datiuæ, Rogatiani, Antigæ, Vrbanæ, Maximæ, Marinæ, Matronæ, Peregrinæ filiæ, Secundolæ, Iuſtæ, Caſtulæ, Florenti, Victuriæ, Marcellini, Caſtæ, Donatulæ, Liboſæ, Flauiani Mart. Item Donatæ, Fortunati, Luciani, Amiæ, Reginæ, Cyriaci, Valerij, Gurgonij, Felicis.

VII. KAL. MART. In Pannonijs, Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libij, Rogatiani. In Aſia, Polycarpi Epiſcopi, cum alijs duodecim Martyribus, Smyrnæ SS. Erotis, Carpori, Geronti. In Africa, Griſgoni, Zenonis, Minandri, Cariniani, Arionis, Hippolyti, Diodori, Menelanti, Athroræ, Petri. Lambeſis, Lucianæ, Felicis, & aliorum triginta ſex. In Aſia, Coſconi, Synorus, Heruli, Zononis, Menalippi, Sinertis, Syrici cum ſocijs.

VI. KAL. MART. Natalis Matthiæ Apoſtoli. In Cæſarea Cappadociæ, natalis Sanctorum Eruli, Lucij, Sergij. Romæ Abſolonas in porto, Primitiuæ. Nicomediæ, Editij, Palphetri, Luciani, Felicis, Vrbani, Marthæ, Creſcentiæ, Florentinæ, Rogatulæ, Donatulæ. Item Donatulæ, Marcellinæ, Rommodi, Felicianæ, Ninæ, Caſti. Iafferis, Tulliani, Iuliani, Iuliæ, Innulæ, Gahis, Exuppi, Daciani, Flauiani, Ianuarij, Securis, Diddi, Sellaris, Subitanæ, Gemellianæ, Fortunatæ, Peregrinæ, Victurici, Maxentij, Gegoli, Iuliæ. Item Luciani, Honorati, Flauiani, Felicis, Saturi, Feliciſſimi, Victoris, Mariæ, Ianuariæ, Rufiniani, Fortunati, Aurili, Rutuli, Fauſtini. Nicomediæ, natalis Sanctorum Martyrum Oceani Preſbyteri, Petri, Palatini, Æuitij. In Ægypto, natalis Sanctorum Victorini, Victo-

ris, Niuitatæ, Nicophori, Claudiani, Dioſcori, Serapionis.

V. KAL. MART. In Africa, natalis Sanctorum Donati, Iuſti, Rutuli, Herenei, Piſionis, Aurili, Primoſi, Ingenuæ, & aliorum quadraginta quinque. Et alibi, Ingonæ, Fortunatæ, Puſſinni, Herenei. Item Iuſti, Creſcenti, Rogati, Aniani, Ianuariæ, Lucioſæ. Item Fortunati, Victorini. In Pamphilia, natalis Sanctorum Neſtoris, & Caſtæ, Claudiani.

IV. KAL. MART. Natalis Sanctorum Alexandri, Neſtoris, Theonis, Epion, Iuſti, Donatiui, Ampliati, Ingenui, Epion, Anti, Fortunati, & aliorum viginti ſeptem. In Alexandria, Felicis cum ſocijs ſuis.

III. KAL. MART. In Theſſalonica, natalis Sanctorum Alexandri, Antigoni, Abundantij, Titiani, Magari, Seueriani, Gaiani, Fortunionis, Ianuarij, Lucioſæ, Rutuli. In Africa, Dionyſij & aliorum triginta quatuor. In ciuitate Smyrna Aſiæ, natalis Sanctorum Seruiliani, Datiani, Leandri, Menelampi.

PRIDIE KAL. MART. Natalis Sanctorum Celeris, Pupilli, Gaï, Serapionis, Iuſti, Opoti, Claudiani, Theophili, Victurini, Saturnini, Euticiæ, Aſtutæ, Muſtilæ, Alexandri, Victuri, Secundillæ, Nicofori, Diodori, Papiæ, Macariæ, Felicis, Eunuculi, Ianuarij, Quintiani, Manſueti, Hermetis, Gittei, Donati, Seruiliæ, Veneriæ, Baſillæ. Item Seruiliæ. Item Veneriæ, Ianuariæ, Sterculæ, Siluiani, Manirræ, Rufinæ, Leandri.

MENSIS MARTIVS
HABET DIES XXXI.

KAL. MARTII. Natalis Sanctorum Leonis, Donati, Abundantij, Adruſti, Cariſij, Nicofori, Donatellę, & aliorum nouem Mart. In Africa, Adriani, Victuri, Secundillæ. Maſſiliæ, Hermetis, Ghittei, Felicis, Eunuculi, Ianuarij cum alijs triginta quatuor. *Andegauis ciuitate, depoſitio ſancti Albini Epiſcopi & Confeſſoris.*

Digitized by Google

VI. NON. MART. Iorgi, Herculi, Abſolomi, Ærenei, Lucij, Primitiui, Secundulæ, Ianuariæ, Lucioſæ.

V. NON. MART. Felicis, Luciolæ, Iuſti, Fortunati, Martiáni, Martiæ, Hierotis, Antigoni, Ianuarij, Tutellæ, Gabiani, Quiri, Iulij, Marini. Item Felicis, Floriani, Donati, Fortuni, Helbiani, Gagi, Paulę, Gaioſæ, Galloſæ, Gallę, Lupicini. In Africa, Gaiolæ, Felicis, depoſitio reliquorum. Emeritæ, Cellidoni. Item Felicis, Sauiniani, Galogori. Item Emeriti. Item Felicis. Item Ecæledoni. Item Iulij, Felicis, Marini, Donatę, Nicefori, Cariſſimi, Claudiani, Papiæ, Luciolæ, Sabinianæ, Iunolę, Aſterij, Phocij, Georgij, Iſici, Siſinnij, Caſti, Baſiliſoli, Artilai, Antonij, Cyrici, Eutici, Gorgonij, Aſclipij, Frunimij, Zoſimi.

IV. NON. MART. Natalis Martyrum nongentorum. Romæ depoſitio Iulij Epiſcopi, Roti, & aliorum triginta nouem; Archelai, Gaï, Palatini in mare merſi, Aſterij, Vranij, Siſinnij, Pauli, Philippi, Herifeli, Baſilij, Tepiceri, Gregorij, Eutici, Victuri, Victurini, Marij, Honorati, Aſclepidiani, Siſinnij, Felicis, Lucij, Gaioſæ, Fortunati. Item Lucij, Peluiani, Ruſtici, Floriani, Donati, Helariani. Item Fortunati. Item Gaij, Pylici, Antonij, Fronimi, Aſclipiadis, Fortunionis, Caſti, Fortij, & aliorum nouemdecim. Nicomediæ, paſſio Sanctorum Adriani cum alijs triginta tribus.

III. NON. MART. In Africa, Adriani, Euoli, Euſebij, Iuliani, Octaui. Antiochiæ, paſſio ſanctę Focæ, Ruſtici, Herebi, Maris, Palatini, & aliorum nouem Mart. Antiochi, Victoris, Adriani, Pamphili, Palati, Marti. In Antiochia, Saturnini, Iuſti Lucoſæ, Siriæ, Saturnini, Martini, Petri, Cariathonis. Item, Saturnini, Martij, & aliorum duodecim Martyrum, & Barbalabiæ.

PRIDIE NON. MART. Nicomediæ, Victoris, Victorini: & Neocepoli, Papię, Alexandri, Diodori, Claudiani, Cariſij. Item Claudiani, Mercurij, Perpetuæ, Felicitatis, Iocundi, Saturi. Nicomediæ, Saturni, Caſſij, Victoris cum alijs duobus Martyribus, Papiæ, Nicophori. In Italia, Filagoniæ, Victorini, Hianuli, Siluani, Permiæ.

Item Saturi, Saturnini, Reuocati, Planfagoni. Italiæ, Petronij, Diodori, Nigori, & Cariſti, Donati, Vibiani.

NON. MART. Africa, Satiri, Reuocati, Iocundi, Victurini, Saturnini, Seruani, Rogati, Croci. In Antiochia, Leuci, Satiri. Taxis, Neſtoris, Equini, Saturnini, Reuocati, Secundili, Italici, Iocundi. In Mauritania ciuitate Turbitanorum, Paſſio Sanctarum Perpetuæ, & Felicitatis. In Thracia, Dandæ, Leununculæ, Secundi, Neſtoris, Artaxi, Quinti. Item Secundi, Serri, Occatis. Item Dandæ. In Africa, Sauri, Siluani, Rogati Manili.

VIII. IDVS MART. In Nicomedia, Quintili Epiſcopi, Capitulini. In Africa, Rogatiani, Felicis. Item Rogati, Beromæ, Eremæ, Felicitatis, Vrbani, Cyrilli Epiſcopi, Siluani, & Manili, Datiani.

VII. IDVS MART. In Armenia, Sebaſtiani, & quadraginta militum, Iuliani, Y. ci, Cyrilli. In Africa, Felicis, Philippi, Cede, Cedis, Ce. dei, Mariani, Rogati, Conceſſi, Iuuenculæ.

VI. IDVS MART. In Nicea Gurgonij, Palatini, Firmi. In Antiochia Agapæ Virginis & Martyris, Mariani. Smyrnæ, Phionis. In Perſida numero martyrum quadraginta ſeptem. In Nicomedia Palatini, Ruſtici, Pionis. In Alexandria, Eraclij, Zoſimi, Alexandri, & Gaïpe.

V. IDVS MART. In Carthagine, Heraclij, Zoſimi, Alexandri, Philomi Epiſcopi, Candidi, Valerij, Quirilli, Petronij, Gaï, Martiani, Yſici, Piperionis, & aliorum quindecim, Rogati & Cendei. In Nicomedia, Eunuculi, Euchi, & Gurgoini, Firmi, Pauli, Fortunati.

IV. IDVS MART. In Nicomedia, Egdoni Preſbyteri, & aliorum ſeptem ſuffocatorum. In Alexandria, Zoni Epiſcopi, Alexandri Diaconi, Duni, & Neonas Diaconi, Iuli. In Africa, Ioannis, & aliorum quadraginta quatuor. Et in Albua, Saluiani, Andi, Minandi. Romæ, depoſitio ſancti Innocentij, Raſi Epiſcopi, Iuliani. In Nicomedia, Migdoni, Euticij. Item Migdoni, Maximi, Domnæ Virginis, Rugini, Marij, Petri Smaragdi. Et Vingeloſini, Hilarij, Mariæ, Ner.... Eugini, Dorothei, Gurgoni, Matuli. In Alexandria, Orion Diaconi, Gaï. In Aſia, Carpi, Petronij

tronij Epiſcopi, Firmi, Pauli, Agatoni, Macedoni, Patriciæ, Modeſti Preſbyteri, Domiciani Preſbyteri, Zoſimi Preſbyteri, Euſtaſij Preſbyteri, Baſiliſſæ vxoris eius, Felicionis, Iuuiniani, Helarij, Conceſſi. Smyrnæ, Pionis, Metrodi. *Romæ, depoſitio ſancti Gregorij Papæ beatæ memoriæ.*

III. IDVS MART. In Nicomedia, Macedonij Preſbyteri, Matriciæ vxoris illius, & Modeſtæ filiæ. Cionis Preſbyteri, Saturnini, Ianuarij, Saluij, Petronij, Modeſtini, Zoſimi, Euſtaſij Preſbyteri, & Baſiliſſæ vxoris eius, Eppepodi Diaconi cum alijs duobus. Geratilacus, Carpiſti, Galatæ, Domiſiani, Hyromei, Lucetellæ, Zeddonis Preſbyteri, & Patriciæ vxoris eius, Patyfrigiæ. Item Baſiliſſæ, Claonis, Mineruini. In Nicea ciuitate, Theuſete, & Horis filij eius, Theodori, Nympodoræ, Marci, Arabæ: Hi omnes igne concremati. Iulij Epiſcopi, Alexandri, Pionis, Mariæ cum alijs duobus, Dionis, Trabiæ, Quartæ, Miſethei, Nymphadobæ, Ariabæ, Pœnis, Partæ, Victuriæ, Victurini. In Theſſalonica ciuitate, Alexandri, Dionyſij. In Nicomedia, Eufraſiæ, Domitiani, Macedoni, Patriciæ, Lucij, Duonij. Item Domitiani, Scalleruæ, Pactæ, Pioni, Fronimi, Callidi. Item Dioni, Seuerini, Petroni pueri, Saluiani, Iuliani, Felicis, Hilarij, Conceſſi, Martialis.

PRIDIE IDVS MART. Eufroſij, Frunimi, Fortunionis. In Nicomedia, Feliciſſimi, Datiuæ, Frontini, Iocundi. In Africa, Dionæ, Alexandri, Petri, Mammeri, & Naboris Martyrum, Frontonis, Mariæ. In Theſſallonica, Eufraſij, Alexandri, Frunimi, Baſilij. In Antiochia Nicomediæ, Pionis.

IDVS MARTIAS, In Cappadocia S. Longini Martyris. In Cappadocia Lucij Epiſcopi & Martyris, Fauſtæ, Siluij, Ingenuæ, Ianuarij. Carthagine, Pauli, Solutoris, & ſancti Iacobi Apoſtoli fratris Domini, Alexandri, Theofili, Theodoli, Petronij, Manili. Heroſolyma, Iacobi Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ. *Obijt Ratoldus Abbas bonæ memoriæ.*

XVII. KAL. APRILIS. In Aquileia, Hylarij, Taſiani, Datiani, Iuliani Martyris. In Nicomedia, Caſtorij, Dionyſij, Nonni, Sereni, Quiriaci, Miliſæ, Eugeniæ, Iu-

liani, Aſclippiodi, Pionis. In Græcia, Cyriacæ, Pampini, Caſſionis. *Natale ſanctæ Gertrudis.*

XVI. KAL. APRIL. In Nicomedia, Donyſi, Ianuarij, Nonnæ, Cyriacæ, Victorinæ, Mariæ, Baſil ... In Aquileia, Largi, Hilarij, Titiani, Caton, Datiui, Iocundi. Romæ, Alexandri Epiſcopi, Teodoli Diaconi. *Depoſitio Patricij Epiſcopi & Confeſſoris.*

XV. KAL. APRIL. In Alexandria, Collegij Diaconi, Colloti Diaconi, Pampori, Minepti, Rogatiani, Quarti, Saturi, Quintaſi, Marini, Iemſoli, Marti, Rogati, Samphoroni, Aurili, Capelledi, Dionyſi, Ianuarij, Victoris, Vogonupti, Samphori cum alijs nouem Martyribus, Mariæ cum ſocijs ſuis. In Nicomedia, Aprilis, Seruuli. In Campania, Quinti, Rogati, Ingenuæ, Quartillæ, Rogatæ, Luciani, Aurili, Saturnini, Victoris, & Mauri. In Mauritania, Currenti, Timothei, & Saldæ, Feliciani, Iocundi.

XIV. KAL. APRIL. In Cæſarea Cappadociæ, Theodoli Preſbyteri. In Africa, Lucelli, Baſſi, Fiſciani, Pomeni, Ioſeri, Apolloni, Ammoni, Saturnini, Baſiliæ, & aliorum nouem, Theodori Epiſcopi, Gagi, Gadulini, & depoſitio ſancti Leonti Epiſcopi, Sorenti, Quinti, Quintili, Quartillæ, Marci cum alijs nouem, Florenti, & Vonocte.

XIII. KAL. APRIL. In Antiochia, ſancti Ioſephi, Lucæ. In Syria, Pauli, Cyrilli, Eugenij, Serapionis, Tigrini, Claudij, Exuperi, Victurini, Victurici, Domni.

XII. KAL. APRIL. In Alexandria, Serapionis Monachi, Ioſephi, Volotiani, Philocali, Cotiani, Honis, Nonni, Lucij, Ammonij, Philocarpi, Amatoris. *Et depoſitio Beati Benedicti Abbatis.*

XI. KAL. APRIL. In Narbona ciuitate, natale ſancti Pauli Confeſſoris. In Africa, Saturnini, & aliorum nouem. In Sabaſtia, Deeroni, Orionis, Ammonij.

X. KAL. APRIL. In Africa. natale S. Fidelis. In Antiochia, Theodori Preſbyteri. In Prouincia Carmillæ, Pauli, Cæſariæ, Iuliani, Iuli. In ciuitate Cæſaria, Agatij, Alexandri. Item Fidelis, Tyomili, Dionyſij. Item Dionyſij, Ruſtici.

IX. KAL. APRIL. In Syria, Seleuci. In Africa,

Digitized by Google

Agapiti, Molai, Romuli, Phyſon, Alexandri, Diophy. In Africa, Rogati, Catulæ, Vti, Victurini, Saturnini. Item Saturnini, Salitoris, Aprilis, Ioſeph.

VIII. KAL. APRIL. Hieruſolima, Dominus noſter IESVS CHRISTVS Crucifixus eſt. Et Annunciatio Sanctæ MARIÆ per Angelum. Et paſſio S Iacobi Apoſtoli, qui & frater Domini, ſicut in Actibus Apoſtolorum continetur. In Nicomedia, natale, Dulæ, Victurini, Alexandri, Eufraſi, Caſtulæ, Nicoſtrati, Lucellæ, & quadringentorum Martyrum, ſanctæ Theodolæ, & depoſitio Iuuini Burgundionis.

VII. KAL. APRIL. Romæ, in cimiterio eiuſdem viâ Lauicanâ, Natale ſanctæ Caſtulæ, Syrmiæ. In Syrmia, Munati Preſbyteri, Maximæ vxoris eius, Iocundi. In Sabaſtia ciuitate, Petri Epiſcopi, Paulini. In Tracia, Sarmatiniæ. In Heraclea, Martiani Epiſcopi. In Celer... Natale ſancti Caſſiani Epiſcopi. In Antiochia, Timothei, Diogenis, Madiariæ, Maximæ, Theodori Epiſcopi, Hirini Diaconi, Syrapionis, Ammoni Lectoris, Iuliani. In Africa, Pictoris, Saturnini, Solutoris, & aliorum quatuordecim.

VI. KAL. APRIL. Hieruſolima, Reſurrectio Domini noſtri IESV CHRISTI. In Africa, Romuli, Acuti, Marobi, Pinnari, Succeſſi, Miſiæ, Matutinæ, Donati, Saturnini.

V. KAL. APRIL. In Cæſaria, Rogati, Alexandri, Dorothei, Audactæ, Modeſti. In Tarſo Ciliciæ, Caſtorij, Menelampi. *Cauillonno, depoſitio Gundthramni Regis.*

IV. KAL. APRIL. In Nicomedia, Paſtoris, Victorini, Saturnini, Iulianæ, & aliorum quatuor Martyrum. In Antiochia, Theodori Preſbyteri, Poentalis, Iuliani, Achaci.

XVII. KAL. AVG. In ciuitate Oſtia, natalis S. Hilarini. Mediolano, natalis ſancti Macharij. In Antiochia, natalis Sanctorum Theodoſæ, Euſtaſi, Dionyſi, Theodoti, Maximi. In Cæſaria, natalis ſanctorum Pauli, & S. Mammetis, Floridæ. Et alibi, natalis Sanctorum Valentini, Theoni, Diocletis.

XVI. KAL. AVG. In Africa, natalis Sanctorum Aquilini, Speratæ, Chindini, Bituri, Azardi, Menelampi, Zoſimi. Mediolano, natalis ſancti Marcelli, Iuſtini, Nonni. Carthagine, natalis Sanctorum Generoſæ, Ianuariæ, & Scillitanorum. Et alibi, natalis ſanctæ Mammæ. In Aſia,

Digitized by Google

Nazarij, Veturij, Ianuarij, Secundæ, Donatæ, Beſſiæ, Maximi, Pauli, Aquilini, Felicitatis, Cutatæ, Titianæ, Beſſæ, Syrianæ, Entati, Iuſtini. *Autiſiodero, depoſitio Beati Theodoſij Epiſcopi.*

XV. KAL. AVG. Romæ, viâ Tiburtinâ, milliario nono, natalis S. Symphoroſæ matris ſeptem germanorum, quæ cum ipſis eſt paſſa; quorum nomina hæc ſunt, Petrus, Marcellianus, Ianuarius, Dionyſius, Simphronius, Clemens, Germanus: Hirenei, Magni. In Doroſtoro, natalis Sanctorum Emiliani, Baſſi, Maximi, Pauli, Secundæ, Donatæ, Marini, Iuſti. In Africa, natalis Sanctorum Aquilini, Sperati, Ciuini, Felicis, Creſcentiani, Lactati, Nazarij, Vetuſæ, Generoſæ. Item, Ianuarij, Titiani, Heſſæ, & Faluei Epiſcopi, Iocundi.

XIV. KAL. AVG. In Alexandria, natalis ſanctæ Siſinnæ. In Antiochia, Sanctorum Macharij, Lampadij, Luciani, Philippi, Petri, Torquati, Tinnini, Ioci. Conſtantinopoli, natalis ſanctæ Dariæ. In Hiſpanijs, natalis ſanctæ Iuſtæ. Lugduno Galliæ, natalis ſancti Ruſtici Preſbyteri & Confeſſoris.

XIII. KAL. AVG. In Africa, natalis Sanctorum Sabini, Luciani, Petri, Amabilis, Nonnæ, Sauoi, Agrippiani, Medatuli, Reſpectati cum alijs viginti tribus. In Thebaïda, natalis Sancti Victoris, Siluani. In Damaſco, natalis Sanctorum Sabini, ... Maximi, Iuliani, Magrobij, Caſſi, Pauli cum alijs decem. In Corintho, natalis Sanctorum Cyriaci, Donati, Tertij, Appiæ, Felicis, Neratiæ, Fructi, Celſi, Theodoli, Calori, Parthemi, Spectati, Victoris, Maximi, Paſtori, Neſtitæ, Pauli, Romani, Valeriani, Emili, Caſſi, Magni. Romæ, Paſſeriæ, Macrinæ, Neſtitæ, Saturi, Amirini, Emili. Et alibi, Secundi. *Corbeiâ Monaſterio, dedicatio Baſ[illegible]e Beati Stephani Protomartyris.*

XII. KAL. A[illegible] In Africa. Sanctorum Victoris, Stercorij, Emiliani, [illegible]i, Suphi, Montani. In ciuitate Ceſena, natalis Sanctorum Adriani, Heli, Victoris, Patrocli, Cæſarianæ, Adrianitis, Dimeli, Felicis, Auribi, Typogratis, Fauſti, Theodoti, Iuliani. In Galliâ Maſſilia ciuitate, natalis Sanctorum Victoris, Alexandri, Deoteri, Fe-

liciani, & Longini. Et natalis ſanctæ Praxedis Virginis.

XI. KAL. AVG. Natalis Sanctorum Cyrilli, Andreæ, Tebelli, Auri, ... Syluani, Donati. Et in Ancyra Galatiæ, natalis ſancti Platonis, & Militanorum Andreæ, Eliani, Aioboſi. *Depoſitio Vvandregiſili Abbatis & Confeſſoris.*

X. KAL. AVG. Romæ, viâ Tiburtinâ, miliario nonodecimo, natalis ſancti Vincentij Martyris. Rauenna, natalis ſancti Apollinaris. In Laodicia Phrygiæ, natalis Sanctorum Miniſei, Tifici. Viâ Acculâ, natalis ſanctæ Priuatæ, Alexandrini.

IX. KAL. AVG. In Amiternina ciuitate miliario octogeſſimo tertio ab vrbe Roma, viâ Salariâ, natalis ſancti Victorini Martyris. In Armenia ciuitate, natalis Sanctorum Sabbatiæ, Theozoni, Victoris, Militaris, Emeritæ cum fratribus duobus, Statiani, Capitonis, Siluani, Stercati, Athenoginæ, Caritonis. In Tiro ciuitate, natalis ſanctæ Chriſtinæ Virginis.

VIII. KAL. AVG. Natalis S. Iacobi Apoſtoli. In portu vrbis Romæ, natalis S. Aconti, Nonni, Iacobi, Agathoni, Donatiui, Suauij. Et alibi, natalis Stercorij, Clementis, Iuliani, Cariathonis, Emeriti, Stercei, Suticiani. In Sicilia ciuitate Samon, Chriſtofori Martyris. In Hiſpania Barcillona ciuitate, paſſio ſancti Cucufatis Martyris.

VII. KAL. AVG. In Laodoëcia Frigiæ, natalis Sanctorum Iouiani, Iuliani, Emili, Felicis, Martiani, Maximæ, Saturninæ, Glorioſæ, Emili. Et natalis Sanctorum Mutianæ, Laudaiæ.

VI. KAL. AVG In Nola ciuitate, natalis ſancti Felicis de ordinatione Epiſcopatus. In Nicomedia, natalis Sanctorum Iuliæ, Iocundæ, Ianuariæ. In Sicilia, natalis ſancti Simonis. *In Autiſiodero ciuitate, depoſitio ſancti Etherij Epiſcopi, & Confeſſoris.*

V. KAL. AVG. In Laodecia ciuitate Frigiæ natalis Sanctorum Theophili, Auxentij, Prudenrij, Philippi, Alexandri, Zotici, Biſſiæ, Secundæ, Macharij. Et alibi, natale ſanctorum Septimiæ, Auguſtæ Virginis, Celſæ, Nazarij. In Nicomedia, natalis Sanctorum Iuliæ, Secundæ, Ianuariæ. Et natalis Pantaleonis, & Sanſonis Epiſcopi, Siluani. Me-

Digitized by Google

diolano, natalis Sanctorum Geruaſij, Protaſij, Nazarij & Celſi pueri. *Corbeiâ Monaſterio, dedicatio Baſilicæ ſancti Petri Apoſtoli.*

IV. KAL. AVG. Romæ, viâ Portuenſi, natalis Sanctorum Abſeodi, Rufi, Abdi, Pontiani, Niceti. Viâ Portuenſi inibi eiuſdem miliario ſeptimo, natalis Sanctorum Simplicij, Fauſtini, Beatricis, Magni, Donatæ. In Africa natalis Felicis, Niticæ, Poſtinianiæ, Philippi. Et alibi, natalis Sanctorum Anaſtaſiæ, Philippi, Saturnini, Caleſti, Patruinæ, Pelagiæ, Iocundini. *Aurelianis ciuitate, depoſitio Beati Proſperi Epiſcopi, Trecas ciuitate depoſitio ſancti Lupi Epiſcopi & Confeſſoris.*

III. KAL. AVG. In cimiterio Pontiani ad vrſum pilatum, natalis Sanctorum Abdon & Sennis. In Africa, natalis Sanctorum Maximæ, Secundæ, Donatellæ, Rufi, Priſci, Paternicæ, Septimiæ, Optionis, Amoni, Iuſti, Iuliæ, Poatamiæ, Abdis, Acenei. Item, Maximæ, Hoſpis, Donatulæ, Siluani, Magnili. *Autiſiodero ciuitate, depoſitio Beati Vrſi Epiſcopi.*

PRIDIE KAL. AVG. In Africa ciuitate Cinnada, natalis Sanctorum Democriti, Secundi, Dionyſij, Tyrſi. *Autiſiodero, ſancti Germani Epiſcopi & Confeſſoris; Aunachori Epiſcopi, natalitium, ordinatio Epiſcopi: Auguſtiduno, dedicatio Eccleſiæ ſenioris: & tranſlatio multorum Sanctorum Martyrum.*

MENSIS AVGVSTVS
HABET DIES XXXI.

KAL. AVG. LITANIA INDICENDA. In Antiochia, paſſio Sanctorum Machabæorum ſeptem fratrum cum matre ſua, qui paſſi ſunt ſub Antiocho Rege. Romæ dedicatio primæ Eccleſiæ, & à Beato Petro Apoſtolo conſtructæ, & conſecratæ. In Arabia ciuitate Philadelphia Synodus Martyrum celebratur: Et natalis Sanctorum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Minandri

vnâ die coronatorum. Romæ, miliario trigesimo ab vrbe, natalis Sanctorum Secundinis, Donatulæ, Secundulæ, Maximæ, Iustæ, Menandri, ... funi, Siluani, Donati. In Italia Vercellis ciuitate, depositio sancti Eusebij Episcopi, & Confessoris. In Hispanijs, Gerunda ciuitate, natalis sancti Felicis Martyris. In Gallia ciuitate Bituricas, Beati Arceladi Episcopi. In territorio Parisiacensi, in ipso loco qui dicitur Lupera, passio sancti Iustini Martyris.

IV. NON. AVG. Romæ in cimiterio Calisti, sancti Stephani Martyris. In Antiochia, natalis reliquiarum Stephani Protomartyris & Diaconi; qui Hierosolymis est translatus ex reuelatione Luciani Presbyteri. In Cæsaria Mauritaniæ, Theodotæ & septem filiorum eius. Et in Italia ciuitate Romana, natalis Sanctorum Felicis & sancti Niceti, Nicomedia, natalis Martyrum numero septem cum sociis eorum.

III. NON. AVG. Sancti Metrophili Episcopi, & Hermeli Martyris. In Constantinopoli, natalis S. Achillei, Iusti. Et natalis sanctæ, ... ddenis Martyris. Romæ, natalis Sanctorum Drogenis & Stephani, Hierosolymis, inuentio corporis beatissimi Stephani primi Martyris, & Sanctorum Gamaliëlis, Nicodemi, & Abibonis. *In Augustiduno, depositio Eufronij Episcopi & Confessoris.*

PRIDIE NON. AVGVSTI. Romæ viâ Tiburtinâ, in cimiterio, natalis sanctorum Martyrum Crescentianæ, & Iustæ. Et natalis sancti Secincti. In Nicomedia, natalis Sanctorum Segæ, & Bartholomæi Martyris. *Lugduno Galliæ, aduentus corporis sancti Iusti de eremo.*

NONIS AVG. Natalis Sanctorum Herenti, Heracli, Dassi, siue Bassi. Axiopoli, Hereni, Herocli, Dassi. Romæ, dedicatio Ecclesiæ sanctæ MARIÆ. In ciuitate Augusta, passio sanctæ Afræ. Augustiduno, natalis S. Cassiani Episcopi. Catalaunis ciuitate, natalis sancti Memmi Episcopi, & Confessoris. Et alibi, natalis Sanctorum Floriani, & Filistinæ Martyrum.

VIII. IDVS AVG. Romæ, in cimiterio Calesti, viâ Appiâ, natalis Sixti Episcopi, & Felicissimi, Agapiti, Donatiani, Fausti, Prætextati, Laurentij, Hippolyti, & militum

litum centum ſexaginta duorum. Et paſſio ſanctæ Afræ.

VII. IDVS AVG. In Antiochia, natalis Sanctorum Symphronij, Veneriæ, & aliorum ſeptem germanorum. In Tuſcia ciuitate Arecia, natalis ſancti Donati Epiſcopi & Confeſſoris. Mediolano, natalis S. Fauſtini Martyris. Romæ, paſſio Martyrum numero viginti quinque. In Prouincia Retia, ciuitate Auguſta, natalis Sanctorum Afri, & Veneriæ.

VI. IDVS AVG. Romæ, natalis Sanctorum Secundini, Seueriani, Carpofori, Victorini, & Albini. Et in via Salaria oſtenſi, Creſcentiani, Largi, Memmiæ, Iulianæ, Cyriacitis, & Smaragdi, Secundini, Albini, Victuriani, Fauſtini, Donatæ, Felicis, Siluani. In Nicomedia, natalis Sanctorum Nazari, Iulianæ, Agapæ Virginum, Euticiani, Corintonis, Diomedis, Metrodoræ Virginis, Iuſtæ. Philadelphiæ, natalis S. Leonidis, Agapiti.

V. IDVS AVG. In Oriente, natalis Sanctorum Firmi, Ruſtici, Primi, Creſcentiani, Largi, Tyberiani, Amij, Tiberiani, Theodoti, Nemediani, Laudaci, Iuliani, Polycarpi, Primi, Xyſti, Agatopi, & aliorum numero vndecim, Feliciſſimi, Carpophori, Zemaragdi cum alijs decem & nouem. In Alexandria, natalis Sanctorum Antonini, & Onion, Tiburtini, Valeriani, Dionyſij, Felicis, Euticiani, Gagi, Melciadis, Stephani, Vrbani, Luci, Mamon, Sactiri, Nimidi, Ladici, Iuliani, Polycarpi, Magni, Siluani. Romæ in cimiterio, depoſitio Dionyſij Epiſcopi. Et in Colonia, natalis Sanctorum Viriani, Marcellini, Secundini, Xyſti. Vrbe Lemouicas, S. Martini Briuatenſis.

IV. IDVS AVG. Romæ, viâ Tiburtinâ, natalis ſancti Laurentij Archidiaconi, & Martyris. In via Appia, Feliciſſimi. Et alibi Creſcentiani, Nerei, Iacinti, Ianuarij, Exuperati, Cyrilli, Quinti, Germani, Gemini, Quiriaci, Eugenij. Item Eugenij, Paſtori, Lucellæ, Pontiani, Criſpinæ, Innocentij, Terentiæ, Eleucippi, Sidori, Agapæ, Criſti, Euticiæ, Cyriacæ Item, Eleucippi cum alijs ſex Innocentibus, qui vna die coronati ſunt. Seui, Creſcentiæ cum alijs triginta quorum nomina habentur in libro vitę. In Epheſo, natalis ſeptem dormientium.

III. IDVS AVG. Natalis S. Tiburtij, & natalis ſanctæ Suſannæ. In Nicopoli, paſſio multorum Martyrum, quorum nomina Deus ſcit: & paſſio S. Caſſiani. Ebrocas, natalis S. Taurini Epiſcopi & Confeſſoris. *Cameraco ciuitate in Gallia, natalis S. Gaugerici Epiſcopi & Confeſſoris.*

II. IDVS AVG. In Sicilia ciuitate Cathenas, natalis Sanctorum Eupli, Vereciæ, Veneriæ. Et in Syria, vico Gamarato, ſanctorum Macharij, Iuliani. Romæ, natalis Sanctorum Chryſanthi & Dariæ, & qui cum eis paſſi ſunt; Claudij, Elariæ, Iaſonis, Mauri, & militum octoginta ſex. Et in Iſtria, natalis S. Iuliani cum ſocijs ſuis.

IDVS AVG. Romæ, natalis Sanctorum Hippolyti Martyris, Pontiani Epiſcopi, Cornelij, Caſſiani, Caleſti cum ſocijs eorum. Sinnada Phrygiæ, natalis S. Antonij Epiſcopi. Lugduno Galliæ, natalis ſancti Anoci Epiſcopi. *Pictauis, depoſitio ſanctæ Radegundæ Reginæ. Ebrocas ciuitate, natalis ſancti Landulphi Epiſcopi & Confeſſoris.*

XIX. KAL. SEPT. Gendara Syriæ, natalis S. Fortunati Martyris. In Africa, natalis S. Demetrij. Et alibi Eutici, Pauli, Heracli, Poſſeſſori, Parmi, Diſſei, Hermæ, Proſpolmi, Proſalami, Bermiæ, Heracli cum tribus. In Aquileia, natalis Sanctorum Felicis, Fortunatæ, Vincentiæ, Vindiraſiri, natalis Sanctorum Euſebij, Tituli, Conditoris, Proſpolami, Caſti, Candidi.

XVIII. KAL. SEPT. In Nicomedia, natalis Sanctorum Stratonis, Philippi, & Euticiani; & Aſſumptio ſanctæ MARIÆ matris Domini noſtri.

XVII. KAL. SEPT. In Alexandria, natalis Sanctorum Orionis, Emeli, Anati, Iuſtini, Luci. In Perſida, natalis S. Tyrſi cum ſocijs ſuis.

XVI. KAL. SEPT. In Cæſaria Cappadociæ, natalis S. Mammetis Monachi. In Nicomedia Bithiniæ, natalis ſanctæ Euphemiæ Virginis, Macharij. In Alexandria, natalis Sancti Orionis. Item Mammetis, Emeldiſei, Mammitæ cum ſocijs ſuis, Iuliani.

XV. KAL. SEPT. Prænestina ciuitate, miliario ab vrbe trigeſimo tertio, natalis ſancti Agapiti. Et in Ponto Amecia ciuitate, natalis Sanctorum Pontimi, Philantiæ,

Digitized by Google

Helianæ Virginis, Martianæ Virginis, & Lancianæ. In Africa, natalis Sanctorum Maſſæ, Candidæ, Diſſei, Amaciæ, Potomi, Martyrij, Agapiti, Eziaci cum ſocijs ſuis.

XIV. KAL. SEPT. Ponto in Amacia ciuitate, natalis Sanctorum Filionis, Rufini, Leonti, Theodoli, Cyrilli, Zelaſi, Timothei, Gaddæ, Romoli, Siluij. In Alexandria, natalis S. Orionis cum ſocijs. Et in Hieruſolima, apparitio ſanctæ Crucis. In Pitoriuo vico Vellauno, depoſitio ſancti Mariani Confeſſoris Et natalis ſancti Magni Martyris.

XIII. KAL. SEPT. In Lucania, natalis Sanctorum Valentiani, Leontij. In Alexandria, natalis ſancti Dioſcori. In Sinnada ciuitate, Sanctorum Piſtiarci, Diomadis, Agatiui, Zeli, Pamphili, Coloni Confeſſoris. In Turonico, Cainone caſtro, depoſitio ſancti Maximi Confeſſoris. *Et depoſitio ſancti Filiberti.*

XII. KAL. SEPT. In Hiſpanijs, natalis Sanctorum Iulij, & Iulianij, Vincentij, Auguri, Eulodi. In portu Romano, natalis ſancti Hippoliti Martyris. In Sardinia, natalis ſancti Luxurij, Traiani, Quadrati Epiſcopi, Primi. In Alexandria, natalis Sanctorum Piſti, Seui. Item, Quadrati. Sindofagiæ, natalis Sanctorum Arthoſij, Diomedis, Zotici, Azatangeli, Moyſei. In Lucana Prouincia, natalis Sanctorum Valentini, Leontij. In Caballitano, vico Mimmati, paſſio ſancti Priuati Martyris.

XI. KAL. SEPT. Romæ, viâ Oſtenſe, in cimiterio eiuſdem, natalis ſancti Timothei diſcipuli Pauli Apoſtoli. Et in portu Romano, Peregrinorum Martyrum, & natalis Sanctorum Martialis, Aureli, Epicteti, Saturnini, Aprilis, & Felicis cum ſocijs eorum, Iuſti & Iulij. In Ponto, Neocæſaria, natalis Sanctorum Nectaui, Seui. In Antiochia, natalis ſancti Marini. Auguſtiduno ciuitate, natalis Sanctorum Minerui, & Emiliani cum filijs octo, & ſancti Symphoriani Martyris.

X. KAL. SEPT. In Aquileia, natalis Sanctorum Fortunati, Hermogenis, Xyſti, Martialis, Hermogerati, Iuſti, Gerati. Romæ, natalis Sanctorum Abundantij, Innocentij, Mirerendini, Magnili. In portu Vrbis Romæ, natalis ſancti Hippoliti, qui dicitur Nnunnus, cum ſocijs ſuis.

In Oſtia, natalis Sanctorum Quiriaci, Archelai. In Prouincia Ciliciæ, natalis Sanctorum Agiæ, Claudij, Aſterij, Neonis, Domnini cum ſocijs eorum. Lugduno Galliæ, natalis Sanctorum Mineruij, Eleazari cum filijs octo Martyribus. Remis ciuitate, natalis Sanctorum Timothei, & Apollinaris. Auguſtiduno, depoſitio Flauiani Epiſcopi. Aruernis, natalis ſancti Sidonij cum ſocijs ſuis. *Auguſtiduno, depoſitio Flauiani Epiſcopi.*

IX. KAL. SEPT. In Antiochia, natalis Sanctorum Zenobij, Capitolini, Emeritæ, Italicæ, Iuuiani, Iulij. In India, natalis ſancti Bartholomæi Apoſtoli. Romæ, natalis ſancti Geneſij Martyris. Neuerno ciuitate, depoſitio Patricij Abbatis. *In Rothomago ciuitate, depoſitio ſancti Audoëni Epiſcopi & Confeſſoris. In territorio eiuſdem, vico Luperciaco, depoſitio ſancti Gyldardi Presbyteri & Confeſſoris. Et in territorio ipſius ciuitatis, depoſitio ſancti Eptati Presbyteri & Confeſſoris.*

VIII. KAL. SEPT. In Prouincia Syriæ, natalis ſancti Iuliani. In Capua ciuitate Campaniæ, natalis Sanctorum Rufini, Euthici cum ſocijs eorum. Arelato, natalis Sanctorum Geneſij Martyris, Iulij, Hermetis, Iouiani. In Hiſpania, natalis Sanctorum Martyrum Iuſti, & Paſtoris germanorum.

VII. KAL. SEPT. Ciuitate Salona, natalis ſancti Anaſtaſij Martyris, . . . ſia ciuitate Sanctorum Poeclani, Mercurij Martyrum. Romæ in cimiterio, natalis Sanctorum Baſillæ, Maximiliani, Quinti Martyrum. Viâ Prænestinâ, militum viginti quinque. Arelato ciuitate, natalis Sanctorum Seui, Victoris, Primi. Item Victoris. *Autiſiodero ciuitate, depoſitio ſancti Eleutheri Epiſcopi cum ſocijs ſuis Confeſſoribus.*

VI. KAL. SEPT. In Antiochia, natalis Sanctorum Sabaſti, Alexandri Abbatum, Emeritæ. In Lucania, Polentia ciuitate, natalis Sanctorum Felicis, Aronti, Sabiniani, Honorati. Et in Capua, natalis Sanctorum Rufi, Magni. Romæ, natalis Sanctorum Hermetis, & Baſillæ, Iulij. Conſtantinopoli, natalis Sanctorum Olij, & Stephani Mart. In Tomis ciuitate, natalis Sanctorum, Marcellini,

Digitized by Google

Tribuni, & Mannis vxoris eius, cum filijs eius Ioanne, & Serapione : Elerici, & Petri militis. Et alibi quadraginta Martyrum, qui de Græco in Latinum tranſlati ſunt. *Arelato ciuitate, depoſitio ſancti Cæſarij Epiſcopi & Confeſſoris. Auguſtiduno, natalis ſancti Syagrij Epiſcopi.*

V. KAL. SEPT. Romæ, via Salaria vetere, in cimiterio, natalis Sanctorum Hermetis, Baſillei, Heliæ, Stephani Diaconi, Pollionis. In Alexandria, natalis Sanctorum Polieni, Serapionis, Iuſtillæ. Conſtantinopoli, depoſitio ſancti Alexandri Epiſcopi, & Viuiani Epiſcopi. In territorio Aruernis Vrbis, vico Briuate, natalis ſancti Iuliani Martyris. Santonas ciuitate, depoſitio ſancti Viuiani Epiſcopi & Confeſſoris. *In Africa ciuitate Hippone Regio, depoſitio ſancti Auguſtini & Confeſſoris.*

IV. KAL. SEPT. Pauſatio ſancti Heliſei Prophetæ, diſcipuli ſancti Heliæ Prophetæ. In Syrmia, natalis ſanctæ Baſiliſſæ Virginis. In Antiochia Syriæ, natalis Sanctorum Niceæ, Pauli. Romæ, via Oſtenſe, natalis Sanctorum Felicis, Candidæ Virginis, Foriciæ, Adauſiæ, Gemellinæ cum ſocijs eorum. Paſſio ſanctæ Sabinæ Martyris.

III. KAL. SEPT. Romæ, natalis ſanctæ Gaudentiæ Virginis cum reliquis tribus. In Prouincia Paleſtinæ, ciuitate Sabaſtia, paſſio ſancti Ioannis Baptiſtæ. Et alibi, natalis Sanctorum nongentorum Martyrum, qui eadem die paſſi ſunt.

PRIDIE KAL. SEPT. Treueris, depoſitio ſancti Paulini Epiſcopi & Confeſſoris : hic in exilio requieuit. Ancyra Galatiæ, natalis Sanctorum Gaiani, Luciani, Rufini, Vincentij, Siluani, Vitalicæ, Antiquiræ, Emelini, Florentini, Iuſtæ, Iuliæ, Antinei, Maximi. Item, Vitalicæ. Et depoſitio ſancti Elladij Epiſcopi, Syrgi, Florentini cum ſanctis ſocijs eorum. *Autiſiodero, depoſitio ſancti Optati Epiſcopi & Confeſſoris.*

MENSIS SEPTEMBER
HABET DIES XXX.

KAL. SEPTEMBRIS. LITANIA INDICENDA. In Capua Aquaria, natalis ſancti Priſci Martyris, Magnilis. In Tudertana Tuſciæ, natalis Sanctorum Terentiani Epiſcopi, Felicis, Donati, Siluani. In villa Her, Donati. In Apulia Syracuſa, natalis Sanctorum Euoti, Hermogenis, Caleſtæ, Iuliani. In Africa, ciuitate Toniza, natalis Sanctorum Tuſciæ, Dubitati, Valentij, Donatæ. In Cartagine, natalis Sanctorum Fortunati, Donati, Felicis: Et alibi, natalis Sanctorum Martiani Epiſcopi, Siſinni, Amauis. Cinomanis ciuitate, depoſitio ſancti Victoris Epiſcopi. Ambianis ciuitate, depoſitio ſancti Firmini Epiſcopi, & Confeſſoris. *Egidij Abbatis.*

IV. NON. SEPT. In Nicomedia natalis Sanctorum Zenonis, Gorgonij, Monolappi, Theodotæ cum filijs ſuis: & Coſconi. In partibus Apamiæ, natalis Sanctorum Antonij, & Antonini Mart. In Cartagine, natalis Sanctorum Dubitati, Tuſciæ, Valentini. In Sicilia, natalis Sanctorum Eupli, Ioſephi, Felicis, Secunduli, Iulij. In Alexandria, natalis ſancti Theodori Martyris. In Antiochia, natalis ſancti Timothei Martyris. Lugduno Galliæ, depoſitio ſancti Iuſti, & dedicatio Baſilicæ ipſius ſancti. *Stabulaus, ſancti Remacli Epiſcopi & Confeſſoris. Corbeiâ Monaſterio, dedicatio Baſilicæ ſancti Martini Pontificis.*

III. NON. SEPT. In Alexandria, natalis ſancti Ariſtonippi Epiſcopi. Et in regione Apamiæ, Prouinciâ Syriæ, natalis ſancti Antonij pueri, Areſti Epiſcopi. In Aquileia, ingreſſio reliquiarum ſanctorum Andreæ Apoſtoli, Lucæ, Ioannis Euangeliſtarum. Et alibi, natalis Sanctorum Euphemiæ, Syrici, Aritoni cum ſocijs eorum.

PRIDIE NON. SEPT. In Ancyra Galatiæ, natalis Sanctorum Rufini, Siluani, Marcelli, Gaiani, Helpidi, Antonini, Euſtici, Maximi, Euſebij. Item, Gaiani, Vita-

Digitized by Google

licæ, Gaiſon, Magni, Caſti, Saturnini, Donati, Eleuſi cum ſocijs eorum. Romæ, in cimiterio Maximi, viâ Salariâ, depoſitio Bonifacij Epiſcopi. Ad ſanctam Felicitatem, natalis Sanctorum Magni, Caſti, Saturnini, Firmini. In Gallia, ciuitate Cabillone, natalis ſancti Marcelli Martyris. Treueris, depoſitio ſancti Paulini Epiſcopi.

NON. SEPT. In portu Romano, natalis Sanctorum Taurini, Heroi, Heraliani, Ariſtoſi. Et paſſio Sanctorum Thothahelis, & ſororis eius nomine Bebeę In Capua Campaniæ, natalis Sanctorum Quinti, Arconti, Donati, Magni, Ianuarij. In Alexandria, natalis Sanctorum Memfidi, Sturninæ. Depoſitio Beati Ingenui cum ſocijs ſuis, quorum nomina Deus ſcit. In Ægypto, natalis Sanctorum Taurini, Nemoſati, Saturnini, Arapolloni. In Gallia, ciuitate Veſontione, natalis Sanctorum Ferreoli, & Ferrucionis cum ſocijs eorum.

VIII. IDVS SEPT. Romæ, viâ Salariâ, miliario ab vrbe, natalis ſancti Eleutherij Epiſcopi. In territorio Cappadociæ, ciuitate Readden, natalis ſancti Cottidi cum ſocijs ſuis.

VII. IDVS SEPT. Beneuento ciuitate, natalis Sanctorum Senoti, Ianuarij, Fiſti, Acuti, Deſiderij. Et paſſio ſancti Anaſtaſij cum ſocijs ſuis. Arelato ciuitate, depoſitio ſancti Auguſtalis Epiſcopi. Aurelianis ciuitate, depoſitio ſancti Euortij Epiſcopi & Confeſſoris. Auguſtiduno ciuitate, loco qui dicitur Aliſia, natalis ſanctæ Reginæ Martyris. *In territorio Pariſiorum, vico Nouiento, depoſitio Beati Clodoaldi Regis, poſteà Presbyteri & Confeſſoris.*

VI. IDVS SEPT. Natiuitas ſanctæ MARIÆ Matris Domini noſtri IESV CHRISTI ſecundum carnem. Et paſſio ſancti Adriani Martyris. In Alexandria, natalis Sanctorum Ammoini, Iuſti, Serapionis, Pij. Item Pij, Theophili, Neoteri, & aliorum viginti duorum, Nemeſi, Arioni, Ammon. Paſſio ſancti Petri, Sabini Demetrici cum alijs quadraginta; Didymi, Mitiſori, Paneti, Achilli, Iſidori, Serapionis, Migitæ, Oroſei, Siluani, Arepionis, & aliorum ſeptingentorum quatuor. Item Denetri, Seueri cum alijs vndecim. Item Seueri cum alijs quadraginta. In ea die col-

lectio multorum Matyrum corporum. In Antiochia, natalis Sanctorum Timothei, Fauſtiniani.

V. IDVS SEPT. Romæ, viâ Lauicanâ, inter duas lauros, natalis ſancti Gorgonij. Et in Sabinis, miliario ab vrbe, natalis Sanctorum Hiacynthi, Alexandri, Tiburtij, Iuuini, Siluani. In Cæſaria Cappadociæ, natalis Sanctorum Donati, Eleaſſi, Fortunati, Ammonij. In Parthis, natalis Sanctorum Marci, Libratis, Iulij.

IV. IDVS SEPT. In Cæſaria Cappadociæ, natalis Sanctorum Eupliæ, Alexandri, Ciroſici, Hiſici, Alapon, Siluani cum alijs quinque. In Alexandria, natalis Sanctorum Nemeſi, Ammonis, Orionis, Heroſi, & aliorum octingentorum ſex; Didymi, Mereſori, Panepſi, Achillei, Niceti. Item Ammonis, Oroſi, Siluani, Oropion, Nimi, Sini, & aliorum nouem, Panemodi, Niceti, Siluini. Romæ, depoſitio Beati Hilari Papæ. In Africa, natalis Sanctorum Martyrum Doletatuli, Tuſciæ, Magari, Valentini.

III. IDVS SEPT. Romæ, viâ Salariâ, veteri, in cimiterio Baſillæ, natalis Sanctorum Proti, & Iacincti, Didymi. In portu vrbis Romæ, natalis Sanctorum Ingenui, & Hippoliti Martyrum. In Alexandria, natalis Sanctorum Syri, & Serapionis. In Apulia, natalis Sanctorum Felicis, & Donati, Iulij. Lugduno Galliæ, depoſitio ſancti Patientis Epiſcopi.

PRIDIE IDVS SEPT. In Sicilia, ciuitate Cathenas, natalis Sanctorum Eupli, & Sarapionis Epiſcopi, Magni. Romæ, natalis Sanctorum Proti, Sanctini, Hippolyti. Nicomediæ, natalis Ammonis Lectoris. In Aſia, natalis ſancti Diofoli, Matronæ, Teclæ Virginis, Heracliæ. Et alibi, depoſitio Euſebij Epiſcopi. Lugduni Galliæ, depoſitio beati Sacerdotis Epiſcopi & Confeſſoris. Auguſtiduno, depoſitio Beati Euanti Epiſcopi & Confeſſoris.

IDVS SEPT. In Apulia, natalis Sanctorum Feliciſſimi, & Secundini, Iuſtini. Conſtantinopoli, depoſitio ſancti Ioannis Epiſcopi. In Alexandria, natalis ſancti Theodoli Epiſcopi. In Antiochia, natalis Sanctorum Timothei, Theodori. In Turonis ciuitate, depoſitio ſancti Lidorij Epiſcopi. Andegauis ciuitate, depoſitio Beati Maurilionis Epiſcopi.

Digitized by Google

Epiſcopi. *Auguſtiduno, depoſitio Beati Nectarij Epiſcopi.*

XVIII. KAL. OCT. Exaltatio ſanctæ Crucis. Romæ, viâ Appiâ, in cimiterio Caleſti, natalis Sanctorum Cornelij Epiſcopi, Saturnini. Et depoſitio ſancti Dionyſij Epiſcopi & Confeſſoris In Africa, ciuitate Carthagine, natalis ſancti Cypriani Epiſcopi, & Felicis, Honorij, Demetrij, Zeti. Et alibi, depoſitio Eparci Epiſcopi.

XVII. KAL. OCT. In Alexandria, natalis Sanctorum trium fratrum, Cyrini, Leontij, Serapionis; Croci. In Ancyra Galatiæ, natalis Sanctorum Seleuci, & Valerij. In Tomis ciuitate, natalis Sanctorum Stratorij, Valerij, Merobi, & Gordiani, & Nicomedis Martyris. In Nicomedia, natalis Sanctorum Arcij, Archeon. Et in Nuceria Campaniæ, natalis ſancti Conſtantij. In Anquira, depoſitio Pauli Epiſcopi. Et in territorio Cabillonenſi, caſtro Ternocio, natalis ſancti Valeriani Martyris. Lugduno Galliæ, depoſitio Albini Epiſcopi. *Natalis S. Aicadri Abbatis.*

XVI. KAL. OCT. Calcedone, natalis ſanctæ Euphemiæ Virginis. Romæ, natalis Sanctorum Victoris, Felicis, Alexandri, Papiæ, Magni. In via Nomentana ad Cap. in cimiterio Martæ, natalis ſancti Emerentiani. Et natalis Sanctorum Paſies, Felicis, Victoris, Sperati, Nauini, Chorinti, Secundæ, Donati, Generoſæ. Item Secundæ, Lupati. In Nuceria, Priſciani, Maximi. Romæ, Paſſio ſanctæ Cæciliæ Virginis, Saluti, Tyrſi.

XV. KAL. OCT. In Neueduno, natalis Sanctorum Valeriani, Magrini, Gurdiani. In Nuceria, natalis Sanctorum Conſtantij Sunctini. Chalcedone Bithyniæ, natalis Sanctorum Euphemiæ, Saleoſi. Suiportio, depoſitio ſancti Pauli Epiſcopi, Macrobi, Gaudiani, Iſici Mart. *In Gallia, vico qui dicitur Leodius, paſſio ſancti Landeberti Epiſcopi & Martyris.*

XIV. KAL. OCT. In Alexandria, natalis ſancti Trophimi. Et in Nicomedia, natalis Sanctorum Oceani, Xyſti, Medaci. In Mediolano, depoſitio ſancti Euſtorgij Epiſcopi, Satyri.

XIII. KAL. OCT. In Alexandria, natalis Sanctorum Demetrij, Palei, Nilipaci, Madihelij, Caſtoris, Saturini,

Ceti Episcopi, Casti, Iulij. In Neapoli, natalis Sanctorum Ianuarij & Aniceti. Et in Sinnada Phrygiæ, natalis sancti Trophi. Vienna ciuitate, natalis sancti Ferreoli ; & dedicatio Basilicæ ipsius,& translatio multorum corporum cum capite sancti Iuliani Martyris de Briuate sub altare posito. In ciuitate Treuiris, depositio Militi Episcopi. Et alibi, natalis Sanctorum Trogi Episcopi,& Pij Diaconi, Capilei, Nili, Paterni, Musci cum alijs centum quinquaginta. In territorio Biturino, vico Vellauno, natalis sancti Mariani. In Nuceria, Hermei Beati Episcopi: Felicis, Constantiæ, Priuati, Euphemiæ, Sygonæ. *In territorio Lingonis ciuitate, in Monasterio Segestro S. Sigonis * Presbyteri & Confessoris.*

* Sequani.

XII KAL. OCT. Sinnada Phrygiæ, natalis Sanctorum Dormidoni, Dorothei, Priuati, Felicis, Constantiæ. Item Felicis. In Nuceria, natalis Sanctorum Felicis,& Constantiæ, qui passi sunt sub Nerone.

XI. KAL. OCT. In Persida, ciuitate Tarrium, natalis sancti Matthæi Euangelistæ. Piralice ciuitate, natalis sancti Euangelistæ Lucæ. Mediolano, natalis sancti Victoris. *Corbeiâ Monasterio, dedicatio Basilicæ Domni Albini, & Marcellini Episcoporum.*

X. KAL. OCT. Romæ, viâ Salariâ vetere, in cimiterio eiusdem, natalis sanctæ Basillæ. Sidunis ciuitate in loco qui dicitur Agaunus, natalis Sanctorum Mauricij, Exuperij, Candidi, Victoris, Innocentij, Vitalis cum socijs sex millibus quingentis octoginta quinque.... *Autisiodero, aduentus & exceptio corporis sancti Germani Episcopi & Confessoris ab Italia.*

IX. KAL. OCT. In Seleucia, natalis sanctæ Teclæ Martyris. Et in Alexandria, natalis sancti Marci Euangelistæ. Romæ, depositio sancti Liberij Episcopi.

VIII. KAL. OCT. Machironta castello, Conceptio sancti Ioannis Baptistæ. Et alibi, natalis Sanctorum Iulij, Christophori, Laurentij, Martialis, Victoris, Gargili, Marci, Nobilis, Victoriæ, Secundolæ, Faustinæ, Valeriæ, Celerinæ, Donatulæ. In Augustiduno, ciuitate vico Sediloco, natalis Sanctorum Andocij, Tyrsi, Aprilis, & Felicis Martyrum: Lucrosæ. Lugduno, depositio sancti

Digitized by Google

Lupi Episcopi & Confessoris. Aruernis, depositio sancti Rustici Episcopi.

VII. KAL. OCT. In Asia, natalis Sanctorum Eucarpi, & Bardonis cum alijs viginti. In Gallia, Ambianis ciuitate, passio S. Firmini Episcopi, & Martyris. Et alibi, depositio sancti Marci.

VI. KAL. OCT. Romæ, viâ Appiâ, in cimiterio Calesti, depositio S. Eusebij Episcopi & Confessoris. Et in Albano, natalis S. Senatoris. Et alibi, natalis S. Migigni, Naboris, Faustini. Et in Sardinia, natalis S. Luxuri Martyris. *Aruernis, depositio Apollinaris Episcopi & Confessoris.*

V. KAL. OCT. In Cæsaria Cappadociæ, natalis sancti Eleutherij In Tarso Ciliciæ, natalis Sanctorum Taraci, Probi, & Andronici, Iustini. Aducia ciuitate, natalis Sanctorum Cosmi & Damiani Martyrum. In Epheso, natalis sancti Timothei Discipuli Pauli Apostoli. In territorio Augustiduno ciuitate, sancti Florentini, Siluani, Firmi.

IV. KAL. OCT. In Africa, natalis Sanctorum Laurentij, Faustini, & Victuriæ, Candidæ, Valeriæ, Donatæ, Leuæ, Lucioſæ, Gagili, Placidi, & aliorum multorum; Longini, Victuriæ, Priscíniani. Romæ, natalis sancti Stactei. Genua ciuitate, depositio Salonij Episcopi & Confessoris. *Autisiodero, depositio sancti Alodi Episcopi & Confessoris.*

III. KAL. OCT. In Thracia, Eutici, Plauti, Planciti, Ambuti, Aracliæ, Traciæ, Donatæ. Romæ, militum sexaginta octo. Dedicatio Basilicæ Archangeli Michaëlis in monte qui dicitur Garganus. Et alibi Ianuarij, Sosij, Ampuni, Celedoni, Iustini. Autisiodero, depositio Fraterni Episcopi & Confessoris.

PRIDIE KAL. OCT. In Placentia ciuitate, natalis sancti Antonini Martyris. In Mediolano, translatio corporis sancti Victoris Martyris. Bethlehem ciuitate, depositio sancti Hieronymi Presbyteri.

MENSIS OCTOBER

HABET DIES XXXI.

KAL. OCTOB. LITANIA INDICENDA. Priſci, Fauſtini Mart. Alexandri, Eopropi Saturnini, Spei, Primi, Donati. Item Dignæ, Paſſico, Prepi. In Thomis, Iulij. *Autiſiodero, depoſitio Germani Epiſcopi. Remis ciuitate, ſancti Remigij. Treueris, ſancti Niceti.*

VI. NON. OCT. In Nicomedia, Eleutherij. In Antiochia, Primi, Quirilli, Pitini. Romæ, natalis ſancti Euſebij. Et alibi, Leonis, Gaiani, Secundi. Item Secundi, Platonis, Longi. *In Gallia, paſſio ſancti Leodegarij Epiſcopi & Martyris.*

V. NON. OCT. Antiochia, Theogeni. Africa, Victoris, Vrbani, Sapargi. Et alibi, Felicis, Amponi, Caſti.

IV. NON. OCT. In Ægypto, Marci, & Martiani Martyrum. In Africa, Marcuſi, Reſtituti, Iulij. Et alibi, ſancti Daſij, alibíque Marcelli Epiſcopi. Autiſiodero, depoſitio ſancti Marſi Preſbyteri & Confeſſoris.

III. NON. OCT. In Sicilia, Placiti, Eutici, & aliorum triginta. Et alibi, Barici, Victorini, Fauſti, Pelagij. Valentia ciuitate, depoſitio Apollonaris Epiſcopi & Confeſſoris. Autiſiodero, depoſitio Sanctorum germanorum Firmati Diaconi, & Flauianæ Deo ſacratæ Virginis.

PRIDIE NON. OCT. Capua, natalis Sanctorum Marcelli, Caſti, Emeli, Saturnini, Donatelli. Romæ Balbinæ, & depoſitio ſancti Marci Epiſcopi, Iuliani. In Africa, Rogati, Saturnini, Ianuarij, Fauſtini, Martialis. In Apulia, Caſti, Emeli, Saturnini, Ammonij Preſbyteri. Agenno ciuitate, natalis ſanctæ Fidis Virginis & Martyris. *In ciuitate Autiſiodero, depoſitio ſancti Romani Epiſcopi.*

IX. IDVS OCT. Romæ, viâ Appiâ, depoſitio Sanctorum Martyrum Apulei, & Marcelli Epiſcopi, & Marci Epiſcopi & Confeſſoris. In Capua Campaniæ, Quarti & Marcellini. Et alibi, ſanctæ Iuliæ, Syrgi, Bacci, & natalis

Digitized by Google

ſancti Matthæi Euangeliſtæ. Bituricas ciuitate, ſancti Auguſti Preſbyteri & Confeſſoris.

VIII. IDVS OCT. In Antiochia, Dionyſij Epiſcopi, Ianuarij, Fauſtini Mart. Martialis, Priuati, Eraclij, Iuliani, Pelagiæ.

VII. IDVS OCT. In ciuitate Laodicia Phrygiæ, natalis ſancti Theodoli. Et alibi, Attici, Ludduli, Septimi, Iuli. Colonia Agrippina ciuitate; natalis ſanctorum trecentorum ſeptemdecim Martyrum. In prouincia Creta, ciuitate Auguſta, natalis ſanctæ Afræ Martyris. In ciuitate Vienna, multorum Martyrum. Pariſius, natalis ſanctorum Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, Eleutherij Diaconi. *In Centulo Monaſterio, tranſlatio corporis beati Richarij Confeſſoris.* Romæ, Marcelli, Genuini, Nouij, Iuſti. Inter duas lauros ſanctæ Primiuæ, Cuſti, Iulij. In Cilicia, Taraci, Probi, & Andronici. *In Centulo Monaſterio, depoſitio corporis B. Richarij Confeſſoris. Corbeiâ Monaſterio, depoſitio Theofridi Abbatis.*

VI. IDVS OCT. In Africa, Æraclij, Dionyſij, Septimiæ, Secundæ, Salſæ. Et alibi, Caiti, Quintaſi, Septimi, Venuſti, Beati, Secundi, Donati, Sereni, Creſcenti, Taraci, Probi, Andronici, Niceti. Natalis Firmini, Heracli, Caſſi, Euſebi, Florenti, Victoris. Agrippinæ, Malluſij cum alijs trecentis triginta Marryribus. Eodem die natalis ſancti Cerbonij Confeſſoris in Populonio.

V. IDVS OCT. In aceruo Siciliæ, ſancti Athanaſij Presbyteri, Ampodi, Placidi, Fauſti, Ianuarij, Martialis, Marcelli, Iuuiniani. Antiochia, ſancti Eraclij Eodem die, ſancti Nicaſij, & aliorum Martyrum.

IV. IDVS OCT. In prouincia Syriæ, ſanctorum Euagrij, Proſiriæ. In Ægypto, Euſtaſij Presbyteri. In Campania, natalis ſanctorum Eucariſti, Fortunati. In Rauenna, viâ Laurentinâ, natalis ſancti Ediſti. Romæ, Caleſti, Saturi. Bituricas, ſancti Opionis.

III. IDVS OCT. In Hiſpanijs, Corduba ciuitate, Fauſti, Martiæ. In Calcedonia, natalis ſancti Adriani. Item, Fauſti, Ianuarij, Marcelli. In Alexandria, Athanaſij Epiſcopi & Confeſſoris.

II. IDVS OCT. Romæ, viâ Aureliâ, in cimiterio Calapodij, Caleſti Epiſcopi, Saturi. In Cappadocia, Lupranpodi, Modeſti, Luciani, Saturnini, Simplici, Saturi, Placidi. Cordoba ciuitate, Lupi, Aureliæ, Maximi. *Lugduno Galliæ, tranſlatio corporis ſancti Iuſti Epiſcopi & Confeſſoris.*

IDVS OCT. Colonia ciuitate, natalis ſanctorum Maurorum de militibus. In Capua, Luplili. Viâ Aureliâ, in cimiterio ejuſdem, ſanctæ Fortunatæ.

XVII. KAL. NOVEMBRIS. In Baijs, ſancti Suſſi Martyris. In Africa, Cecræ, & aliorum pariter paſſorum ducentorum ſeptuaginta; Merij, Aufidi, Saturnini, Nerei.

XVI Nov. KAL. NICOMEDIA, Alexandri. In Mauritania, Nini, Victuriæ, Nobilitani, Mauritani, Luci, Citini, Criſcentiani, Rufiani, Donati, Defenſoris, Ruſticiani, Seruiliani, Sacrati, Veneriæ, Ianuarij, Muſtulæ, Quintaſi, Memmæ, Primæ, Donatæ, Seueræ, Victuriæ, Baſillæ, Magnili.

XV. KAL. NOV. In Oriente, tranſlatio corporis ſancti Lucæ Euangeliſtæ. In Nicomedia, Lucæ, Victurinæ, Iuſtini. In Axiopoli, Hermetis, & Taxis, Iulij. Et juxta portum Romanum, paſſio S. Agnetis Virginis. In Campania, ciuitate Puterlis, Ianuarij, Felicis. Et depoſitio Iuſti pueri. In Africa, Lucij, Victoris, Daſi, Leuci, Victorici, Bereſi Epiſcopi, Victricis, Fauſtini, Martialis. *Ebrocas ciuitate, natalis S. Aquilini Epiſcopi & Confeſſoris.*

XIV. KAL. NOV. In Oſtia, Auſterij Presbyteri. Neapoli, Suſſi, Ianuarij, Feſti, Deſiderij. In cimiterio Puteolis, Proſculi, Proſduci, & Nicæ matris ejus, Domnæ Virginis, Aſti, Buiti. In Antiochia Syriæ, natalis ſanctorum Pelagij, Beronici, Pelagiæ, & aliorum quadraginta octo Martyrum.

XIII. KAL NOV. In Puteolis ciuitate, Daſij, Anoſinimi, Ianuarij, Dorothei, Suſimij, Ianuariæ. In Nicomedia, Euſticis, Promachi, Lucij, Marcellini, Berniaci. Item Suſimi, Ianuarij, Iulij. Agenno ciuitate, ſancti Capraſij Martyris.

XII. KAL. NOV. In Nicomedia, Daſij, Zotici, Gai

Digitized by Google

cum duodecim milibus *Martyribus. In Africa, Modeſti, Eutici, Materi, Diſſei. In Nicea, Bithyniæ, Afrigis, Macharij, Dicei, Proculi, Neapoli, Modeſti, & aliorum octoginta quatuor. Puteolis Campaniæ, Proculi, Euticis, Macharij, Donatellæ. Lugduno Galliæ, Viatoris pueri diſcipuli ſancti Iuſti Epiſcopi. *f.* Militibus.

XI. KAL. NOV. In Adrianopoli Thraciæ, Philippi Epiſcopi, Euſebij & Hermetis, Seueri. In Portu, ſancti Valerij Martyris. In Thracia, item Seueri. Et alibi, paſſio ſancti Leugati.

X. KAL. NOV. In Adrianopoli, Seueri, Dorothei. In Cæſaria Cappadociæ, Seureſi, Magni, Iuſti. In Gallia, depoſitio ſancti Gratiani Martyris.

IX. KAL. NOV. In Nicomedia, Seueri, Vitalis, Felicis, Rogati, Paperi, Victuriæ, Flauiani, Victoris. Hierapoli Phrygiæ, Claudiani, Eutheri, Flauini, Iuſti, & Victoris.

VIII. KAL. NOV. Romæ, Maximi, & aliorum centum viginti militum, quorum nomina Deus ſcit. In Gaualis, depoſitio Beati Hilarij Epiſcopi & Confeſſoris. In Africa, Saturnini, Claudiani, Primiui, Flauiani, Zotici. In Sardinia, Sauini, Saturi, Aſteri, Chari. Sueſſionis ciuitate, natalis ſanctorum Criſpini, & Criſpiniani Martyrum; Claudiani, Rogati, Papari, Felicis, & Vitalis. *Santonas, tranſlatio corporis S. Vibiani Confeſſoris & Epiſcopi.*

VII. KAL. NOV. In Nicomedia, ſanctorum Luciani, Mardiani, Florij, Eraclij, Tuti.

VI. KAL. NOV. In Africa, ſanctorum Saturnini, Flauij. In Phrygia, Tarſi, Polycapi, Gai, Eumini, Nocomini, Longi, Diodori, Metrobi, Euminæ, Tuti: Romæ, Mariani, Lucij, Viueti. In Sardinia, Poti, Ianuarij, Tarrei, Comuinæ, & ſancti Florentij.

V. KAL. NOV. In Antiochia Syriæ, Marandi, Marianæ, Arcelludi In Cartagine, ſancti Suffroniſæni. Et alibi, ſanctorum Apoſtolorum Simonis Cananæi, & Iudæ Zelotis. Amaranti, Quinti, & Iuſti, Lucij.

IV. KAL. NOV. In Lucania, Sacincti .... Quinti, Felicianæ, & Lucaniæ Martyrum.

Digitized by Google

III. KAL. NOV. In Nicomedia, Ianuarij, Calendionis, Martialis, Germani, Marci, Theophili, Euſebij. Et in Africa, paſſio ſanctorum numero centum viginti Martyrum. Item, Felicis, Quinti, Lucæ, Luciani, Victoris, Vitalis, Donati, Petri, Marij, Ianuarij, Firiæ, Hermetis, Vrbani, Attiti. Et paſſio ſancti Feliciani cum ſocijs ſuis. In Antiochia, Ianuarij, Martiani, Nazarij, Geruaſij, Protaſij, & Celſi pueri. *Toloſæ, tranſlatio corporis ſancti Saturnini Epiſcopi & Martyris.*

PRIDIE KAL. NOV. In Africa, Clacouij, Iuliani, Fortunati, Siluani, Calendionis, Bonifaciæ, Caſtæ, ... Gallicæ, Agapi, Victuriæ, Felicis, Simoni, Donati, Ruſticiani, Fortunati, Romani, Siluani, Mimmi, Angelaſi, Nuncini, Feliciſſimi, & aliorum viginti nouem; Valerij, Vincentij. In Hiſpania, Ianuarij. In Macedonia, Vitalis, Petri, Creſcenti, Alterini, Victorini. Item Petri, Mar...., Mammari, Saturnini, Vigilantij, Nuncini, Magnili. In Nicomedia, Philippi, & Calendionis. Auguſta Viromandorum in Gallia, ſancti Quintini.

MENSIS NOVEMBER

DIES HABET XXX.

KAL. NOVEMB. LITANIA INDICENDA. *Feſtiuitas omnium Sanctorum.* Petri, Mammeri, Saturnini, Magni. Et paſſio Euſtachij Martyris cum vxore & filijs. In Macedonia, Baſilis, Iacobi, & ſancti Ioannis Euangeliſtæ. In Terracina, natalis ſanctorum Meldegaſi, Iuliani, Victoris, Felicis, Sati, Perſeueranti, Octauiæ, Ceſſiæ Eriſtei, Saturnini, Simplicij, Primi, Ceſarij, Magni, Iuſti. In Cæſaria, natalis ſancti Macedonij. Et alibi, natalis ſanctorum Ianuarij, Petri Creſcentis, Victurini, & aliorum Martyrum. Caſtro diuione, paſſio ſancti Benigni Presbyteri & Martyris, & ſancti Melanti. Auguſtiduno, depoſitio ſancti Primi Epiſcopi. *Bajocas ciuitate, ſancti Vigoris Epiſcopi & Confeſſoris. Sitio Monaſterio, depoſitio ſancti*

Digitized by Google

ſancti Audomari Epiſcopi & Confeſſoris. Pictauis ciuitate, Dedicatio Baſilicæ S. Hilarij Epiſcopi & Confeſſoris.

III. NON. NOV. Dedicatio Baſilicæ ſancti Andreæ Apoſtoli In Cæſaria Cappadociæ, natalis ſanctorum Germani, Theophili, Cæſarij, Egrili, Vitalis. Et alibi, paſſio ſanctæ Agriculæ Virginis & Martyris. Item, Felicis, Creſcenti.

PRIDIE. NON. NOVEMB. In Africa, natalis ſanctorum Primi, Cæſarij, Gregorij, Porphyrij, Saturi, Amanti, Publij, Secundæ, Victorinæ, Perpetuæ, Victoris, Quarti. In Nicæa, natalis ſancti Domnini. *Auguſtiduno, depoſitio Proculi Epiſcopi. Rotenis ciuitate, depoſitio ſancti Amantij Epiſcopi, & Confeſſoris.* Biturigas, depoſitio ſancti Luſoris pueri, & Confeſſoris.

NON. NOVEMB. In Cæſaria Cappadociæ, natalis ſanctorum Domnini, Cæſarij, Epiphanij, Gregorij, Appini, Saturnini, Amantij, Puplij, Mart. In Campania, natalis ſanctorum Marciæ & Secundæ. Capua ciuitate, natalis ſanctorum Euraſi, & Quarti, Ioci, Ludi.

VIII. IDVS NOV. In Nicomedia, natalis Sanctorum Adriani, Iuliæ, & Euſebiæ. In Africa, natalis Sanctorum Donati, Pauli, Balſami, Domnini, Primæ, Duliæ, Fortunatæ, Ianuariæ, Quartæ. Et in Toniza Africæ, natalis ſancti Felicis. Et in Phrygia, natalis Sanctorum Ianuarij, Attici, Barici, Mammari, Venericini, & Veneriæ. *Regidona, natalis ſancti Melanij Epiſcopi & Confeſſoris.*

VII. IDVS NOV. In Nicomedia, natalis ſancti Euſebij, Pobiſi, Euſtaſij, Marij, Primi, Iuliæ, Ianuariæ, Rogatianæ, Optati, Adriani. Et in Africa, natalis Sanctorum Rogati, Donati, Primæ, Iuliæ.

VI. IDVS NOVEMB. Romæ, natalis Sanctorum Simplicij, Symphronij, Claudij, Cuſtori, Nicoſtrati, & Sanctorum quatuor coronatorum, Seueri, Seueriani, Carpophori, Victorini. In Africa, natalis Sanctorum Primi, Macharij, Iuſti, Amaranti, & aliorum nonaginta quatuor. Et in Nicomedia, natalis Sanctorum Damiani, Euſebij, Caleſti, Euſtaſij, & Marij, Magni.

V. IDVS NOV. In Nicomedia, natalis Sanctorum

Damiani, Donati, Reſtituti, Victorini, Salutaris, Creſcentis, Demetrij, Nemeſij & Exuorgij, Euſebij. Romæ, natalis Sanctorum Clementis, Symphronij. In Hiſpanijs, natalis Sanctorum Fauſti, Ianuarij, Martialis Mart.

IV. IDVS NOV. In Antiochia, natalis Sanctorum Primi, Macharij, Diaconi, Euſtaſi, & ſociorum eius, Ianuarij, Candidiani. In Africa, natalis Sanctorum Saturnini, Donati, Anniboniæ & aliorum ſeptemdecim. Romæ, depoſitio ſancti Leonis Epiſcopi. *In ciuitate Aurelianis, depoſitio Beati Monotoris Epiſcopi & Confeſſoris.*

III. IDVS NOV. Rauenna, natalis Sanctorum Valentini, Feliciani, Octaui, Felicis, Ianuarij, Eurundini, Victorini, Felicis, Niſei, Iuliani, Vincenti, Ianuari, Giddini, Bonifaciæ Mart. Minaci, Domni, Firmæ, Mariæ, Felicitatis, Feliciæ, Innocentiæ, Fortunati, Principiæ, Domnicellæ, Clementini, Ianuariæ, Victuriæ, Iuliani: Alexandria Metropoli, natalis ſancti Menæ Martyris. Turonis ciuitate, depoſitio ſancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris. *Lugduno Galliæ, depoſitio Verani Epiſcopi.*

PRIDIE IDVS NOV. In Africa, natalis Sanctorum Auruli, Publij, Vincentij. In Cæſaria Cappadociæ, natalis Sanctorum Germani, Theophili, Cæſarij & ſancti Euſebij.

IDVS NOV. In Thracia, natalis Sanctorum Ædicti, Eutici, Felicis, Hermogeni, & Agieſtis Martyrum. Et in Cæſaria Cappadociæ, natalis Sanctorum Antonij, Gebennæ, Germani, Mannicæ, Adriani cum ſocijs ſuis. Rauenna ciuitate, natalis Sanctorum Valentini, Solutoris, & Victoris. Et alibi, depoſitio ſancti Iacobi Apoſtoli. *Rotenas ciuitate, depoſitio ſancti Amantij Epiſcopi & Confeſſoris. Turonis ciuitate, depoſitio ſancti Baiccij Epiſcopi & Confeſſoris.*

XVIII. KAL. DECEMBRIS. In Eraclea ciuitate Traciæ, natalis Sanctorum Clementis, Clementini, Theodotæ, Philomini, & aliorum multorum. Et ipſa die natalis ſancti Eraclij.

XVII. KAL. DEC. In Africa, Sanctorum Secundi, Fidentiani, Varici, Martialis. Africa ciuitate, natalis San-

ctorum Siddini, Saturnini, Serui, Calendionis, Galani, Primi, Genui, Secundæ, Theodoti, Demetri, Parentis, Saturæ, Firmi. In Antiochia, natalis Sanctorum Donati, Reſtituti, Valerianæ, Fructuoſi cum alijs duodecim. *Depoſitio ſancti Machuti Epiſcopi.*

XVI. KAL. DEC. In Africa, natalis Sanctorum Rufiniani, Marci, Valerij, Victoris, Pauli, Honorati, Donati, Barici, Vitalis, Ianuarij, Iuſti. Et alibi, natalis Sanctorum Fidentiani, Martialis, Donati, Valeriani, Poëtiani. Et natalis Sanctorum Nerei, Pauli, Adriani, Secundiani, Martialis, Victoris, Victori, Anteconi, Auriliani, Marcelli, Marianæ, Secundi, Frontoni, Majulini. In Antiochia, Auguſtini, Iuſtæ, Auricæ, Pontiæ, Fructuoſæ, Matrondæ, Fructæ, Vincentiæ, Marci, Aruſpici, Mariæ, Fiſtæ, Fortunatæ, Felicitatis, Siluani. Et in Capua, natalis Sanctorum Vitalis, Ianuarij, Iuſti, Auguſtiani, & Iuſtæ. *Lugduno Galliæ, depoſitio ſancti Eucherij Epiſcopi & Confeſſoris.*

XV. KAL. DECEMB. In Capua ciuitate, natalis Sanctorum Auguſtini, Euſurij, Felicitatis. In Nicomedia, natalis ſancti Ammonij. In Aſia, natalis Sanctorum Phileæ, Matronæ, Teclæ Virginis. In ciuitate Hierapoli, natalis Sanctorum Victoris & Alphei, Romulæ. Romæ trans Tiberim, natalis ſancti Cæcilij. In Nicomedia, natalis ſancti Ammonij. In Aſia, ſanctorum Diobidis, & Didæ. Et in Heraclea ciuitate, natalis Sanctorum Gregoriæ, Victoris, Gemini. In Cæſaria, natalis Sanctorum Theodotæ, Alphæi, Zachæi, Romani. Cartagine Africæ, Dubitati, Tuſci, Valentij, ſancti Calendionis, Montani. Aurelianis ciuitate, depoſitio Aniani Epiſcopi & Confeſſoris.

XIV. KAL. DEC. In Antiochia ciuitate, Romani Monachi, Baralæ, & Heſychi Mart. In Hiſpania Corduba ciuitate, Aciſclæ Martyris. In Cæſaria, Bonuli, Victoris, Proximi, Luciani, Cartherij & Martiani. In Heraclea, item Cartherij & aliorum quadraginta.

XIII. KAL. DEC. In Cæſaria, Maximi, Mutiani, Neoferi, Tobis, Ianuarij, Vitalis, Carterij, Martiani, Dicenti, Zephori. In Heraclea, ſanctæ Mulieris cum ſex ſuis quadraginta. Auguſtiduno, Simplicij Epiſcopi.

XII. KAL. DEC. In Heraclea, Baſſi, Dionyſij, Orionis, & Daffi. In Cæſaria, Agapiti. In ciuitate Miſſana, in Sicilia, Ampheli, Caï In Hiſpanijs, Maximi Preſbyteri, Calendionis, Marci, Victoris, Felicis, & Milini, Fauſti, Criſpini. In Antiochia, Baſilij & Dionyſij, Ruſticij. Taurinis ciuitate, Octaui, Solutoris, Aduentoris, & Agapæ Virginis; Baſillei, Saturnini, Emeriti, Secundi.

XI. KAL. DEC. Antiochia, Baſilei, & Auxilij, Saturnini, Zeppheri, & Matronæ, Baſilicæ, Carali, Euthicis, Calendionis, Euelpiſti. Romæ, natalis ſancti Clementis Confeſſoris. In ciuitate Auſtis, Demetrij, Honorij, Maximi, Quintiani, Siſinnij, Staſi, Tuti, Stephani, Pion, Heraclij, Macedonij, Veri, Theodoli.

X. KAL. DEC. Romæ, Cæliciæ Virginis, Valeriani, Tiburtij, Maximi. Alexandriâ, Felicis, Demetrij, Zeti. Et in Africa, Chryſogoni, Cleti, Verociani. Item, Demetrij. Item, Zeti. In Cappadocia, Longini, Euthici, Leonti, & Fauſtiniani. *Auguſtiduno, Pragmati Epiſcopi.*

IX. KAK. DEC. Romæ, Maximi, natalis ſancti Clementis Epiſcopi & Martyris, Chryſogoni, ſanctæ Felicitatis, Maximi. Et Cedecas, ſancti Marci Epiſcopi. In Cæſaria Cappadociæ, Verociani, & Euticis. In Alexandria, natalis Sancti Epiſcopi. In Tuſcia, ſanctæ Muſculæ, Felicis, Vitalis, Martiani, Bonifatiani. Bituricas, ſancti Fateri Preſbyteri. *In Italia Monaſterio Bobio, depoſitio ſancti Columbani Abbatis. In Gallia, vico Sarcingo, depoſitio ſancti Trudonis Presbyteri & Confeſſoris.*

VIII. KAL. DEC. In Aquileia ciuitate, ſancti Chryſogoni, Eleutheri, & Maximi. Et in opido eiuſdem, Antiroditi Epiſcopi. In Africa, Mammeri, Saturi, Rogati, Donati, & aliorum viginti. In Perufia, Tuſciæ, ſancti Feliciſſimi.

VII. KAL. DEC. Luciani, Martiani, Claudiani, Cypriani, Martialis, Petri, Felicis, Vitalis, Iuliani, Victoris, Ianuarij, Donati, Quiriaci.

VI. KAL. DEC. Romæ, ſanctorum Syricij Epiſcopi, & Saturnini. In Aquileia, Valeriani Epiſcopi & Confeſſoris, Ammonij, Sereni, Romanæ. In Alexandria, Petri.

Digitized by Google

In Africa, Monæ, Meliſi, Berinæ, Victorinæ, & Marcellini. Auguſtiduno, depoſitio ſancti Amatoris Epiſcopi.

V. KAL. DEC. In Nicomedia, Marcelli, Petri, Numeri, Sereni, Meliſi, Victorini. In Gallia, ciuitate Bononia, Agriculæ, & Vitalis, Magnili, Iulij. In Mediolano, Lucæ, Andreæ, Ioannis, Seueri, Euphemiæ. In ciuitate Regienſi, depoſitio ſancti Maximi Epiſcopi.

IV. KAL. DEC. In Syria, Trophimi, Theodoli, Expeccaſi, Eucherij, Euſebij, Iulij.

III. KAL. DEC. Romæ, Aroſonis, Saturnini, Chryſanthi, Dariæ, Mauri, & aliorum Septuaginta duorum. In Gallia, ciuitate Tholoſa, natalis Saturnini Epiſcopi & Martyris.

PRIDIE KAL. DEC. In Prouincia Achaïa, ciuitate Patras, natalis ſancti Andreæ Apoſtoli, & Martyris. In Nicomedia ſanctorum Carionis, Tirionis. Et in Antiochia, Domnini, Merolæ. In Mediolano, ſancti Ambroſij Epiſcopi de perceptione baptiſmi. Romæ, ſancti Caſtuli, & Euprepetis, Saturnini, Chryſanti, & Mauri, Centuli, Theodoli, & Ianuarij.

MENSIS DECEMBER

HABET DIES XXXI.

KAL. DECEMBRIS LITANIA INDICENDA. Romæ ſanctæ Candidæ, Amboni, Filati, Lucij, Matronæ, Iuſtini. In Africa, Victori, Rogati, Mammari, Alequatæ, Quintaſiæ, & natalis ſancti Caſſiani, Klenpimini, Donati, Saturnini, Fortunati, Luciani, & Optati. *In Gallia, ciuitate Nouiomo, ſancti Eligij Epiſcopi & Confeſſoris.*

IV. NON. DEC. Romæ, natalis ſancti Primenti, Pontiani, Pimini, Iuueniani. In Mauritania, Seueri, Securi, Ianuarij, Victorini, Fortunati, Meggini, Debbuchi, Victurini, Clemeni, Pontiani, Candidæ, Mam-

mariæ, Agnetis, Donatæ, Primæ, Victuriæ, Secundæ, Septimiæ, Maximæ, Donatæ, Saturninæ.

